

Digitized by Google

DG
841
.F29
1769

Digitized by Google

Digitized by Google

Facio, Bartolo

BARTHOLOM. FACII

DE REBUS GESTIS

A B

ALPHONSO PRIMO

NEAPOLITANORUM REGE

COMMENTARIORUM

LIBRI DECEM

Opera, & studio Jo: Michaelis Bruti, vetustissimis collatis exemplaribus, emendati.



NEAPOLI

In Typographia Joannis Gravier

MDCCLXIX.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Bates
Decision
6-13-1925
9194

Digitized by Google



ALBERICO CIBO

MALASPINÆ MASSÆ ET CARRARIÆ

PRINCIPI

Jo: Michael Brutus S. D.

SI qui ſe unquam (Alberice Princeps) eo animo ad honeſta ſtudia contulerunt, ut quæ illi præclare agerent, eorum fructum omnem in optimæ mentis conſcientia conſtitutum haberent, ſatis illum ſemper & uberem ſunt & magnum conſequuti. Nam cum una rerum omnium maxime per ſe ipſa expetenda virtus eſt, tum ut cætera etiam longiſſime abſint, quæ nunquam fere illam non conſequuntur; gloria, fama, nomen, ſtudia hominum, exiſtimatio; per ſe eadem cumulate habet, quo animum quidem quamquam appetentem in primis laudis, avidiſſimumque expleat. Eſt enim animi divina quædam vis, & præclara, quæ ut facile omnia alia contemnit, quæ minus magnitudini illius conſentanea ſint, ita una modo contenta virtute, in una illa, ubi id eſt aſſecuta, conquieſcat. Ut minime jam oporteat mirari, neque eos, qui ſpe ſua orbem terræ complexi, magnam illius partem ſuo imperio adjunxiſſent, animum non potuiſſe explere: potuiſſe eos facile, qui unius ſtudio addicti virtutis abditi, illam in ſolitudine quærendam, excolendamque ſtatuiſſent. Namque terrarum Orbis quidam fines ſunt, nulli ſunt animi, ut cum longiſſi-

Digitized by Google

me etiam terminos imperii produxeris (id quod tamen haud ita contigit multis) cupiditate infinita quidem , cum illa ex animi infinita vi proficiſcatur , ſpe tamen nulla, quo attingit animus perveniendi, efferri ulterius, provehique poſſis. Virtus autem cum illam animus e Divinæ quaſi mentis fontibus hauſerit, ita illum implet, ut ejus ſe rei fieri compotem ſentiat, qua nihil illi præterea (natura jam expleta ſui) quærendum, ulterius expetendumque ſit. Sed quorum ea fuit ſententia , ſibi illi plane potuerunt conſulere , cum honeſtum in primis finem ſibi in vita agenda propoſuiſſent ; parum iidem proſpicere hominum rebus cum hujus rei cauſa, inſtituto quodam naturæ præclaro, omnia a nobis facienda ſint, hoc vitæ genere excolendo potuerunt. Etenim recte factorum una ratio eſt, quemadmodum ſentio, ut eorum fructu uberrimo tum illi fruantur, qui ea geſſerunt, cum quidem his non de præſentibus modo hominibus, ſed de iis etiam, qui ſunt poſtea futuri (id quod ſummorum hominum eſt) præclare aliquando ſe poſſe mereri intelligant. Ita autem eorum laudes fama illuſtri poſt multa ſæcula excipiuntur, ut quidem (id quod ad vitam agendam conducit plurimum) incenſi honeſta æmulatione poſteri, & ad res præclare gerendas excitentur vehementius, & optimis vitæ rationibus, & inſtitutis perſequendis eorum etiam virtutem, quorum gloria ac laude creverunt, facillime aſſequantur. Nam memoria veterum Themiſtoclis acerrimam illam vim, quæ ſuis civibus aliquando, atque adeo Græcorum omnium imperio ſaluti fuit : ſæpe Miltiadis trophæa excitaſſe proditum eſt, clariſſimi Imperatoris, & qui Perſas Græcorum libertati imminentes, magna cum gloria apud Marathonem devicit. Alexandri enim animum virtus ſumma Philippi patris eouſque dicitur excitaſſe, ut cum ille brevi ſumma felicitate eſſet adeptus, quicquid parari in terris virtute hominis, & fortuna poſſet, incendere illius cupiditatem tanta gloria parta, exæquare eamdem, cum immanis atque infinita eſſet, quamquam nova Regna atque imperia quotidie invaderet armis, nullo modo potuerit. Jam in Romana civitate, unde illuſtria in primis ad virtutem exempla peti & permulta poſſunt, Camillos, Decios, Paulos, Scipiones, Cæſares, magnitudo rerum a majoribus geſtarum & extulit una maxime, & magna cum eorum gloria poſteritati commendavit. Atque tanta eſt (in claro præſertim homine) ad æmulandam gloriam vis, ut quo honeſta magis de illa ſit & ſpecioſa contentio, ſæpe eruantur, tamquam ex tenebris

anti-

Digitized by Google

antiquitatis ; qui magnam aliquando laudem adepti ; & gravem in primis gloriæ æmulationem , & ſpem difficilem illius aſſequendæ poſteris faciant . Quod tu quidem, Alberice Princeps , ita præſtas , ut non ſolum pervolutandis veterum ſcriptis , quæras ex tuis majoribus claros homines & præſtantes virtute , quos tibi in hoc gloriæ curſu æmulos ad virtutem conſtituas : ſed quo tua nobis virtus & perſpecta magis , & teſtata ſit , quæ illi cum laude vivendo egerunt , cures ea in lucem , ac tamquam in Orbis terræ theatrum a doctis hominibus educenda . Qua etiam in re (id quod te eſt in primis dignum) præclariſſimo fungi munere pietatis videris . Ita enim ſummorum hominum gloriam tuorum majorum , cum iis quidem quaſi jam tenebras , & noctem quandam vetuſtas offudiſſet , ab interitu , atque oblivione hominum vindicas (quod præmium eorum , quæ recte fiunt , ampliſſimum eſt) & poſteris tuis æque conſulis : cum quidem cures ea , ut habeant a majoribus exempla propoſita ad virtutem , quibus cum dedecore iis ſint deteriores , haud magna cum laude pares , ſtudio virtutis illos vincendo , ſperent veram ſe modo & ſolidam gloriam conſequuturos . Neque vero animo rem totam complexus , non pari eam es ſtudio aſſequutus . Nam & animi , qui pulcherrimæ ſibi rei conſcius eſt , laudem tibi comparas immortalem , & hujus tuæ diligentiæ præmia fers ampliſſima & maxima . Etenim nemo jam illa non noverat , Te Principem longe nobiliſſimum atque ampliſſimum , ex iis ortum Majoribus , ex quibus veterum memoria Bonifacius Nonus , Innocentius Octavus Pontifices Maximi , noſtra , patrumque ætate , Leo Decimus, Clemens Septimus extitiſſent : hoc quidem tempore cum alios fere Italiæ Principes omnes , tum Reges externos maximos & potentiſſimos propinqua cognatione attingere . Sed erant illa quidem minus nota , quæ cum magna atque illuſtria ſint (id quod Tu quidem ſummo ſtudio perfeciſti) fugere amplius poterunt neminem , ex Familia Cibo , quod Tibi eſt paternum genus, quadringentis jam ab hinc annis Majores tuos , Genuenſium Rempublicam inter Principes Civitatis domi foriſque magna eſſe cum laude moderatos ; honores omnes , qui maximi in libera Civitate habentur , geſſiſſe ; ſacerdotiis eſſe functos ampliſſimis ; bellicæ gloriæ ſtudio elatos , ſæpe ſaluti ſuis civibus , ornamento Familiæ , terra marique magnis rebus gerendis fuiſſe . Atqui Arunti quidem Cibo proavo tuo Innocentii Octavi Patri Pontificis Maximi , eſt Tuo maxime ſtudio , vetuſta gloria mortuo reſtituta & laus ;

cum

Digitized by Google

cum celebre illius olim & illuſtre nomen fere eſſet ex memoria hominum obliteratum. Jam quæ ille Neapolitano bello geſſit Renati partium Dux, cum is debitum ſibi Regnum per Joannæ Reginæ adoptionem majore animo, quam viribus repeteret; quanta hominis virtus & fides dubiis illius temporibus, civiles ſimul res & bellicas adminiſtrando, quæ temperantia, abſtinentia, quæ animi vis & conſilii extiterit; tum quæ rurſus, bello confecto, apud victorem Regem cum illius fuiſſet hoſtis acerrimus, exiſtimatio, ita poſteri agnoſcent, ut quod illius mortui memoria, quæ obruta pene injuria temporum latebat, tanta cum ejus laude vigeant, Tibi plane pari in laude ponant: quod domeſticæ gloriæ æmulum tantum minime veritus, ne ſuperior in virtutis contentione eſſes, tibi propoſueris: ex hac animi præſtantia tanta & virtute conjectura facta, ſperent ſuperiorem etiam Te aliquando fore. Jam cum ita paterni generis memor ſis, ne videaris eſſe materni oblitus, quod nobiliſſimum quidem a gente Malaſpina ducis (quicquid ſequutus ſis, quare hoc Tibi eſſe agendum ſtatueris) negotium mihi dediſti, meis ut ſcriptis compleſterer, quæcumque Majores tui clariſſimi homines geſſiſſent, qui ab Aleramo gentis Principe ad noſtra uſque tempora per ſexcentos, aut eo amplius annos aut in Italia, aut in Germania floruiſſent. Is enim Otonis Cæſaris filia Alaſia uxore ducta, qui primus ex Saxoniæ Ducibus imperium adeptus, in Germanorum gentem invexit, dotis nomine Monferratenſium Principatum accepit, cujus quidem Gulielmo filio inſtituto hærede natu majori, ex liberis alium, cujus haud traditur nomen, autorem tantum Malaſpinæ Nobilitatis futurum reliquit. Ac cum ita quidem ſis officioſus in Tuos, eorum etiam memoriæ conſulis, quorum virtus magna aliquando ac merita præclara in homines extiterunt, ut nulla etiam tecum propinquitate, cognationeve conjuncti ſint. Nam hoc quidem tempore, cum Bartholomæi Facii hiſtoria in tuas manus perveniſſet, quam ille de rebus geſtis Alphonſi Aragonum Regis luculentiſſimam conſcripſit, eam [illegible] nulla re alia magis, quam virtute illius, ſumma & gloria adductus (quod ſatis quidem oſtendit quanti apud Te virtus ſit) curas in lucem emittendam. Is eſt Alphonſus, qui a Joanna Regina Ladislai ſorore adoptatus, Neapolitanum Regnum, Renato Andegavenſi ſumma gloria victo, cum magnas antea res terra marique in Italia [illegible], Africa geſſiſſet, ſibi, ac poſteris vendicavit. Ita quæ [illegible] inſcripta Bartholomæi Facii hiſtoria

Digitized by Google

hiſtoria edatur, merito tibi tuo id contingit, cujus autoritate ſumma factum eſt, ut cum temporum injuria ad centeſimum jam & trigeſimum annum latuiſſet, nunc magna Tua cum laude in manibus hominum eſſet, ac res geſtæ tanti Regis a poſteris legerentur. Eſt ſcilicet hoc Tuum, quod haud ſcio an multorum præterea ſit, in bene agendo pluribus ut prodeſſe velis: quæ res claros homines & præcellenti virtute in cœlum fert, ac poſteritati, immortalitatique commendat. Ita enim & memoriæ optimi Regis, ac poſt natos homines maximi, cum diu quaſi involutæ obivionis tenebris & ſilentii illius res jacuiſſent, & nobis adeo plurimum conſulis, qui iis legendis non voluptate ſumma ſolum, cum ſcriptæ luculenter in primis, & eleganter ſint, ſed utilitate etiam ducimur, quæ eſt nobis maxima propoſita, ob rerum varietatem, & viciſſitudinem, qua eſt hiſtoria referta. Atque (id quod tibi haud in poſtremis laudibus poni debet) unus maxime præſtas, ne memoria diſertiſſimi Scriptoris intereat: quod quidem magna noſtrorum hominum jactura ne accideret, magnopere verendum erat. Itaque non ſolum viri illius manes Tibi, quod per Te ejus memoria renovata vigeat, referunt acceptum, ſed plurimum hoc nomine omnes debent, qui aut cognoſcendarum rerum ſtudio, aut ſcribendarum tenentur. Enimvero quæ hominis eruditio ſit, quæ in ſcribendo elegantia & copia, tum vero (qua una maxime re hiſtoria conſiſtit), quo ſtudio, qua fide omnia, quam nihil hauſtum e vano referat, niſi ipſa res loqueretur, pluribus mihi diſſerendum putarem. Illud unum vere videor dicere poſſe, non illum quidem, ut illa tempora ferebant, ſcripſiſſe, quibus extitiſſe dicitur, cum vix tum reviviſcere inciperet per tot jam ſæcula intermortua Latini ſermonis elegantia & proprietas, ſed ut pauci hac noſtra ætate, quorum illuſtriora nomina ſunt, & maxime a noſtris hominibus celebrantur. Nam quod illi aliquando excidat verbum aut a Tacito, aut a Curtio deſumptum (id quod minime probatur, quibuſdam religioſis nimium in doctorum hominum ſcriptis judicandis) neque ſi illi reduci nunc in vitam liceat eſſe, quid illi de ſuis ſcriptis ſtatuendum putent, magnopere laboret. Quin etiam ne eſſe illi iniqui pergant hoc nomine, magnopere illud cogitent cenſeo, nullos illi, quibus referta literatorum natio eſt, commentarios ſuppetiiſſe, unde tot parata adjumenta ad ſcribendum haberet. Legent igitur eruditi homines res geſtas maximi Regis, Tua auctoritate, quæ nos ad id in primis movit, in lucem

Digitized by Google

cem emissas : quæ cum per se dignæ sint , ut scriptæ etiam a quovis legantur, eas & docte, & diserte scriptas libentissime etiam (quod jam dictum est) & summa cum voluptate legent. Ac cum ita est a Te memoriæ ejus Regis prospectum, qui unus sua ætate , virtute quadam singulari , magnitudine animi , gloria rerum gestarum plurimum inter cæteros Reges excelluit ; quicquid illi gloriæ accedit, cujus ipse autor sis , in Te unum redundat: ut jam nemini esse dubium possit, Te duo illa, quæ esse opportuna maxime ad consequendam gloriam putantur , in primis tenere. Etenim & rebus gerendis deditus ipse es , unde gloriæ omnis ducitur commendatio ; & quidem (id quod Tibi assequi minus per tua tempora licuit) per eruditos homines & disertos, qui iidem virorum illustrium res, atque adeo Tuas literis mandent , cognitionem Tibi earum rerum paras , quæ eadem jucundissima est ad agendam vitam, & ad res gerendas necessaria maxime. Nam (quod viro Principi dandum summæ laudi est) eos apud Te habes , qui ægre & res gerere præclare , & consulere gerenti res, & res gestas literis consignare quandoque possint. Atque in his quidem conspiciuntur summi homines , & cunctis militiæ honoribus magna gloria perfuncti , ex vetere disciplina Franciſci Mariæ Urbinatium Principis , clarissimi Imperatoris ; ex cujus Helisabeta filia uxore Tua in magnam spem assequendi majorum laudes filium suscepisti. Enimvero (id quod omnes fatentur) cum ille unus ausus discedere a superiorum instituto, disciplinam militaris imperii, quæ jam nulla erat, auctoritate summa , severitateque sanxisset , in eodem conspiciebatur aliarum omnium virtutum maximarum , sed pudoris in primis, moderationis , abstinentiæ mirifica quædam ac firma consensio. Jam ne ulla in re quicquam Tibi reliqui facias , quæ res digna viro Principe sit ; cum quidem, qui juri dicundo tuis populis p[illegible] esset, hominem delegisti , non juris prudentia solum , sed probitate , virtute , æquitate animi, & justitia præditum singulari ; tum jus ipse quotidie dicis , atque (id quod ad continendos homines in officio longe expeditissimum est) quibusvis tui adeundi , de privatis injuriis exposulandi , conquerendi , ut etiam infimæ sortis sint , potestatem facis. Ad hoc tam præclarum studium accedit Divinarum rerum singularis cura: qua quidem re, quo magis Tuos fore in officio speres, hominem alis, & doctissimum eundem & probibatis singularis , qui quotidie pro concione rudem populum Religionis instituta doceat. De me quidem viderint

Digitized by Google

derint alii : certe cum ut aliquid essem, plurimum a me sit & diu elaboratum, ut quem me esse minime agnosco, viderer aliis, liberalitate Tua quadam summa, & beneficentia unus præstitisti. Nam, ut nomini eorum parcam, quorum & partes esse videntur, & vero etiam sunt vires ad studia hæc præclara provehenda, quibus plurimi adversantur, unus cum susceperis eruditorum hominum communem causam adversus tantam temporum injuriam tuendam (quanquam tota res est non animo tuo, sed viribus major) & suspiciendus hoc nomine es plurimum, & amandus. Equidem, ut de me loquar, quod ego te illustrare meis scriptis contendo (utrum assequutus sim, quod volui, aliorum judicium erit) non mihi videor solum officio grati hominis fungi, quæ tibi a me gratiæ relatio pro singularibus tuis in me meritis debetur, sed propensionem animi in Te meam significare, quæ liberum hominem ad amandam virtutem, ubicunque illa consistat, ut nulla etiam commodi spes sit, impellit. Hæc Tibi quidem, Alberice Princeps, hominum laudes, famam, gloriam spondent : quæ omnia ut assequaris, etsi ipse unus efficis, cujus illa virtuti debentur, ut tamen speres eadem ad posteritatem propagatum iri, doctorum hominum scripta illustria præstabunt. Ex quibus, si quid ego, quod minime mihi tribuo, perfeci, tanta Tua virtute, & nostris hominibus pariter, & Nationibus exteris scriptis testata meis, id quod mihi semper optatissimum fuit, gratissimum mihi quoque accidisse fatebor : si id minus ero assequutus, at quod in ea una re semper plurimum contenderim, studii mei & laboris magnum me cepisse fructum non dissimulabo. Vale. Datum Lugduni XVII. Calend. April. MDLX.

Digitized by Google

BARTHOLOM. FACII

VITÆ BREVIS DESCRIPTIO.

Bartholomæo Facio patria fuit Spedia, oppidum Genuenſium ditionis. Id quidem in ſinu intimo poſitum, Lunenſem portum toto mari Infero celeberrimum efficit, quem Ligures eodem, quo oppidum, nomine appellant. Scripſit de Genuenſium rebus adverſus Venetos geſtis Commentarios, in quibus Jovius ait fidem hominis eſſe deſideratam: quam quidem calumniam neque ille ſatis effugere ſcribenda hiſtoria potuit, quanquam fere in rebus omnibus, de quibus ſcribit, verſatus. Laudatur a viris doctis. Verſus ab illo e Græca in Latinam linguam Arrianus, cum is antea a Petro Paulo Vergerio haud ſatis præclare eſſet Latinus factus. Aemulus Laurentii Vallæ, quanquam magnæ vir autoritatis acerrime ubique in illum invectus, plurimum de illius nomine detrahere conatus eſſet, illius inimicitiis crevit eouſque, ut Alphonſus Rex tantus dignum illum exiſtimarit, cujus ſcriptis res ab ſe geſtæ poſteritati mandarentur. Videtur ejus unum hoc ſtudium fuiſſe, ut Cæſaris in ſcribendo puritatem, atque elegantiam imitaretur. Quod ſi eſt minus aſſequutus (neque enim id facile per ea tempora licebat), at quod eum unum ſibi propoſuerit ad imitandum, judicium quidem probari, quod feliciſſime ſæpe expreſſeris, laudari ingenium etiam debet: certe ita ſcribit, ut quem illi hoc tempore anteponas, habeas neminem.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONIUS GRYPHIUS
LECTORI.

VIx a nobis cœptæ erant manus admoveri his Facii Commentariis imprimendis, cum quidem Joan. Michael Brutus, cujus ſtudio quodam mirifico & ſingulari magna erat nobis oblata ſpes emendatos illos in primis in lucem edendi, in Italiam graviſſimis evocatus negotiis, deceſſit. Erat quidem exemplar, quod is nactus erat, longe corruptiſſimum: ut cum nulla fere linea eſſet, in qua non inſigne aliquod erratum & fœdum legentem moraretur, neceſſe eſſet crebris lituris totum librum inquinari. Quæ res quantum impedimenti & moræ afferat iis, quorum opera utimur, exemplaribus in typos deſcribendis, dici vix poteſt. Neque vero unus is labor erat a Bruto ſuſceptus, ut doctiſſimi hominis ſcripta a librarii imperitia quadam non ferenda vindicarentur: ſed cum is per ea tempora floruiſſet, quibus nondum plane Latinæ linguæ elegantia & puritas eniteret, ſatis autem conſtaret, haud extremam illius manum operi acceſſiſſe, quædam præterea, quæ, ubi modo diutius ſuperfuiſſet (id quod alia illius indicant ſcripta) fuiſſet ſublaturus, uſus in eo conſilio doctiſſimorum hominum tolleret. Ita autem id, quod ſuſcepit, præſtitit Brutus cumulate, ut ſi manuſcripti codices cum hoc a nobis excuſo conferantur, nemo jam, quanquam ille parum æquus ſit futurus, quin fateatur de Bartholomæi Facii nomine optime Jo: Michaelem Brutium meritum eſſe. Quam vero is in eo elaboraverit, cum teſtes ipſi ſumus, tum vero, qui ingenio plurimum & eruditione excellit, Joannes Baptiſta Minutulus, nobilitatis idem ſummæ, & virtutis ſingularis adoleſcens in primis. Cum eo autem Brutus eo tempore diverſabatur in Michaelium, & Arnulphinorum domo, quorum quidem negotiis maximis atque ampliſſimis adminiſtrandis Galeotus Franciotus, vir idem & magni conſilii & ſpectatæ fidei, præeſt. Eſt autem hæc ita domeſtica horum laus, ut cum ſemper eorum honeſtiſſima domus, & hoſpitaliſſima doctorum hominum fuerit, haud viſum ſit prætermittere hanc occaſionem noſtro etiam teſtimonio illam, quoad ejus fieri poſſet, cohoneſtandi. Verum ut ad rem redeam, quam etiam Brutus id, quod ſuſceperit, munus potuerit implere, aliorum judicium erit: certe quæ brevi ex noſtra officina prodibunt, illius ſcripta oſtendent. Itaque ſi qua occurrent errata, ita illa inſignia erunt, ut exiguus in legendo eorum labor ſit futurus, qui in illa incident. Nam ſi quando erratum eſt, in diſtinctionibus, in clauſularum interpunctis, in notis verborum, cum exemplar tot

Digitized by Google

mendis refertum ſingulis fere verbis litura corrigeret, (quod quidem neceſſe fuit) erratum eſt : quæ omnia, niſi quis plane ea oſcitanter legat, aut plane imperitus ſit, animadverti facile poſſunt. Atque ut labor etiam facilior videatur, genus orationis efficit, quo utitur Facius in ſcribendo, cum quidem (quæ una res maxime aſſequendæ Scriptoris ſententiæ conducit) ita apertum, atque explicatum ſit, nihil ut eo clarius, dilucidiusve excogitari poſſit. Tulit vero hoc ſive caſus quidam, ſive (id quod verius eſt) hujus fœditas exemplaris, qua quidem tollenda magno doctorum hominum ſtudio opus eſſe videbatur, ut, præter Brutum, præſtantes alii ingenio homines & eruditione ſuum in hoc ipſum ſtudium conferrent. Nam & Genuæ antea Franciſcus Maria Cibo, vir clariſſimus & doctiſſimus, multa, quæ depravata erant, ex ingenio reſtituerat : & Lugduni, cum adhuc eſſet ſub prælo opus, jam Bruto profecto, Minutulus, ut maxime valet judicio, emendavit etiam multa. Id quod etiam pari ſtudio egit, adhibitis doctiſſimis hominibus, magnæ juvenis nobilitatis Scipio Cibo, Alberici Principis propinquus, cujus nomini inſcripti Facii Commentarii eduntur. Nam ſi qui ſunt, quibus minus Bruti judicium poſſit probari, quod non librarii modo errata, ſed Scriptoris etiam, ſi qua erant, tollenda conſuerit, facile ille quidem patitur (dum habeat, quo ſententiam ſuam tueatur) quot capita hominum ſint, quod proverbio increbruit, tot etiam ſententias eſſe. Tantum porro abeſt, ut ille hujus rei invidiam vereatur, ut magnæ etiam idipſum ſibi dari laudi contendat. Nam eum ingenii eſt hoc potuiſſe, tum voluiſſe ingenuitatis & moderationis, quæ magna quidem & ſolida laus, haud ita multorum eſt. Qui enim ea in arte, quam profitentur, æquari ſibi alium velint, tametſi communis utilitatis cauſa velle id debeant omnes, perpauci ſunt, qui ut ſe videri alius melior poſſit, ſui laboris & ſtudii acceſſione efficiat, vix unus aut alter erit. Itaque ſi quid in Phidiæ ſigno, qui ita ea arte excelluit, ut quæ primum edidiſſet, & aſpecta ſimul eſſe, & probata, dicta ſint, noſtri temporis artifex præclarus & animadvertat prudenter, & ſcite emendet, ita ſtatuendum eſt, eo in homine præſtantiam artis, moderationis laudem conſequi ſingularem. Sed de his alias pluribus, is cujus negotium eſt: nos (quod eſt reliquum) quæ tui cauſa, lector, egimus, ea, ut boni conſulas, rogamus. Vale. Datum Lugduni Calendis Junii M. D. LX.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM,

Quæ in hoc Libro continentur.

A

ACerræ ab Alphonso obsessio 23.
Acerrani ultro se Alphonso dedunt 130.
Albericus Mallectus Franciſci legatus 163.
Alexander Cottiniola 251.
Alexander Sforția 167.
Alphonſus Acerram Ludovico concedente recipit 27.
Alphonſus ad oppugnationem arcis Regiæ impediendam cum exercitu Neapolim contendit 123.
Alphonſus Antonio Centilia ad deditionem compulſo bellum feliciter abſolvit 190.
Alphonſus Antonium fugat, ſuditque 155.
Alphonſus a Pontifice jus ſucceſſionis in Regno Neapolitano obtinet 29.
Alphonſus Aragonum Rex 4.
Alphonſus arcem Averſanam menſe ſeptimo obſeſſam recipit 134.
Alphonſus arcem Capuæ obſidet 36.
Alphonſus arcem Capuanam recipit 157.
Alphonſus a ſuæ factionis hominibus accerſitur e Sicilia ad Regnum Neapolitanum occupandum 70.
Alphonſus Averſam recipit 131.
Alphonſus cum Patriarcha inducias facit 103.
Alphonſus Barcinonem appulit 46.
Alphonſus Beneventum, arcemque recipit 136.
Alphonſus Borgia Epiſcopus Valentinus 158.
Alphonſus Cajetam adoritur 75.
Alphonſus Cajetam claſſe pervenit 199.
Alphonſus Cardona 154.
Alphonſus claſſe victus a Genuenſibus, & captus Philippo Mediolanenſium Duci abſenti ſe dedit 89.
Alphonſus cum Bopherio Africæ Rege acie congreſſus victor diſcedit 63.
Alphonſus cum Principum ac Rerumpublicarum legatis Cajeta Neapolim proficiſcitur ad tractationem de pace perficiendam 268.
Alphonſus, & Genuenſes navali prælio confligunt 87.
Alphonſus expeditionem in Africam parat 61.
Alphonſus Federico Imperatori Ca-

Digitized by Google

Capuam usque obviam procedit 228.
Alphonsus Gerbas insulam occupat 63.
Alphonsus hosti cedens Theanum se recipit 102.
Alphonsus in Hispaniam proficiscens, Petrum fratrem Vicarium Neapoli reliquit 41.
Alphonsus in Siciliam ex Africa redit, infectis rebus 66.
Alphonsus Joanni Hispano Regi bellum infert, ut Henricum fratrem a Rege in custodia habitum in libertatem vindicet 51.
Alphonsus in Picenam expeditionem cum exercitu proficiscitur 164.
Alphonsus Isclam insulam capit 40.
Alphonsus legati Pontificii precibus adductus Acerræ jam pene captæ oppugnationem intermittit 26.
Alphonsus Lucaniam occupat 128.
Alphonsus Luspanus Archiepiscopus 231.
Alphonsus magna clade hostibus illata ad Trojam oppidum terga dare cogit 230.
Alphonsus Massiliam adoritur classe 42.
Alphonsus Massiliam captam deserit 46.
Alphonsus mira celeritate usus oppidum Sanctum Germanum, quod Riccius ceperat, recipit, ac ipsum fugat, fuditque 143.
Alphonsus Neapolim advenit 20. 114.
Alphonsus Neapolim obsidet 141.
Alphonsus Neapolim partim dolis, partim vi intrat, eaque potitur 148.
Alphonsus Neapolim revertitur, Florentino bello parum feliciter absoluto 241.
Alphonsus Neapolim triumphans ingreditur, Regno in suam potestatem redacto 156.
Alphonsus Neapolim conventum indicit 155.
Alphonsus, Neapolitana oppugnatione relicta, Capuam redit 116.
Alphonsus plura oppida in Campana Regione capit 117.
Alphonsus plurima oppida in ora maritima ad Minervæ promontorium capit 28.
Alphonsus Protonotarius 159.
Alphonsus Surrentum frustra oppugnat 143.
Alphonsus Puteolos recipit 142.
Alphonsus quinque dierum inducias Florentinis concedit, cum in eorum agro cum exercitu esset 210.
Alphonsus Raimundum Buillum auxilio Philippo mittit adversus Venetos, ac Franciscum Sfortiam 202.
Alphonsus Reginæ legato auxilium promittit 6.
Alphonsus Corsicam oppugnat 12.
Alphonsus Savonam perducitur 91.

Digitized by Google

Alphonſus tempeſtate coactus iterum Cajetam, unde diſceſſerat, claſſe appulit 42.
Alphonſus Tranenſem arcem obſidione capit 109.
Alphonſus Vicarum vi capit 143.
Alphonſus una cum Nicolao Piccinino bellum adminiſtrat in Piceno 164.
Alphonſus urbem Neapolim in poteſtatem ſuam redigit, diripique a militibus ſinit 36.
Alphonſus Urſino ſui exercitus Duce bellum Joſiæ rebellanti infert 191.
Alphonſi ad Principum & Rerumpublicarum Legatos de pace reſponſum 268.
Alphonſi ad Venetum legatum reſponſum 254.
Alphonſi claſſis Neapolim advenit 33.
Alphonſi contra Antonium Centiliam expeditio 186.
Alphonſi cum Jacobo Caudola ad Vulturnum prælia 122.
Alphonſi & Renati ad Caudinam vallem prælium 128.
Alphonſi exercitus ad Plumbinenſem obſidionem morbo peſtilenti laborat 211.
Alphonſi milites e claſſe in urbem irrumpunt 34.
Alphonſi mores ac laudes 151.
Alphonſi oratio ad ſuos, antequam caperetur 85.
Alphonſi Regis ad Ferdinandum adhortatio, cum eum in Florentinam expeditionem mitteret 232.
Alphonſi terreſtris exercitus, qui ad Cajetam obſidendam manſerat, audita Regis captivitate, obſidionem ſolvit, ac ab obſeſſis in fugam conjicitur 89.
Alphonſum in Hetruriam cum exercitu ire parantem morbus impedit 255.
Alvarus Luna 36.
Amadeus Sabaudienſis Dux 160.
Amurathes Turcarum Princeps 222.
Angelus Joannes Lomellinus 260.
Antonius Aquilanus Calabriæ præfectus 13.
Antonius Calvus a Renato abeunte arci Regiæ præficitur 153.
Antonius Caraffa Reginæ legatus ad Alphonſum 4.
Idem ad Alphonſo opem petit Reginæ nomine 4.
Antonius Cardinalis Ilerdenſis 223.
Antonius Caudola 73.
Antonius Caudola cum Alphonſo amicitiam conjungit 132. 237.
Antonius Caudola Jacobi filius 131.
Antonius Centilia ab Alphonſo rebellat 185.
Antonius Fliſcus Petrum Aragonium, & Fregoſios ad naves ſe recipere cogit 36.
Antonius Fuxanus 218.
Antonius Luna Cajetæ præfectus 42.
Antonius Olcina 239.

An-

Digitized by Google

Antonius Pontadereus 74.
Antonius Ridius copiarum Dux 200.
Antonii Panormitani Oratio ad Cajetanos Alphonsi nomine 79.
Aquilæ a Bracio obsessio 27.
Aragonii Reges, ac ceteri captivi a Philippo propter fœdus dimissi 93.
Arcis Neapolitanæ ab Alphonso exædificatio 22.
Arnaldus Fenoledæ ærarii Regis custos 202.
Arnaldus Urgelensis Episcopus, Franciscus Ursinus, Berengarius Harilius Alphonsi legati ad Pontificem 163.
Artalis Luna ab Alphonso Barcinone Neapolim fratri auxilio cum classe missus 51.
Aruns Cibonius 142.
Aversus Ursinus ab Alphonso conductus 232.

B

BAlthasar Ratta 68.
Baptista Fregosus 52.
Baptista Fregosus Ludovici classis Dux 10.
Baptista Guanus Genuensis legatus ad Alphonsum 241.
Baptista Goanus 183.
Baptista Lomellinus *ibid.*
Bartholomæus Coleo 251.
Bartholomæus Facius a Genuensibus ad Alphonsum de induciis faciendis legatus missus 178.
Bartholomæi Facii oratio ad Alphonsum 179.
Bartholomæus Vicecomes Novariensis Episcopus 262.
Berengarius Barilius Alphonsi classis Dux 217.
Bernardus Centilia 26.
Bernardus Medices 208.
Benedictus Pallavicinus 84.
Bernardus Sterlicius 218.
Bernardus Villamarinus cum classe adversus Venetos ad Alphonso missus 221. 259.
Bernardus Villamarinus Neapolim ovans post navalem victoriam ingressus 262.
Blasius Azeretus Genuensium classis præfectus 84.
Blassius Passaniti Comes in obsidione Acerræ occisus est 26.
Bonifacius Montisferrati Princeps 256.
Bopherius Africæ Rex 63.
Bracius ab Alphonso conductus 13.
Idem Castromare recipit præter arcem 20.
Bracius Montonius 3.
Bracio Capua a Regina in ditionem data 23.

C

CÆsar Martinengus 142. 199.
Cajetani Antonio Luna Alphonsi præfecto cedente deditionem faciunt 49.
Carolus Campobassus 204.
Caraffellus Caraffa 67.
Caraffellus Carafla, ac Jo. Tudisius

Digitized by Google

diſſus legati a Rege ad Genuenſes de pace agenda 183.
Carolus Gallorum Rex legatos de componendis diſcordiis inter Alphonſum ac Renatum mittit 127.
Ejuſdem legati, quibus ob inducias arx Regia credita erat, eam, Alphonſo permittente, Renato tradunt, ut convenerat, cum inducias non approbaret *ibid.*
Carolus Gonzaga 246.
Carolus Gonzaga cum fratre infeliciter pugnat 249.
Carolus Gonzaga Venetorum nomine Ludovico fratri bellum infert 247.
Catharina Apiana, Rainaldo Urſino viro ſuo mortuo, Plumbini Principatum capit, ac cum Alphonſo reconciliatur 223.
Chriſtophorus Cajetanus 4. 11.
Ciccus Antonius Juriſconſultus 231.
Claſſis Genuenſium tempeſtate diſjecta 262.
Concio Alphonſi ad ſuos adhortandos, antequam navale prælium committeretur, in quo ſuperatus ac captus fuit 86.
Concio Panormitani ad Cajetanos 80.
Concio Regis ad milites in Plumbinenſi obſidione 217.
Conditiones Italicæ pacis 271.
Conjuratio de urbe Ludovico tradenda exitum infelicem conſequitur 12.
Cotius Niger 243.
Cotius Valiani turrim Florentinis ultro prodit 244.

D

Dieteſalvius Nero Florentinorum legatus 263.
Diomedes Caraffa 147.
Dominicus Capranicenſis Cardinalis Firmanus Nicolai Pontificis legatus ad Regem de pace 263.

E

Emanuel Apianus, Catharina Apiana ſorore ſua mortua, Plumbinenſium Principatum capit 223.
Eraſmus Trivultius 94.
Eugenius Quartus Pontifex Maximus 101. 140.
Eugenius Joannem Viteleſcum Patriarcham Aquilejenſem Iſabellæ Andegavenſi auxilio mittit 102.
Eugenius Pontifex e vita excedit 203.
Eximinus Corella 64. 207.

F

Federicus Imperator Neapoli ab Alphonſo magnifice acceptus 228.

Digitized by Google

Federicus Imperator Romanorum hoc nomine tertius corona aurea a Pontifice decoratur 227.
Federicus Urbinatium Princeps Florentinarum copiarum Dux 212.
Ferdinandus ad Aretium & Cortonam plura caſtella capit 235.
Ferdinandus Alphonſi filius Federico Imperatori Terracinam uſque obviam procedit 228.
Ferdinandus, irrito incepto, ab Hetruſca expeditione Neapolim redit 257.
Ferdinandus, irrito incepto, obſidionem Caſtellinæ ſolvit 238.
Ferdinandus Regis filius in expeditionem alteram contra Florentinos Dux proficiſcitur 232.
Ferdinandi milites in agro Florentino prædam agunt 238.
Florentini ac Veneti Franciſco Sforiæ contra Pontificem auxilia mittunt 198.
Florentini belli cauſæ 200.
Florentini cum Franciſco Sforia ſocietatem ineunt 231.
Florentini Folianum recipiunt 243.
Florentini Legatos de pace ad Alphonſum mittunt 214.
Florentinorum Legatorum oratio ad Alph. 208.
Florentini milites in inſidias a Regiis illecti capiuntur partim, ac fugantur 236.
Florentini Ricinium recipiunt 242.
Florentinorum claſſis ab Alphonſo victa 216.
Fœdus initum inter Aragonios ac Philippum 117.
Franciſcus Aquinianus 69.
Franciſcus Aringerius Senenſis ad Alphonſum legatus 255.
Franciſcus Barbavaria Philippi legatus 191.
Franciſcus Baucius Adrienſium Dux 227.
Franciſcus Caſtillioneus 172.
Franciſcus Centilia 216.
Franciſcus David 218.
Franciſcus Gaula 10.
Franciſcus Martinellus 211.
Franciſcus Pandonius 104.
Franciſcus Piciniuus ad Montem Ulmum oppidum acie victus & captus 186.
Franciſcus Piciniuus a Philippo conducitur 202.
Franciſcus Sachetus Florentinus 203.
Franciſcus Severinus 138.
Franciſcus Sforcia 137.
Franciſcus Sforcia a Mediolanenſibus deficiens ad Venetos tranſit 213.
Franciſcus Sforcia a Rege Philippi rogatu pecunia adjutus 202.
Franciſcus Sforcia copiis auctus hoſtes ad decertandum provocat 199.
Franciſcus Sforcia cum Raimundo Buillo per legatos in colloquium

loquium venit 199.
Franciſcus Sforția cum Philippo Mediolanenſi Duce ſocero ſuo in gratiam redit 169.
Franciſcus Sforția, & Renatus Andegavenſis inter Olium atque Abduam omnia occupant 251.
Franciſcus Sforția Mediolanum occupat 224.
Franciſcus Sforția Nicolaum Piciniuum ad certamen per tibicen vocat 177.
Franciſcus Sforția Nicolaum Picininum ad Montem Aurium oppidum fudit, fugatque 182.
Franciſcus Spinola præſidii dux Cajetæ 76.
Franciſcus Urſinus Reginæ copiarum Dux 14.
Franciſcus Urſinus Romæ præfectus 160.

G

GAleatius Baldaſinus 218.
Gartias Cabanellus 136. 232.
Gartias Medineus 83.
Gentilis exercitus Veneti Ducis interitus 245.
Genuenſis claſſis Neapolim invadendi ſpeciem præbet, inde infectis rebus abit 259.
Genuenſes, auctore Franciſco Spinula, a Philippo Vicecomite rebellarunt 94.
Genuenſes pacem cum Rege conficere non poſſunt 272.
Genuenſes triremes in terram illiſas propter metum claſſis Regiæ deſerunt 260.
Genuenſium claſſis Cajetam oppugnat 48.
Genuenſium expoſtulationes cum Alphonſo 241.
Georgius Alamannus 68.
Georgius Nurius Philippi legatus 197.
Gerardus Gambacurta 242.
Gibertus Corregienſium Princeps 251.
Gilibertus Ortanus ab Alphonſo Scanderbecco auxilio miſſus 222.
Gotardus Donatus 270.
Guido Forellus Genuenſium claſſis præfectus 47.
Guido Forellus claſſi Neapolim adoritur 49.
Guilielmus Moncada 26.
Gulielmus Montiſerrati Principis frater 251.
Guilielmus Raimundus Moncada 154.
Guterias 155.

H

HEleonora Alphonſi ſororis ac Luſitaniæ Regis filia Federico Imperatori Alphonſo autore nupſit 228.
Hector Faventinus Princeps 236.
Hieronymus Barbadicus Venetus legatus 262.
Honoratus Cajetanus 204.

Digitized by Google

I

JAcobus Caudola catharro correptus moritur 128.
Jacobus Caudola, & Franciſcus Sfortiæ filius Bracium acie vincunt 48.
Jacobus Caudola Renati copiarum Dux 95.
Jacobus Cavianus proditionis ſuſpectus a Philippo capite plectitur 200.
Jacobus Conſtantius 224.
Jacobus Lagoniſſa 106.
Jacobus Petruſius Averſæ arcem prodit 36.
Jacobus Piciniuus a Venetis Dux exercitus factus 245.
Jacobus Piciniuus Quintianum oppidum oppugnat, ac vi capit 247.
Janotius Pitius Florentinorum legatus ad Alphonſum 208.
Induciæ inter Alphonſum & Ludovicum 27.
Induciæ inter Joannem Hiſpanum & Alphonſum 75.
Inicus Ghevara 217.
Inicus Ghevara cum mille equitibus ab Alphonſo ad Ferdinandum filium in Florentinos auxilio miſſus 256.
Joanna Alphonſum in filium adoptat 10.
Joanna cum Ludovico Andegavenſi Duci in gratiam per Martinum Pontificem Maximum redit 47.
Joanna & Alphonſus diſſidere inter ſe incipiunt 29.
Joanna & Ludovicus per legatos Philippum Mariam Mediolanenſem Ducem perſuadent, ut ipſis ad Regnum recuperandum auxilium ferat 47.
Joanna Neapolitanorum Regina Sfortiam Cottiniolam Pontificis auxilio mittit 3.
Joanna Neapoli auſugit 35.
Joannes Antonius Caudola 218.
Joannes Antonius Martianus Sueſſanorum Dux 70.
Joannes Antonius Urſinus a Patriarcha capitur 102.
Joannes Antonius Urſinus Capuam ad Alphonſi partes juvandas cum exercitu contendit 47.
Joannes Antonius Urſinus Capuam in ſuam redigit poteſtatem 45.
Joannes Antonius Urſinus cum ob adipiſcendam libertatem Patriarchæ ſe militaturum recepiſſet, ipſo diſceſſo, ad Alphonſum redit 110.
Joannes Antonius Urſinus Taliacotii Comes 222.
Joannes Antonius Urſinus Tarentinus Princeps Alphonſi partibus mirifice addictus 68.
Joannes Balbus 176.
Joannes Calatagero 65.
Joannes Caraffa 108.
Joannes Caramanicus 69.
Joannes Caratiolus ab Alphonſo in

Digitized by Google

in cuſtodia retentus 30.
Joannes Caratiolus pro Bernardo Centilia, ac Raimundo Perilione captivo Reginæ ab Alphonſo reſtituitur permutatione 36.
Jo. Cardinalis Morinenſis 203.
Joannes Cardona Alphonſi claſſis præfectus 33.
Joannes Coxa 153.
Joannes Ferdinandus Alphonſi legatus 17.
Joan. Franciſcus Miletenſis 240.
Joannes Fregoſius, ac Joannes Antonius Fliſcus de Præfectura Genuenſis claſſis in contentionem veniunt 147.
Joannes Heredia 63.
Joannes Hiſpaniæ & Alphonſi Aragoniæ Regum diſſidia in apertas inimicitias ac bellum erumpunt 58.
Joannes Hiſpaniæ Rex cum Aragonium Regnum nequicquam invaſiſſet, in ſuo Regno ſe recipit 59.
Joannes Hiſpaniæ Rex iterum cum Alphonſo bellum gerit 59.
Joannes Julius 240.
Joannes Ludovicus Fliſcus auxilio Fregoſis venit 36.
Joannes Maurus Venetus legatus ad Alphonſum 252.
Joannes Maurus Venetorum legatus apud Senenſes 236.
Joannes Navariæ Rex cum Alphonſo fratre captus Genuæ, Mediolanum deducitur 93.
Joannes Nicolaus Pontificis legatus 234.
Joannes Nuceus 171.
Joannes Olzina 207.
Joannes Philippus Fliſcus Genuenſis claſſis præfectus 258.
Joannes Sforzia Aſculum urbem tuetur 180.
Joan. Tolentinus Franciſci Sforziæ miles 260.
Joannes Vintimillius 65.
Joannes Vintimillius, ac Raimundus Buillo Averſanam arcem obſident 131.
Joannes Vintimillius Alphonſo autor eſt, ut ad Carpinonem cum Antonio Caudola decertet 147.
Joannes Vintimillius Capuam pro Rege captivo tuetur 94.
Joannes Vintimillius Dux exercitus a Rege in expeditionem alteram in Picenum miſſus 99.
Joannes Vintimillius fortiter Sforzianos perſequitur 24.
Joannes Vintimillius partem Reginæ equitatus fudit 103.
Joannes Vintimillius univerſi exercitus Regis ſimul ac Philippi Imperator factus 194.
Joannes Zurlus 103. 205.
Joannis Mauri opera pacem Alphonſus comprobat 262.
Joſias Regi conciliatur 191.
Iſabella Renati Andegavenſis conjux 182.
Italianus Boromæus 201.
Italianus Furlanus a Philippo crimine proditionis convictus ſecu-

Digitized by Google

ſecuri percutitur 197.
Italianus Furlanus Philippi copiarum Dux 192.

L

Ladislaus Ungariæ Rex 228.
Laurentius Cottiniola 108.
Leonellus Acortiamurus 232.
Leonellus Ferrarienſium Princeps 205.
Ludovicus Andegavenſium Princeps 10.
Ludovicus Andegavenſium Princeps apud Conſentiam mortem obit 76.
Ludovicus Andegavenſium Princeps claſſe Neapolim invadit 7.
Ludovicus arcem Capuanam recipit 50.
Ludovicus Cardinalis Aquileienſis Eugenii ad Alphonſum legatus de pace 158.
Ludovicus Columna Reginæ copiarum Dux 4. 11.
Ludovicus Crotus Genuæ a Philippo præfectus 79.
Ludovicus Gontaga Mantuanus Princeps 244.
Ludovicus Jacobi Caudolæ aſtu, qui ab Alphonſo ad ipſum deficiebat, Neapolim intrat, Hiſpanique cedunt 49.
Ludovicus Podius 139.
Ludovicus Tiburtius 94.
Ludovici legatorum ad Pontificem oratio 17.
Lupus Simenes 151.
Lupus Verreus 154.

M

Manfredus Corregienſium Princeps 251.
Marinus Boſſa 110.
Marinus Boſſa in Alphonſi gratiam recipitur 113.
Marinus Fregoſus 251.
Marinus Martianus Ruſſanenſium Princeps 227.
Martinus Nutius 218.
Martinus Pontifex per duos legatos Cardinal. de concordia inter Alphonſum & Ludovicum agit 25.
Martini V. Pontificis Maximi & Bracii Montonii inimicitiæ 3.
Maſſilia ab Alphonſo capitur, incenditur, diripitur 45.
Maſſiliæ deſcriptio 43.
Matthæus Maleferitus 170.
Matthæus Maleferitus Alphonſi legatus ad Senenſes, ut eos contra Florentinos incitaret 255.
Matthæus Pojades 207.
Matthæus Victorius Venetus 205.
Matthæi Alphonſi Regis legati ad Philippi Triumviros oratio 171.
Mazarius Gallus a Renato abeunte Montanæ arci præficitur 153.
Mazeus Januarius 147.
Mediolanenſes Alphonſum de auxi-

Digitized by Google

xiliis contra Venetos orantes in amicitiam recipiuntur 207.
Michael Cottiniola 251.
Michael Coza 37.
Micheletus Cottiniola Venetarum copiarum Dux Philippi exercitum ad Casalem vicit 202.
Minicutius Aquilanus 69.

N

NAves Alphonsi in Siracusano portu a Venetorum classe incensæ 223.
Neapolio Ursinus ab Alphonso conductus 232.
Neapolitani in duas diviſi factiones, Andegavensem, & Dyrrachinam 8.
Nicolaus Datia Campanus 93.
Nicolaus Filiacus 231.
Nicolaus Fregosius 120.
Nicolaus Grimaldus Genuensis legatus ad Alphonsum 150.
Nicolaus Guerrerius Philippi copiarum Dux 53.
Nicolaus Guerrerius, clade accepta, Clavarum se recipit 55.
Nicolaus Guerrerius Sigestrum recipere conatur 54.
Nicolaus Guerrerius 171.
Nicolaus Piscitellus Archiepiscopus Neapolitanus 227.
Nicolaus Picininus 24.
Nicolaus Picininus universo exercitui a Rege in Piceni bello praficitur 167.
Nicolaus Picininus in certamen provocatus, a Francisco illuditur 177.
Nicolaus Quintus Pontifex Maximus e vita discedit 272.

O

ORatio Antonii Panormitani ad Venetos de pace gratulatus 224.
Oratio Dominici Cardinalis Firmani Pontificii legati ad Alphonsum de pace 267.
Oratio Joannis Mauri Veneti Oratoris ad Regem de pace 253.
Opicinus Alnatis Genuæ prætor 94.
Osinus Camiolus 67.
Otolinus Zoppus pontidiæ Dux Cajetæ 76.

P

PAscalis Mariperius Venetus 205.
Patriarcha ad Tranum recipiendum proficiscitur cum exercitu 107.
Patriarcha Aquilejensis bello contra Franciscum Sfortiam a Pontifice præfectus 105.
Patriarcha Aquilejensis Pontificis legatus cum Jacobo Candola

Digitized by Google

dola reconciliatur, a quo per quasdam simultates dissenserat 106.
Patriarcha iterum cum Caudola dissentit 107.
Patriarcha paucis comitantibus, relicto exercitu, Romam metu percussus aufugit 108.
Patriarcha, spretis inducirum pactionibus, Alphonsum exercitu petit, ac ad Aversam levi prælio concurritur 107.
Pax inter Alphonsum ac Venetos 224.
Pax inter Eugenium & Alphonsum 161.
Pax inter Venetos, Florentinos, ac Franciscum Sfortiam, inconsulto Rege, facta 256.
Pacis conditiones inter Alphonsum ac Genuenses 144.
Pacis inter Alphonsum ac Senenses confectio 256.
Pacis Italicæ tractatio 206.
Pacis Italicæ comprobandæ tractatio apud Regem 264.
Pacis Italicæ tractatio apud Pontificem 256.
Pacem, quam ad Laudum oppidum Veneti, Florentini, & Franciscus Sfortia fecerant, Rex comprobat 20.
Paulus Sangrus 182.
Paulus Sangrus ab Antonio Caudola ad Alphonsum deficit 153.
Pestis in Neapolitana Civitate grassatur 27.
Petrus Aragonius Alphonsi frater 32.
Petrus Aragonius Cajetam urbem occupat 119.
Petrus Aragonius Genuenses classe adoritur, Fregosiis auctoribus expeditionis adjuvantibus 52.
Petrus Aragonius Joanni Hispaniarum Regi traditus captivus, ac ab Henrico fratre cujusdam oppidi permutatione redemptus, a Lusitanis adjutus ipsi Hispaniæ Regi bellum infert 59.
Petrus Aragonius Neapoli urbe cedit 51.
Petrus Aragonius occiditur, capite a tormenti ictu percusso 115.
Petrus Brumaurus a Francisco Sfortia ad Regem cum DCCC. equitibus transit 167.
Petrus Brumaurus, ac Troilus ob suspitionem proditionis a Rege in custodia habiti 178.
Petrus Cardona 214.
Petrus Cotta 176.
Petrus, & Fregosii Sigestrum capiunt 35.
Philippus Mediolanensium Dux cum Alphonso fœdus init 37.
Philippus, Francisco tertium rebellante, in desperationem incidit 203.
Philippus Maria Vicecomes mortem obit, ac Regem testamento hæredem relinquit 208.
Philippus Regem orat, ut exercitum e Piceno abducat 170.

Phi-

Digitized by Google

Philippi ac Franciſci altera reconciliatio 202.
Philippi morum deſcriptio 93.
Piceni bellum tertio ab Alphonſo in Pontificis gratiam ſuſceptum 196.
Prælia inter milites factionis Aragonenſis & Andegavenſis ad Capuam 73.
Plumbini oppugnatio fruſtra ab Alphonſo tentata 220.

R

RAimundus Buillius 202.
Raimundus Buillius ab Alphonſo ad bellum Picenum cum mille equitibus miſſus, cum Pontifex amplius auxilii poſtularet 197.
Raimundus Caudola 140.
Raimundus Nolanus Regulus 9.
Raimundus Pirilio Alphonſi claſſis Dux Regiæ auxilio venit 99.
Raimundus Pirilio Cajeta a Petro ad Alphonſum fratrem miſſus cum claſſi, ut eum in Regnum advehat, ad Veneris portum ei præſto eſt 100.
Raimundus Urſinus 212.
Raimundus & Reginæ congreſſus 9.
Raphael Adurnius Reipublicæ Genuenſis Princeps 183.
Relingerius Caudola 73.
Remundus Anechinus 36.
Renatus a Joanne Burgundiæ Duce captivus ſervatur 59.
Renatus Alphonſum provocat ad decertandum ſignis collatis; ſed cum de loci electione non conveniſſet, nihil eſt actum 112.
Renatus Andegavenſis a Florentinis accerſitur 251.
Renatus Andegavenſium Princeps, Ludovico mortuo, ab ejus factionis Neapolitanis Proceribus accerſitur 67.
Renatus Antonium Caudolam comprehendendi, ac in cuſtodiam Duci jubet, propter ejus fidei ſuſpicionem, ac paulo poſt dimittit 137.
Renatus clam in Apuliam contendit, ut ſe cum Antonii Caudolæ copiis conjungeret 134.
Renatus cum tentaſſet arcem maritimam per proditionem capere, non ſuccedit; multique e ſuis illecti ſpe, decepti, ac capti ſunt 123.
Renatus in arcem Regiam ſe recipit 152.
Renatus Neapolim claſſe petit 110.
Renatus plurima oppida in Apulia recipit 139.
Renatus, rebus deſperatis, Regno Neapolitano cedit 147.
Renatus Regiam arcem expugnare aggreditur 124.
Renatus Scaphatum deditione capit 110.
Renatus Sulmonem oppugnat d fru-

Digitized by Google

fruſtra 113.
Renati milites arcem Divi Vincentii acri dimicatione capiunt 124.
Rex bellum adverſus Venetos decernit 214.
Rex Caſtilione potitur 213.
Ricius 150.
Robertus Nequus 175.
Robertus Sforția 167.
Rodericus Murius Hiſpanus peditum ductor 199.
Robertus Montarboteus 199.

S

SCanderbeccus Epiri Regulus Alphonſum de auxilio contra Turcos oratum mittit 222.
Sforția Averſam per proditionem capit 36.
Sforția Cottiniola a Regina deſciſcit, eique bellum infert 3.
Sforțiæ & Bracii prælium ad Averſam 22.
Sforțiam Regina de auxilio orat 32.
Sforțiæ prælium ſecundum adverſus Bernardum Centiliam Alphonſi copiarum Ducem 32.
Sforția Piſcariæ flumine aquis obrutus mortem obit 49.
Sigiſmundus Malateſta 212.
Sigiſmundus Malateſta a Rege ad Florentinos deficit 212.
Simon Guilinus, Gunifortis Bergomenſis, legati a Philippo ad Alphonſum de bello Piceno 163.
Simonetus copiarum Dux a Rege conductus 240.
Siretus Vultabius 260.
Stœchades inſulæ 42.

T

TArtalia a Sforția ſecuri percuſſus 46.
Tartalia Dux militaris 18.
Thomas Caraffa 221.
Thomas Epiſcopus Bononienſis, qui poſtea Pontifex Maximus fuit ab Eugenio ad Alphonſum legatus miſſus 204.
Thomas Fregoſus Genuenſium Principatu expulſus Petrum Aragonium ad auxilium ſibi ferendum, Alphonſo approbante, impellit 52.
Tibertus Brandolinus 249.
Tranenſes Regi ultro deditionem faciunt 107.
Triademus Grittus 231.
Trojanus Cracciolus 101.
Trupianæ arcis præfectus eam Ludovico tradit, ut pactus ante fuerat 151.

V

UBertus Squartiaficus 240.
Ventio Alphonſi Regis ad voluptatem Federici Imperatoris comparata 230.
Veneti ad Caſtrum Leonem a Franciſco Sforția magnam accipiunt

Digitized by Google

cipiunt cladem 252.
Veneti in Mediolanenſium fines irruunt 245.
Venetorum Triremes a Bernardo Villamarino in fugam verſæ, ac aliquæ captæ 221.
Ugutio Contrarius 171.
Victor Rangonus 136.
Urſius Urſinus 232.

X

XAntus arcis Capuanæ præfectus ipſam arcem Alphonſo tradit 37.
Xantus Matelonenſis 133.

Z

ZAmpanias Renati Dux 120.
Zacharias Triviſanus Venetus legatus 262.

FINIS.

BAR-

Digitized by Google

Digitized by Google

BARTHOLOM. FACII

IN LIBROS X. COMMENTARIORUM DE REBUS GESTIS AB ALPHONSO I. NEAPOLITANO REGE

PRÆFATIO.

ETsi nonnullos viros hæc ætas tulit, qui præstanti ingenio atque doctrina præditi, tum ad alia quæque, tum ad res gestas scribendas peridonei existimari possunt; fuerintque & nostra & patrum nostrorum memoria aliquot Populi, ac Principes clari, qui magna ac laudabilia facinora gessere: ea tamen est apud plerosque novarum rerum negligentia, ut perpauci ad scribendam historiam sese conferant. Sunt enim quos, cum legerint aut Alexandri, aut Cæsaris, aut Populi Romani facta, hæc nova, ac recentiora non multum delectent. Namque ita se res habet, ut quæ nobis notiora & familiariora sunt, hæc in minore pretio, nescio quonam modo, habeamus. Ego vero haud abnuerim, nec Regem, nec Ducem, nec Civitatem ullam ætate nostra, aut etiam avorum nostrorum extitisse rerum gestarum gloria & virtute cum iis comparandam. Quamquam quis est adeo imperitus rerum, qui nesciat vel eorum res, quos modo nominavi, diserto-rum Scriptorum beneficio nonnihil illustriores atque ampliores factas esse? Sed certe & hæc recentiora judicio meo tanti sunt, ut eos etiam in ætatem suam quodammodo ingratos atque iniquos putem, qui, quæ contigere suo tempore, veluti levia quæ-

Digitized by Google

dam ac notitia parum digna negligere videantur ; cum ea ipſi potius verbis extollere deberent, & aut aliorum ingeniis illuſtrata perlegere, atque in honore habere, aut eloquentiam hominum, ut res ſui ſæculi ab interitu vindicare vellent, excitare. Hæc tametſi veniebant in mentem, non uſque adeo tamen valuer[illegible], ut [illegible], exiſtimantem me nulla in re honeſtiore, ac jucundiore exerceri ingenium poſſe. Namque ut fructum taceam, qui ex hiſtoria maximus capitur, nulla profecto res eſt, quæ tanta cum delectatione aut ſcribentis, aut legentis animum teneat, cum propter alia multa, tum propter temporum viciſſitudines, fortunæque varietates, quibus ea redundat omnis. Ac noſtri quidem ſæculi res geſtas conſideranti mihi Alphonſi Regis facta admirationem in primis afferre aſſolent, qui a remotiſſimis Hiſpaniæ oris in Italiam profectus, cum alia multa memoratu digna geſſit, tum Neapolitanum Regnum magnum atque opulentum ſingulari virtute perdomuit. Quocirca res ejus literis mandare, & quantum fuerit in me, illuſtrare conſtitui, ne tantarum rerum cognitio poſteris obſcura relinquatur. Quod ſi pro rei magnitudine fortaſſe minus conſequi potuero, at cæteris omnibus, qui volent, iiſdem de rebus poſthac ſcribendi facultatem præbuiſſe non inanis operæ, ut arbitror, fuerit. Ab Neapolitano igitur bello initium facturus, ejus cauſam, atque originem primum repetens, paulo altius omnia aperiam.

Digitized by Google

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER PRIMUS.

MArtinus Quintus Pontifex Maximus, is qui ſacroſanctam poteſtatem Pontificiam Tyrannorum quorundam ſcelere prope everſam reſtituit, cum Florentiæ degeret, Bracii Montonii injuriis laceſſitus, a Joanna Neapolitanorum Regina opem petiit. Ea vero Sfortiam Cottiniolam, regiarum copiarum Præfectum, auxilio petenti miſit: qui, ſecundis aliquot prœliis factis, ad poſtremum acie victus, ut ſibi decretum ſtipendium invideri agnovit, quorumdam opera, qui primum apud Joannam dignitatis locum obtinebant, omnia ad ſuam potentiam revocare cupientium, Ludovicum Andegavenſium Principem, Regem poſtea appellatum, uti ad Neapolitanum Regnum capeſſendum veniret, quod ad ſe pertinere profitebatur, per literas, ac nuntios exhortari cœpit, operam in id bellum impigre pollicitus. Facile movit Ludovicum, jam multo ante Neapolitanorum quorumdam exulum quotidianis ſuaſionibus ejus Regni cupiditate inflammatum, ejus viri auctoritas, quem acceperat, præter egregias belli artes, in Neapolitano Regno complura oppida tenere. Lætus itaque talibus nuntiis renuntiari Sfortiæ juſſit perjucunda ſibi accidiſſe, quæ ultro obtuliſſet, & ob eam rem gratias agere; bellum Neapolitanum ſibi & prius, & tum maxime cordi eſſe, talem præſertim virum, ac ducem copiarum nacto: paraturum ſe omni cura claſſem, qua Neapolim traiiciat. Simul cum iis, qui ad ſe venerant, mittit, qui de ſtipendio, ac cæteris rebus ad bellum pertinentibus cum eo agant, actaque ad ſe referant. Quibus omnibus conſtitutis, Sfortia extemplo, coactis diſſipati exercitus reliquiis, Campaniam proficiſcitur; fineſque Regni ingreſſus, ut per pacatum agrum, agmen duxit, nec divini quicquam, aut humani violavit, prius quam Neapolim pervenit. Ibi demum, nullo ad conſpectum agminis concurſu facto, ad mille ab urbe paſſus, caſtris per otium poſitis, hoſtem ſe Joannæ profeſſus eſt. Tum ingens trepidatio & pavor per omnem Campanum agrum, ſimulque fuga agreſtium, pecorumque in oppida munita fieri cœpta. Initio ejus adventus plerique cives, quos Joannæ Reginæ tæderet, ſeſe ad eum in

Digitized by Google

caſtra contulerunt, cum his ſatis conſtaret illum pro Ludovico gerere bellum. Quorum acceſſu elatus Sfortia (in iis enim erant nonnulli ſummo loco nati) aperte laceſſere Joannam cœpit. Illa, quamquam inopinati hoſtis adventu, & civium ad eum tranſitione conterrita, haud ſegniter tamen ad urbis defenſionem intendit. Itaque quamprimum, diſpoſitis ad omnes portas, circaque in muris, opportunis quibuſque locis, ſtationibus, neque hoſti, neque infidis civibus opportunitatis quicquam ad tentandas res novas reliquit. Poſthæc delectus raptim in urbe, atque agris fieri placuit; convehendæque undique annonæ, ac muniendæ urbis ratio, curaque inita.

Joanna deinde conſultante quonam modo inſtantibus periculis obviam iretur, cenſuere omnes, qui aderant, externa auxilia imploranda eſſe (neque enim tam Sfortiæ conatus, quam Ludovici adventus metuebatur), ſed primum a Martino Pontifice Maximo, ad quem Regni tutela pertineret, ac ſi ea ſpes falleret, ab iis Principibus, ac Regibus, qui ſe juvare modo vellent, præcipue ab Alphonſo Aragonum Rege, cujus in Sardiniam claſſe profecti jam tum ingens in Italia nomen erat. Hac ſententia comprobata, Joanna confeſtim Antonium Caraffam cognomento Malitiam, cui maxime confidebat, mittit, jubetque, niſi intra certum diem auxilium a Pontifice impetret, ad Alphonſum in Sardiniam naviget, atque ab eo auxilium poſtulet: ſimul quæ illum Regi polliceri velit, auxilii impetrandi gratia edocet. Poſt hæc Franciſcum Urſinum & Ludovicum Columnam claros copiarum Duces mercede conducit: Chriſtophoroque Cajetano accerſito (hi omnes ad mille equites ducebant) Joanni Caratiolo Urbis cuſtodiam demandat. Hic genere clarus, virtute, & forma corporis clarior, omnium longe princeps apud Joannam erat. Malitia navi longa, ac biremi acceptis Piſas, atque inde pedibus Florentiam ad Pontificem profectus, qui per id tempus in ea urbe, a Bracio pulſus, ſedem ſuam conſtituerat, ſeſe contulit. Qui cum Joannæ diſcrimen docuiſſet, & requiſito auxilio, ſpem modo ſibi dari animadverteret, ſtatuit ad Alphonſum traiicere, Joanna prius de ſua profectione certiore facta. Ejus conſilium confirmavit, atque adiuvit fortuna. Erat enim forte per id temporis Florentiæ Gartias quidam Hiſpanus Eques, Alphonſo percarus, qui, cognita cauſa adventus Malitiæ, cum haud dubiam auxilii regii ſpem feciſſet, uti ad Regem continuo navigaret, perſuaſit. Prægreſſus itaque Plumbinum, quo naves ire juſſerat (neque

Digitized by Google

(neque enim una cum Gartia ire voluit, ne quid ejus viri comitatus ſuſpicionis Pontifici præberet), petito a Pontifice commeatu, ſimulatoque Neapolim reditu, ad confirmandam auxilii ſpe Joannam ibi hominem præſtolatus eſt: qui cum eodem paulo poſt tranquillo mari in altum evectus in Sardiniam trajecit.

Interea Neapolitani Andegavenſis factionis Ludovicum crebro per literas, ac nuntios monere, atque hortari, ut mature inſtructa claſſe, quam Genuæ parabat, confeſtim accedere, ne cunctaretur. Futurum ei poſtea perdifficile, quod tunc facile factu haud dubium eſſet, ſi illum Alphonſus, quem Reginæ auxilio venturum ſuſpicabantur, cum claſſe præveniret, fruſtra poſtea amiſſam opportunitatem quæſiturum, fortunamque imploraturum. Proinde ſi ea res ſibi cordi & curæ eſſet, maturaret: ita facto opus eſſe. Et jam Ludovicus Columna, & Franciſcus Urſinus, quos a Joanna conductos dixi, Chriſtophoruſque Cajetanus cum copiis acceſſerant, Sfortiamque a ſolitis excurſionibus prohibebant, & cives, quorum fides ſuſpecta erat, in officio continebant. Neque enim erat quiſquam, qui ſe ducem profiteri auderet. Ludovici adventum taciti omnes opperiebantur. Legatus ab Alphonſo benigne & comiter exceptus, facta loquendi poteſtate, primum de Reginæ in eum unum ſpe, atque animo verba fecit. Poſthæc difficultates ac pericula expoſuit: Ludovicum Andium Ducem illam paterno & hæreditario Regno exuere conari: parare claſſem, qua Neapolim petat: Sfortiam, quem illa ſibi in adverſis ſuis rebus unicum præſidium exiſtimaverat, ſibi hoſtem e duce factum, caſtriſque ante urbem poſitis, omnibus belli cladibus agros vaſtare: eam vero, & ſi non deerant Reges alii, qui opitulari ei vellent, ac poſſent, ab eo potius opem poſtulare voluiſſe, ob nominis ejus celebritatem, ac gloriam; proinde orare, atque obteſtari, uti Reginæ cauſam tuendam ſuſciperet, neve pateretur eam per injuriam Regno ſpoliari: celeritate vero ante omnia opus eſſe; quandoquidem & Sfortia cum ingentibus copiis urbi immineat, & Ludovicus cum claſſe brevi affuturus putetur, quam Genuæ parari certum ſit: magnæ ſibi laudi gloriæque fore, ſi laborantem Reginam, & rebus diffidentem ſuis, in antiquam dignitatem, ſtatumque reſtituerit; quod ut haud gravate onus ſuſciperet, Reginam, ubi ſe tueri vellet, ei primum omnium in filium adoptato, Calabriæ Ducatum, qui honor Regiorum filiorum maximo natu haberi ſoleat, cum Regni ſucceſſione pollicerı. Cum hæc dixiſſet, Alphonſus, allata modo auxilii ſpe, rem

ad

Digitized by Google

ad consilium detulit: nec ferme ullus fuit, qui id bellum suscipiendum diceret, quoniam permagnos sumptus postulare videbatur: & erant, qui vererentur, ne, si bellum diutius trahi contingeret, Neapolitani satis constantes in bello futuri essent; quod eam gentem consilia variare ad fortunæ mutationem solere, fama erat. Re igitur suspensa, cum adhuc incertus esset, quid ageret, Legatus, quem Ludovicus ad eum miserat, triremium decem petendarum gratia, quas classi, quam Genuæ parabat, adiiceret, cognito Malitiæ adventu, ejusque causa, ad eum profectus, inquit, scire se, legatum a Joanna missum ab eo opem postulare, nec id dissimulari posse: cæterum existimare se haud commissurum, ut novam Joannæ gratiam veteri Ludovici gratiæ, atque amicitiæ prælaturus sit: neque enim sibi causam ullam esse, ob quam justa arma suscipere adversus Ludovicum possit, quicum sit, præter amicitiam, affinitate conjunctus: vocari Ludovicum a Neapolitanis civibus magnis obtestationibus: Regnum, quod sibi legitimo jure debeatur, quodque a civibus ultro offeratur, armis (quando aliter non liceat) vendicare: sibi vero haud dubium esse, si quas petiit naves, Ludovico concesserit, aut certe ei adversus non fuerit, Ludovicum sperati, atque exoptati Regni brevi compotem fore: deberi id certe tum veteri consanguinitati, tum amicitiæ; nec committendum, ut imperandi cupidine a Ludovici amicitia discessisse videatur. Ad hæc Alphonsus, non negare se primum Joannam ab se auxilium petere: cæterum nihil adhuc super ea re decretum esse: cognationem, & amicitiam Ludovici, quam commemorarit, sibi caram esse, eamque magni æstimare: præstaturum se quod Ludovicus postulabat, modo ipse a Genuensium, quibus cum bellum gerebat, societate discederet: Luduvicum vero suam, & Genuensium amicitiam simul habere non posse; quod non sit æquum, neque committendum, sua ut classis cum hostili classe conjungatur.

Cum hoc responso dimissus legatus ad Ludovicum regressus est. Qui, cum utiliorem sibi Genuensium amicitiam, & societatem arbitraretur, in una celeritate victoriæ spem repositam ratus, omisso Alphonsi auxilio, nihil ad conficiendæ classis celeritatem sibi reliquum fecit. Viderunt igitur Regem Reginæ miseræ & afflictæ fortunæ (facile enim alliciunt animos ad misericordiam supplicis preces), quam a se auxilium implorantem aspernari non existimabat ejus esse, qui Regio nomine & majestate dignus haberi

Digitized by Google

haberi vellet. Quamvis autem ſuorum prope omnium contrarias ſententias (ut ante dixi) animadverteret, accerſito ad ſe Malitia, inquit ſe Reginæ cauſam tueri conſtituiſſe, nec paſſurum uti illa e Regno, tot annos a Majoribus ſuis poſſeſſo, eiiciatur: nec vero ſe iis tam moveri præmiis (quamvis permagna ſint, quæ illa ſpondeat) quam ejus incommodis, ac periculis, præſertim cum ad ſe, prætermiſſis cæteris Regibus, certo judicio poſtulatum auxilium intelligat: miſſurum ſe in præſentia Raimundum Pirilionem, præſtantem virum cum roſtratis quatuordecim, qui illi opem ferat, commeatusque ex Sicilia deportari curet. Quæ cum audiſſet Legatus, ſpe plenus, mittere ad Joannam quam primum ſtatuit, qui illam, quæ egiſſet, diligenter faceret certiorem, ut auxilii ſpe allata, fortius labores, atque incommoda belli toleraret; maxime quod Ludovicus claſſem propere parare ferebatur. Quam rem cum Alphonſus comprobaret, Paſchalem Joannæ a ſecretis, qui illi comes datus erat, cum biremi miſit, & quæ egiſſet omnia, quove tempore ſe affuturum cum regia claſſe ſperaret, ad Joannam perſcripſit. Qui, acceptis literis, idoneam ad navigandum tempeſtatem nactus, in altum evectus eſt: & jam navigando ad oppidum, quod Civitatem veterem vocant, pervenerat, portumque ingreſſus, in terram commeatuum petendorum cauſa deſcenderat, cum forte Ludovici claſſis ſubito atque inſperato apparuit. Erant in ea claſſe præter onerarias ſex, roſtratæ duodecim, cujus improviſo aſpectu conturbati, qui in biremi erant, relicto eo homine, cujus expectandi ſpatium propter hoſtium propinquitatem non habebant, anchoram repente moliti, concitato remorum pulſu, Neapolim contenderunt. Sed nihilo magis Joanna ex iis ordine ſcire potuit, quæ Malitia cum Alphonſo egiſſet. Literæ enim omnes amiſſæ erant. Id modo cognovit, venturam propediem, icto jam fœdere, ab Alphonſo claſſem, Paſchalemque apud Civitatem veterem relictum, eumque interceptum putari ab hoſtili claſſe, cujus metu, quod jam appropinquaverat, eo relicto, effugiſſent. Quibus cognitis, quamvis hoſtilis claſſis adventus terrebat, & ejus hominis captivitas gravis erat, vehementer recreati ſunt.

Ludovicus, appulſa ad oppidum claſſe, ut audivit de Paſchale a ſuis deſtituto, hunc inventum ad ſe perduci juſſit, extortiſque literis, cuncta, quæ cum Alphonſo acta erant, cognovit. Poſt hæc, eo in claſſem impoſito, proſperum ventum nactus, paucis diebus Neapolim pervenit; jactiſque ante

urbem

urbem anchoris, navalibusque sociis, ac militibus in terram expositis, quos advexerat, Sfortiam sibi obviam in littus progressum, castra propius urbem metari jussit. Ejus adventus Neapolitanos varie affecit: namque & Andegavensibus longe aucti sunt animi, & Dyrrhachinis imminuti. In has enim duas factiones Neapolitana Civitas, atque adeo omne Regnum divisum erat. Non tamen omnino remisere animos Dyrrhachini, seque expectatione classis Alphonsi solabantur. Itaque imperata pro se quisque impigre atque obedienter facere, ac destinata munera obire, atque exequi. Alii turres ac muros armati custodire: alii urbem die noctuque circumire, atque invisere: alii tela parare, ac tormenta idoneis locis disponere: nec facultatem tentandi aliquid per negligentiam adversæ factioni dare. In eo autem maxime peccatum, in quo quis cessasset, existimantes, de officio certabant. At Ludovicus, hostium expectatione cognita, omnia tentanda arbitratus, priusquam hostilis classis adventaret, rostratas ante urbem sæpius circumvagari jussit, moturos aliquid in urbe Andegavensis factionis homines existimans; quorum cognati & necessarii ad Sfortiam in castra transierant. Cæterum ejus spes atque opinio irrita cecidit. Nam etsi multi in urbe erant, qui Regnum ad illum, depulsa Joanna, deferri cupiebant; tamen inimicorum vis atque diligentia omnem iis novandarum rerum facultatem auferebat. Certabatur quotidie levibus præliis vario eventu.

Dum hæc Neapoli geruntur, Raimundus cum Malitia legato, omnibus ad cursum comparatis, e Sardinia solvit, idoneamque ad navigandum tempestatem nactus, in Siciliam venit. Ibi jussis aliquot onerariis cum frumento sequi confestim, velis sublatis Neapolim petiit. Erant in ea classe naves longæ sexdecim: ad cujus prospectum mira quædam animorum commutatio facta est. Nam quantum Andegavenses remiserunt animos, classis suæ usu prope sublato, tantum Dyrrhachini sustulerunt; tantaque ab iis lætitiæ significatio edita est, flammis per noctem tota urbe perlucentibus, quanta in dubiis rebus fieri assolet, qui auxilio diu ac multum expectato tandem potiuntur. Rostratæ hostium, quæ quotidie in portu ante urbem excurrere ad concitandos civium animos solitæ erant, confestim sub onerarias (erant enim pauciores numero) tanquam sub tutam & eminentem arcem sese recepere: nec libere navigandi, aut discurrendi (tribus præsertim triremibus Joannæ additis) postea potestas fuit. Exposito in terram Malitia, quæ egisset cum Alphonso, non verbis modo, verum

rum etiam rebus ipsis edocuit. Freta hoc auxilio Joanna & a mari omnis generis commeatus capiebat, & a terra hostium vim facile arcebat. Fuit autem hic annus ab ortu Christi Dei nostri vigesimus & quadrigentesimus supra millesimum. Postridie Raimundus navi egressus in magna civium frequentia ad Reginam accessit: qua conspecta, Bono te, inquit animo, Regina, esse Alphonsus jubet; cujus in te pietatem, atque animum, Malitia legato tuo referente, satis scire potuisti. Nullum tamen ejus rei certius argumentum, aut clarius indicium hoc uno est. Simul ac enim ex legato tuo agnovit Ludovicum hostem tuum susceptam expeditionem pertinaciter persequi, ut saluti tuæ, ac dignitati consuleret, me cum hac classe, quam vides, ad te ire una cum legato confestim jussit, quam satis esse & ad urbem tuendam, & ad commeatus inferendos in præsentia existimavit. Quod, si te haud aliter, quam præsente se tanto belli onere levari posse cognoverit, sese cum reliqua classe, reliquisque copiis mox tibi affuturum pollicetur. Cujus rei si usus venerit, sentient profecto hostes a te haud nequicquam, quam ejus opem imploratam esse. Itaque, posito metu, forti fac sis animo, atque Alphonsum tuis rebus adversis nusquam defuturum confide: qui quantum te adjuvare possit & milite & commeatu, supervacaneum dicere existimo. Nam ego (quod ad me attinet), tibi pro mea in Regem fide, Regina, polliceor me pro tua dignitate, ac statu conservando nullum discrimen, ac laborem recusaturum. Ad hæc Joanna, nunquam equidem dubitavi, inquit, quin ab Alphonso facile in tantis malis auxilium impetratura essem; quod nobis ejus humanitas, atque animi specimen haud inauditum erat. Idque mihi unum in calamitatibus meis solatium, ea una spes relicta erat, cum cætera omnia desperationem quandam afferrent: ob eamque causam omnes difficultates ac pericula forti animo tuli. Acceperam enim eum iis Majoribus ortum, qui semper laudi & gloriæ studuerunt: acceperam eo patre & Rege natum, qui consilio atque animo cunctis ætatis suæ Regibus anteisset. De ejus erga me voluntate ex Malitia Legato multa accepi; sed nullum habeo testem certiorem, quam tuum cum hac classe adventum, quo hostes ipsos conterritos videmus. Equidem dum sciam eum incolumem esse, nihil est quod aut hostem metuam, aut pristinam auctoritatem, ac Regni possessionem me recuperaturam desperem. Ego vero ejus auxilium hoc pluris facio, quod in tempore venit, urgente mari terraque hoste, & quod te virum fama præclarum classi ducem da-

Digitized by Google

tum esse conspectio. Hæc ubi dicta, Alphonsum in filium primum adoptatum ingenti omnium assensu, per Præconem Calabriæ Ducem pronuntiari jubet. Deinde Raimundo aureo torque Regis nomine, ut fieri consuevit, ornato, ac per totam urbem in summa Dyrrhachinorum lætitia circumducto, arcis maritimæ, quam Ovi appellant, uti per Malitiam legatum pepigerat, claves tradi imperavit.

Per eos dies Aversana arx, quæ, amisso oppido, nihilominus in fide permanserat, per proditionem in Ludovici potestatem venit. Namque Franciscus Gatula, studio partium ductus, eam petenti, & multa pollicenti Ludovico tradidit, quo postea oppido, tanquam horreo quodam, ac belli sede, propter situs opportunitatem usus est. Neque enim ab Neapoli plus octo millia passuum abest, annona, atque omni frugum genere in primis abundans. Inter hæc Baptista Fregosus ejus classis dux, qua Ludovicus Neapolim trajecerat, postquam Ludovicum mari nihil moliri posse animadvertit, propter hostilis classis adventum, primo Surrentum, inde Genuam abiit. Nec multo post Ludovicus, cum sæpius vim ac dolum nequicquam tentasset, cum exercitu Aversam est profectus, ratus Aversanos facilius in fide contineri, & frumentum, ac necessaria omnia exercitui multo commodius suppeditari posse. Inde quotidie in Neapolitanum agrum procursationibus crebris omnia circa urbem infesta faciebat. Cum hic esset rerum status, & profecta ab Alphonso classis non finem præsentibus malis, sed tantum respirationem quandam attulisse videretur, majusque & gravius bellum id esse appareret, quam quod per Præfectum confici posset: crescentibus in dies Ludovici opibus, finitimisque, plerisque rerum successu ad eum confluentibus, invalescereturque quotidie magis civilis seditio, quæ hoc gravior ac periculosior erat, quo hostis erat propinquior; rursus Joannæ, ac totius Dyrrhachinæ partis animi in unum Alphonsum conversi sunt, nullam salutis spem aliam superesse arbitrantes. Missi igitur placuit ad eum legatos, qui docerent quo statu Neapolitana res esset: quamquam necessarium foret, si Reginæ statum salvum vellet, confestim eum cum reliqua classe Neapolim trajicere: omnia enim, quæ Joanna spopondetit, Raimundo præstita.

Inter hæc, qui Andegavensis partis erant, per crebra hostium colloquia sollicitati de prodenda Ludovico urbe, Neapoli consilium ineunt. Porta erat angusta infrequenti via, ac deserta urbis parte, ad Carbonariam (quam vocant) sita, quam, sub Sforziæ adventum, cemento

Digitized by Google

cemento & calce raptim obſtructa, terra inſuper congeſta cumulaverant. Per hanc cum occultius intromitti hoſtes poſſe conjurati exiſtimarent, compoſitis omnibus, Ludovicum monent, uti quarta noctis vigilia cum Sfortia, atque omnibus copiis tacito agmine accedat; ſeſe, refractis portæ clauſtris, ejus copias repente admiſſuros. Quo diſcrimine cognito, Joanna prope conſternata, Joannem Caratiolum cum omnibus externis copiis, atque urbana juventute urbem ac mœnia obire confeſtim jubet, ne quid conjurati movere auderent. Quod ut conjurati animadvertere, ſua conſilia patefacta arbitrati alii alios hortari cœperunt, uti correptis armis rem exequi properarent; priuſquam inermes domi comprehenſi pecudum modo trucidarentur, Joannem Caratiolum magno armatorum numero per urbem diſcurrere, ac ſuſpicionis hujus ſigna certa edere. Mutuis itaque ſtudiis accenſi, clam arma capiunt, & ad infringenda portæ clauſtra furtim contendunt, quod iis erat facilius, quoniam in iis nonnulli erant, quibus negotium datum fuerat, ut noctu vigilias in muris circum irent. Ad hanc aliquot profecti, eamque, interceptis cuſtodibus, refringere aggreſſi (nam cæteri domi armati ſignum expectabant) ad Ludovicum mittunt haud procul ab urbe præſtolantem, qui moneat uti copias confeſtim admoveat: ita facto opus eſſe. Cæterum cum jam perfoſſo, atque eruto muro, patefactum hoſtibus ingreſſum putarent, tigillus portæ ab interiori parte obductus equitem ingredi inhibuit. Hunc vero ne cædentes ſonitus proderet, nequaquam ſecuribus cœdere audebant. Quod hoſtes conſpicati equis repente delapſi ingredi urbem cœpere: quorum ſtrepitu propinqui vigiles excitati, atque ad portam, quantum uti poſſent, tacite progreſſi, ubi portam patefactam ſenſere, repente ad arma conclamant, teneri ab hoſte urbem, pluresque jam intra muros eſſe. Tum trepidatio ſimul & pavor repente urbem invaſit: ſed minor aliquanto fuit, quod haud omnino improviſa res erat. Ignari primo ubinam periculum foret, armati per urbem diſcurrentes, ne qui motus a conjuratis fieret, qua hoſtes ingreſſos acceperunt, eo catervatim contendere. Primus omnium Chriſtophorus Cajetanus, vir animo & conſilio clarus, cui ea pars mœnium tuenda data fuerat, cum paucis ſuorum ad eum locum equo provectus, conſerto prælio, hoſtilem impetum ſuſtinuit, donec Joannes Caratiolus, ac Ludovicus Columna cum equitatu affuere. Hi non modo ingreſſos expellere, ſed etiam ne alii ingrederentur ſummis viribus contendebant. Atrox certamen erat, præſertim

Digitized by Google

quod in tenebris res gerebatur, nocturno tempore tumultu terrorem augente. Simul duplex cura Dyrrhachinorum augebat animos, una eiiciendorum ex urbe hostium, altera ne conjurati per noctis occasionem sese hosti adjungerent, tergaque eorum invaderent: quorum plerique, fortunæ eventum expectantes, sese Dyrrhachinis immiscuerant. Sed in id unum pertinaciter pugnatum, Sforția contra maxime adnitente, ne tigni rescindendi hostibus potestas esset, ne cum equitatu liberius in urbem irrumperent. Inter hæc Raimundus Pirrio tumultu excitatus cum quingentis navalibus sociis eodem contendit. Quorum interventu Dyrrhachini usque adeo confirmati sunt, ut hostes, jam in fugam inclinantes, extemplo urbe ac mœnibus expulerint. Obstructa rursus porta, eaque urbis parte fidis custodibus firmata, cæteri quique ad stationes sibi demandatas divertere. Post hæc de conjuratis, quorum nonnulli inter hostes pugnantes visi fuerant, habita quæstio est: quorum plerique graviorîs pœnæ metu e muro per funem dilapsi sese ad Ludovicum in castra recepere, horum bona publicata. De cæteris comprehensis, tres conjurationis auctores securi percussi, reliqui pecunia multati sunt: atque ex eo argento multatitio in ærarium relato bellum, quod alioquin vix sustineri poterat, aliquandiu pertractum est. Postridie Ludovicus, qui ad mille passus ab urbe equitatu fretus substiterat, ut nec motum ullum in urbe concitari, nec hostes ad pugnam prodire animadvertit, ad multam diem cum exercitu Aversam se recepit. Crebræ deinde procursationes, uti consueverant, utrinque fiebant, nec circa urbem pacati quicquam relinquebatur. Cæterum Dyrrhachini adeo sustulerant animos, patefacta conjuratione, depulsis urbe hostibus, frumenti & cæterorum commeatuum importatione, ut jam hostiles excursiones, minasque contemnerent.

Interea legati a Joanna ad Alphonsum missi in Corsicam pervenerunt. Namque Alphonsus per id temporis Corsos oppugnabat, Bonifaciumque oppidum, totius insulæ ac gentis caput, castris sub urbem positis, obsidebat: hique, ubi potestas loquendi facta est, pluribus verbis Regi disseruerunt, cur Joanna ejus ad Neapolim profectionem perneceſſariam existimaret. Deinde docuerunt eundem & Reginæ filium, & Calabriæ Ducem pronuntiatum, arcemque maritimam in Raimundi manu esse. Quibus acceptis, Alphonsus non defuturum se Reginæ, & matri optime de se meritæ cum respondisset, omnibus celeriter ad navigandum comparatis, in Siciliam trajecit, inde, ut primum sibi commodum foret,

Nea-

Digitized by Google

Neapolim petiturus. Misitque ad Joannam cum legatis, qui illam de adventu suo in Siciliam certiorem facerent, seque brevi ad illam venturum significarent. Quo ad illum profecti Antonutius Aquilanus Calabriæ Præfectus; & Hieracii, Terrænovæ, ac Sinopolitanus, & alii quidam ejusdem regionis proceres cohortati sunt, postquam Calabriæ Dux a Regina factus esset, mitteret quempiam e suis, qui eam Provinciam, pulsis inde adversariis, tuerentur. Quorum consilio probato, Joanna Hixeritanum regiæ stirpis carissimum sibi hominem, & in quo multas & singulares animi ac corporis dotes inesse norat, cum imperio eo misit. Qui in Brutios, quos nunc cum Calabris uno nomine Calabros vocamus, cum aliquanto equitatu transgressus, conjunctis copiis cum Antonutio, ac cæteris, primum Maletum petiit: quo oppido vi capto, & in fidem recepto, paulo post Neocastrum petens, & ipsum quoque oppidum in Regis potestatem redegit. Deinde in Gratis fluminis vallem, quod flumen ab antiquis Acheron appellatum, & Alexandri Epirotæ nece nobilitatum Consentiam influit, progressus, multa præclara facinora adversus Franciscum Sfortiam, & Crotoniatem Regulum, aliosque Andegavensium partium edidit. Interim dum arma, dum juventutem, dum pecuniam & commeatus præparat, de ratione belli cogitare intentius cœpit. Jam enim cernebat animo quanta esset ejus futura belli moles. In primisque cum animadverteret sibi turpe ad famam fore proficiscentem se ad Reginam obsidione liberandam ipsum in urbe Neapoli obsideri; Bracium, qui Sfortiæ opponeretur, mercede conducere instituit. Erant hi duo clarissimi ac præstantissimi ejus tempestatis copiarum duces. Bracius quidem genere, opibusque illustrior. Cæterum scientia rei militaris, animi magnitudo & auctoritas in utroque propemodum pares, non solum æmulationem inter illos accenderant, sed etiam graves inimicitias peperierant, adeo ut non veluti hostes, sed tanquam inimici invicem bellum gererent, alter alteri semper adversi infestique. Una re dispares erant, quod Bracius animi tantum viribus, Sfortia non animi modo, verum etiam corporis pollebat. Bracius enim uno latere debilitatus armis uti non poterat. His de rebus existimavit Alphonsus nullum a se copiarum Ducem Joannæ rebus utiliorem conduci posse. Misit igitur ad eum de Joannæ voluntate nuntios, qui de eo conducendo agerent. Qui cum intelligeret si Ludovicus, pulsa Joanna, Regno potiretur, Sfortiam æmulum, postea Ludovici favore

atque

atque opibus ſubnixum, multo quam ſe potentiorem fore, oblatam conditionem lætus accepit. Cæterum dum profectionem parat, complures dies interceſſere: cujus moræ duæ fuerunt cauſæ: una quod ſtipendium ad eum ſerius miſſum eſt, altera quod non ſatis tuto relinqui ſua exiſtimabat. Is enim Martino Pontifici infenſus aliquot Romanæ ditionis oppida armis occupaverat: quam quidem rem illi poſtea exitio fuiſſe crediderim, quaſi cum Superis bellum gerenti. Verebatur enim, ſimul ac in Campaniam cum copiis tranſiſſet, ne Pontifex, immiſſo exercitu, receptis iis, quæ amiſerat, ſua inſuper oppugnatum iret.

Interim Alphonſus ordinandis Siciliæ rebus, præparandisque quæ ad bellum gerendum opus eſſe videbantur, omnem curam ac ſtudium adhibebat, frequenteſque nuntios ad Bracium, uti adventum maturaret, dimittebat. Itaque Bracius, compoſitis domi rebus, oppidiſque præſidio firmatis, e Peruſio tandem movit, ac per Pelignos Sulmonem devenit: quinquagintaquinque millibus paſſuum uno die confectis, celerius opinione omnium Capuam eſt profectus, fruſtra tendente Sfortia, qui de ejus profectione acceperat, ne in Campaniam tranſgrederetur: cumque celeritate adventus ſui famam præveniſſet, fallendorum hoſtium ei opportunitas data eſt. Nam cum poſtridie equites, quos præſidii cauſa ad Mariæ Majoris *vicum* Ludovicus miſerat, ut ſolebant, haud procul a Capua excurſionem feciſſent, & ii, qui obviam exierant, ex compoſito cederent, ut perſequentes in inſidias illicerent, Bracius cum equitatu ex urbe repente egreſſus, tantum iis terroris injecit, ut primum impetum non tulerint, nec prius finem fugiendi fecerint, quam ad vicum, unde diſceſſerant, pervenerint. Hic vero, confirmatis paulum animis, loci fiducia conſtitere, ac ſub templum, quod in arcis modum emunitum erat, ſeſe receperunt. Inſignis ea pugna pro numero equitum fuit, quos cum Bracius diutius præter ſpem reſiſtere intueretur, exhortatus milites, eos intra muros præcipites repulit, templumque eodem impetu præter turrim cœpit, cujus expugnatio eo difficilior videbatur, quod in eam confugerant Peruſini quidam ejus factionis, quæ Bracio adverſa erat, quos mortis metus audentiores ad reſiſtendum faciebat: hique, a Bracio venia data, arce exceſſerunt, ipſo vico in Joannæ poteſtatem redacto, omnique hoſtium equitatu prope capto. Poſt hæc Bracius Capuam reverſus, nullo jam obſiſtente, quod equitatu ſuperior erat, Neapolim profectus eſt, & quod tam diu adventum ſuum diſtulerat, prius prope in conſpectu urbis

Digitized by Google

bis fuit, quam de ejus adventu nuntiis fides haberetur. Interea dum Bracii adventus expectabatur, quod multi civium ex conjurationis reliquiis ad Ludovicum inclinare videbantur, & pecunia in ſtipendium militi deerat, legati ſex ad Alphonſum denuo miſſi fuerunt oratum, ne quid amplius eorum ſpem deſereret, ſi ſe ſalvos eſſe cuperet: Ludovicum enim undique copias cogere, omniaque ad bellum traducendum neceſſaria ſumma cura providere: periculum eſſe, ne qua nova conjuratio, ſi diuturnior obſidio foret, in urbe rurſus excitaretur: Bracium, omnibus rebus domi conſtitutis, mox affore: non eſſe humanitatis ejus, quibus tantam de ſe expectationem præbuiſſet, eorum ad extremum ſalutem negligere: multos quotidie cives, nec infimos quidem, ſed qui & genere & gratia inter cives valeant, in hoſtium caſtra confluere, atque ad res novas hos ſollicitare, quibus cum aliqua ſolicitudine junctí ſunt; quibus omnibus malis ipſe unus mederi poſſet. Profecto Neapoli Bracio, colloquioque cum Joanna habito, literæ quamprimum ad Alphonſum de ea re datæ, ut ſi quid ejus viri expectatio adventum ejus moraretur, quæ vulgo increbruerat opinio, omnem penitus moram reſcinderet. Quod cum Alphonſus cognoviſſet, profectionem maturare inſtituit.

At Ludovicus poſt Bracii adventum, quod erat impar viribus, nihil temere agendum ratus, a ſolitis excurſionibus, ac populationibus ſuos continebat. Sed magis eum angebat Alphonſi expectatio, quem ſciebat majores, quam ſe, vires ad alendum bellum habere, & ſuſceptam ſemel expeditionem non deſerturum. Qua de re ad Martinum Pontificem, qui in eum pronior, quam in Alphonſum, erat, legatos mittere decrevit; iique ad eum profecti hunc in modum locuti ſunt: Exiſtimamus non ignorare te, ſumme Pontifex, Alphonſum Aragonum Regem Neapoli in dies expectari, eumque ſub auxilii prætextu Neapolitanum Regnum invadere conari: cujus rei haud ambigua argumenta ſunt, quod ſe prius a Joanna in filium adoptari, & Calabriæ Ducem, ac Succeſſorem inſtitui per legatos voluit, quam e Corſica moverit: quæ omnia illi haud repugnanter conceſſerit, ut ea, quæ viribus diffiſa metuit ne regno ſpolietur, quamlibet conditionem ferre haud renuens, modo, quamdiu vivat, Regno frui, aut certe Reginæ nomen retinere poſſit. Nec illud ignoras, Bracium acerrimum inimicum tuum ab eodem Rege mercede conductum, cum multo equitatu jam in Campanum tranſiſſe, mox

his

his oppidis bellum illaturum, quæ Ludovico portas aperuerant: cui uni cum resistere vix possit, quod is plus valet equitatu, quam Sfortia, accedentibus novis Alphonsi viribus, quid arbitraris fore? Cedat sane, & ab incœpto desistat oportet: quod si quo fato acciderit, non debet apud te dubium esse, quin id juris, atque auctoritatis, quod Pontifex Maximus eo Regno habes, is brevi tempore elevaturus sit. Rex sublimi animo dominandi cupidus ex longinquis Hispaniæ oris, ac gentibus feris profectus omnia suæ potestatis faciet: arbitrio pro lege utetur: nec tributum debitum pendet: nec Regni insignia, quæ tui juris sunt, a te accipere dignabitur; cujus exemplum sequuturi posteri Pontificibus deinceps adversi atque infesti, aut certe contumaces erunt. Quæ cum ita sint, Summe Pontifex, tuarum partium fuerit in id summa ope eniti, ne Ludovicus bello succumbat. Nam cum sis Christianæ Reipub. Dux, & moderator, omni a te ratione providendum est, ne quid detrimenti ejus Regnum capiat. Bracio, haudquaquam Regi comparando, tibi bellum inferente, magnam existimationis tuæ partem amisisti. Quid igitur censes fore, si a Rege tam opulento tibi tollatur auctoritas? Quod quidem facile tibi contigerit (utinam falsus vates sim), si ad providendum his malis tardior fueris. Neque enim eas habet Ludovicus copias, quibus Alphonsi, ac Joannæ vim sustinere diutius queat. Tu vero, cum per Bracii transitum in Campaniam magno belli onere levatus sis, poteris commode, si voles, Ludovicum adjuvare: quem adjuvans facile amissa recuperabis. Quod ni feceris, & Ludovicus Neapolitanum Regnum, & tu de Pontificia majestate atque auctoritate non parum profecto amiseris. Quod ne evenire patiaris, te per summam hanc tuam potestatem, ac per omnes Superos obsecramus. Facto dicendi fine, ea sibi curæ fore Pontifex respondit, spemque auxilii præbuit, quod ut præstaret, duæ eum potissimæ impellebant causæ: una, quod Bracium, quem maxime oderat, ulciscí cupiebat: altera quod Ludovicum sibi multo obtemperantiorem existimabat fore. Cum hac spe dimissi legati, Ludovico certiore facto, inde ad Florentinos, ac cæteras Italiæ civitates, & ad Philippum Mariam Mediolanensium Principem profecti, docuere quanto in periculo Italiæ Principes essent futuri, si Alphonsum Regni Neapolitani compotem fieri paterentur: quod tanti Regni opes vel moderatum Regem, nedum imperii ac gloriæ cupiditate flagrantem, ad occupandum Italiæ Imperium allicere, atque incitare sat possent. Singulos populos, ac Principes ei postea, par-

to

Digitized by Google

to Regno, non futuros pares, cui nunc conjuncti, & ad bellum conſentientes illo haud dubie ſuperiores futuri eſſent. Deteſtabile profecto cuivis deberet eſſe, qui ſit in Italia natus, Hiſpanos habere Dominos, & opulentiſſimam atque amœniſſimam Italiæ partem pati Aragonenſium provinciam eſſe. Simul ſummis precibus orabant, atque obteſtabantur uti Ludovico auxilium ferrent, ac bellum id omnino ad ſe pertinere cogitarent; nec ſinerent Regem amicum, in quem maxime Neapolitani Regni pars conſentiret, eo Regno extrudi, unde maximos fructus capere conſueſſent. His atque hujuſmodi verbis Civitatum, ac Regulorum animos concitare conati, benignis modo reſponſionibus relatis, ad Ludovicum rediere.

Haud multo poſt Tartalia, inter militares Duces ea tempeſtate celebris, cum equitibus mille a Pontifice ad Ludovicum venit; quo equitatu auctus, hoſtibus prope par effectus eſt. At Alphonſus dignitatis ſuæ arbitratus eſſe, priuſquam e Sicilia ſolveret, legatum ad Ludovicum mittere, qui illum ab incœpto revocaret, aut, ſi id non poſſet, ei bellum indiceret, quod Matri opem ferre cogeretur; Joannem Ferdinandum magno conſilio virum Neapolim mittit, qui ſe perbrevi adventurum Joannæ ſignificet, ſimul qui Ludovico denuntiet, niſi e Neapolitanis finibus cum exercitu abſcedat, ſeſe auxilio Reginæ venturum: ſe quidem invitum adverſus eum arma ſuſcipere, quocum ſibi conſanguinitas & amicitia ſit; ſed eos, qui ſeſe in ſuam fidem & tutelam dederint, deſtituere non videri id humanitatis ſuæ. Quod ſi antiqua jura repetantur, intelliget Ludovicus ad ſe magis, quam ad eum id Regnum jure pertinere, quod per Aragonum Reges, quibus ipſe ſucceſſerit, ad quos Regnum id per Conſtantiam Manfredi Siciliæ Regis filiam, quæ Petri minoris Aragonum Regis uxor fuit, ad ſe perveniat; Carolumque illum, qui primus, pulſo Manfredo, Regnum invaſit, nullo juſto titulo Regnum tenuiſſe: quod ante eum Henricus Imperator, Rogerii Primi Siciliæ Regis gener, Regnum illud hæreditarium legitimo jure tenuerit: ſed tamen, quamvis hæc ſciret, noluiſſe fœminam vexare, exiſtimantem maxime iniquum eſſe, quæ Ladislao fratri legitime ſucceſſerit, hanc Regno exui. Reginæ obitum ab eo expectari ſatius fuiſſe, qua mortua, fortaſſe Regnum ſine certamine ad ſe rediſſet. Monere, ac rogare ſe uti ab incœpto abſiſtere in animum inducat, ſuamque amicitiam retinere, quam inimicitias experiri malit: quod ſi fecerit, perpetuam ſibi cum eo gratiam atque a-

Digitized by Google

micitiam fore; ſin aliter animatus ſit, bellum paret. Cum his mandatis legatus Neapolim profectus, poſtquam Alphonſum brevi venturum Joannæ ſignificavit, confeſtim ad Ludovicum acceſſit, cui cum Regis mandata expoſuiſſet, irritatus his multo magis Ludovicus, Alphonſum facere injuſte ait, qui ipſum eo Regno expellere conetur, quod Carolo avo ſuo legitimo jure a Pontifice Maximo conceſſum, ab eo juſte repetatur. Non eſſe ſibi obſcurum Alphonſum non tam auxilium Joannæ ferre in animo habere, quam ejus Regnum occupare. Quod autem, inquit, poſſeſſionis antiquitatem ſpectari oportere, non eſſe ita: ſed quo jure, quove titulo quis poſſideat. Nam quæ vel juſto bello parta, vel ab eo, qui dandi poteſtatem habeat, tradita ſunt, hæc injuſte poſſideri quis arguat? Non debere Alphonſum ignorare, id Regnum a Pontifice Romano ſummo omnium conſenſu Carolo avo traditum olim fuiſſe. Cæterum illum dominandi libidine omnia humana, ac divina jura negligere. Se tamen ſperare Deum æquum judicem, unde jus ſit, inde victoriam daturum. Se vero neque denunciationibus belli, neque terroribus ullis ſuſceptam expeditionem deſerturum. Inter hæc Joanna de Caſtro Maris recipiendo cogitare cœpit, quod oppidum a Ludovico tenebatur. Nimis enim propter propinquitatem Neapoli imminebat. Itaque eo Bracium mittere cum copiis ſtatuit. Iſque prima noctis vigilia cum exercitu clam hoſtibus profectus, ante lucem ad oppidum pervenit. Cujus inopinato atque improviſo adventu perculſis oppidanis, antequam iis ſui colligendi, aut arma capiendi facultas daretur, irruptione facta, oppidum præter arcem primo impetu cepit, ac diripuit: nonnullos præterea vicos circumjectos expugnavit, præda militi conceſſa. Quod ſimul atque Ludovico renuntiatum eſt, Sfortiam cum equitatu, atque eo delecta, quem raptim cogere potuit, eo confeſtim mittit, qui oppidanis auxilium ferat, & Bracium, ſi poſſit, reditu intercludat. Cujus conſilio Brachius per exploratores cognito, in his locis ſibi haud diutius morandum ratus, quod omnis circa ager hoſtilis eſſet, quodque ea loca adhuc militi ſuo ignota; antequam Sfortia cum exercitu appareret, relicto oppido, atque omiſſa arcis oppugnatione, confeſtim abire inde conſtituit. Itaque ſecunda noctis vigilia, inſtructo agmine, quaſi ubique hoſtis occurſurus, ſecus mare iter faciens, Sarni fluminis oſtia propinqua oppido primum tranſgreſſus, atque inde ad oppidum Turrim, quod alii Octavii, alii Græci vocant a vini copia, ſuos incolumes Neapolim reduxit. Qua re cognita, Sfortia, cum nihil

amplius

Digitized by Google

amplius posset proficere, in Aversanum, unde jam moverat, rediit.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER SECUNDUS.

DUm haec Neapoli aguntur, Alphonsus, cognito Ludovici animo, e Sicilia digressus, ad Ænariam insulam, quam Ischiam vocant, classem appulit, jactisque anchoris, in portu substitit. Quod postquam Joannae nuntiatum est, Joannem Caraciolum cum nonnullis Optimatum ei obviam quam primum misit, qui illi de adventu ejus gratularentur; deinde gratias ageret, quod se non deserendam in tantis laboribus existimasset, ac demum rogaret, uti ad arcem maritimam, quae in ipsius potestate esset, cum classe proficisceretur; atque ibi tantisper morari non gravaretur, donec, quae pro ejus adventu celebrando decreta essent, pararentur. Quae cum accepisset Alphonsus, ad eam arcem subito concessit, ibique constitit. Movit maxime Joannam insigne quoddam virtutis specimen, quod & vultu & verbis Rex praeseferre videbatur, atque illustrium virorum comitatus: Siquidem praeter milites, ac navales socios, quorum ingens erat numerus, ad mille & quingentos, tum equestris ordinis viros, tum Regulos partim ex Hispania, partim e Sicilia secum ad id bellum vexerat. Quae tanta potentia conspecta, etsi Joannae nonnihil molesta erat, quoniam ejus opes elevatura, aut certe obscuratura videbatur; tamen eidem renuntiata, ingenti eam spe atque laetitia replevit. Postridie paratis omnibus, Alphonsus cum ex arce maritima in Regiam accerseretur, Neapolitanis civibus obviam progressis, scaphisque completo portu, classem expediri, exercitumque, instructa acie, in adversum litus prodire jussit, simulachra quaedam navalis terrestrisque pugnae invicem edentes, rem profecto dignam spectaculo. Collustratoque per hunc modum portu, puppibus ad litus conversis, in terram sub urbem descensum est. Ad quem mox Bracius progressus, vehementer inquit, Rex, optavi, ex quo ad me nominis tui fama pervenit, aliquod tempus accidere, quo mihi amicitiae tuae conciliandae opportunitas aliqua daretur. Post-

Digitized by Google

quam vero ea mihi occasio, & facultas data est, nihil profecto potius habui, quam ut ad te confestim proficiscerer: constitutisque, quam celerrime fieri potuit, domi rebus, in Campaniam, quo me vocasti, accessi; nulloque periculo, aut labore declinato, Neapolim contendi; meorumque militum virtute hostium ferocitatem ita repressi, ut qui prius ante Neapolitana mœnia quotidie excurrentes, hunc agrum incendiis, ac populationibus vastabant, nunc vix intra Aversæ mœnia se tutos existiment. Ad ea paucis Alphonsus, suam gratiam illum pridem consequutum ob egregiæ virtutis famam, hanc vero non parum ejus in matrem merita auxisse, pro cujus salute quos labores, quæve discrimina subierit, se satis scisse; pergeret modo, majoraque præmia, quam sibi animo proponeret, si belli exitus ex sententia foret, expectaret. Simul his dictis ad eam portam, quæ Capuam fert, ire pergit.

Intranti urbem universa Civitas visendi studio ei obviam effusa. Admirabantur autem non regalem corporis ornatum, sed in tanto ætatis flore virtutis tantam opinionem. Hac multitudine circumfusus, præeuntibus longo ordine Sacerdotibus, sacrumque carmen canentibus, per singulas Nobilium sessiones inter saltationes, & cantus ad arcem Regiam pervasit. Quo simul atque eum ingressum Joanna accepit, ad palatii limina obviam progressa, postquam eum exosculata est, claves portarum ipsius arcis ei illico, spectantibus omnibus, tradi jussit. Deinde gratias, inquit, ago Superis, qui dedere, ut te in hoc Regno meo præsentem præsens intueri possim, qui mihi absens decori, ac saluti fuisti. Fatebor namque ingenue me hanc urbem, atque hoc Regnum, quod mihi reliquum fortuna fecit, beneficio tuo possidere. Nam postquam Raimundus cum classe auxilio venit, ea meditari, atque agere non destitit, quæ mihi prospera, hostibus adversa existimaret. Nam, ut cætera omittam, qua nocte conjurati Ludovico urbem prodere conati sunt, tandiu anceps certamen cum hoste intra muros fuit, quoad Raimundus eodem tumultu excitatus, cum navalibus sociis occurrit. Bracius vero primo adventu non solum a procursationibus solitis Sfortiam prohibuit, sed etiam Castrum Maris, & alia quædam loca circumjecta uno impetu cœpit. Quæ beneficia nisi majora existimem, quam possim verbis æquare, ingratissima profecto sim: ut autem me hisce auxiliis gravissimo obsidionis periculo levasti, ita profecto adventu tuo omnem belli motum sustulisti. Nam qua gravi-

Digitized by Google

gravitate, quo consilio, atque animi magnitudine præditus sis, ne nobis quoque in Italia ignotum est. Hunc ego certe diem omnium, qui mihi ad hoc ætatis illuxerint, fauſtum ac feliciſſimum duco habeoque, quo te salutis ac dignitatis meæ defensorem acerrimum in hac urbe mea, meoque regno conspicio: cujus vel adventu ipso cives meos haud mediocriter recreatos vides. Ad hæc Alphonsus, maxime, inquit, Regina, lætor subsidium meum, quem optabam, rebus tuis fructum attuliſſe. Namque ut primum legatus tuus ad me in Sardiniam profectus mihi labores, ac discrimina tua narravit, nihil profecto mihi potius fuit, quam ut, missa classis parte, te quamprimum ab obsidione vindicarem; quod periniquum censebam me, in quem unum salutis tuæ spem jeciſſes, discrimina tua negligere. Postquam vero res tuas arctiores factas cognovi, prætermissa expeditione certa, ut te e tanto belli incendio eriperem, contendi, quod ut præstare possim, mihi spondet causæ tuæ æquitas, quam rem multum in bello valere compertum est. Facto orationis fine, intra tecta conceſſit regali opulentia atque apparatu instructa. Sub meridianum tempus postquam quieti indultum est, ad Ioannam se contulit: quæ (universa civitate in lætitiam effusa) intentis per mœnia custodibus, ne quid ab hostibus detrimenti per dolum acciperetur, ejus adventum festivis virginum ac nuptarum choris celebrabat, unaque cum ea variis sermonibus diem exegit.

Dehinc animum ad belli curas convertit, existimans esse dignitatis suæ aliquid se dignum adventus sui initio gerere, ne in expectatione, quam de sese haud mediocrem concitarat, Reginam, & Dyrrhachinos frustra adduxiſſe videretur; simul ne terror hosti de se injectus in fiduciam mox, atque in contemptum verteretur, si per segnitiem tempus tereret. Itaque cum ei nuntiatum esset hostes ex Aversa pabulandi causa egressos, Bracium eo cum copiis repente misit, Sfortiam opprimi posse arbitratus, si quam primum obviam iretur. Cæterum horum nihil Sfortiam fefellit. Namque id veritus, speculatores procul in diversa miserat, ne qua vis incautum circumveniret, atque uti paratos per agros milites colligendi spatium esset. Itaque ut primum Bracius iis locis appropinquare cœpit, speculatores, citatis equis, hostem adesse Sfortiæ referunt. Quo nuncio accepto, statim, ut rei, ac temporis ratio poscebat, pabulatores vagos, dato signo, coegit, acieque, ut erat instructa, constitit. Bracius, ut sensit visos ab hostibus antecursores, Sfortiamque minime falli posse, subito, transversis itineribus, ad Aversam

agmen

Digitized by Google

agmen vertit, eo consilio, ut illos reditu intercluderet. At Sfortia, ut animadvertit non apparere hostem, ratus id, quod Bracius cogitaverat, se facile Aversa excludi posse, citato agmine, ad Aversam iter rapit, pabulatoribus in mediam aciem conjectis. Procedenti mox nuntiatum est Bracium haud procul inde abesse, protinusque conspectum est agmen. Conversus igitur ad suos Sfortia, Videtis, inquit, commilitones, in quem nos casum fortuna perduxerit: pugnandi necessitas injecta est: festinat hostis, ut iter nostrum occupet, nec reditus patere jam videtur, nisi quem ipsi ferro aperuerimus. Quamobrem quod animi ac roboris sæpe ante hac in vobis expertus sum, id hodie in hostem oportet repræsentetis. Militum animis hac brevi oratione confirmatis, iter persequitur. Bracius, ordine Sfortiani agminis perspecto, quo densiorem Sfortiæ aciem æquaret, quatuor acies confestim in unam contulit, hostesque assecutus a latere invadit. Hi vero receptus proquinquitate freti, & pugnabant simul & procedebant. Jamque in conspectu Aversæ res gerebatur, cum clamore excitati oppidani, captis repente armis, jubente Ludovico, laborantibus suis suis, accurrerunt. Quorum accessu audentiores factos Bracius ad mœnia prosequutus, postquam nihil profici posse animadvertit, receptui cecinit, Neapolimque copias reduxit. Post hæc Bracius a Joanna cœpit contendere, uti urbem Capuam, quam ei ante adventum in stipendii conditionibus pepigerat, traderet. Quæ haud satis tutum arbitrata, tam validum oppidum, tamque opportune situm externi ducis, imperii præsertim avidi, potestati committi, ejus postulata in dies differebat. Quod cum Bracius animadverteret, eam rem perquam ægre ferens ad Alphonsum detulit. Is vero, etsi Joannam haud temere in eam suspicionem incidisse judicabat, veritus si ea res pertinacius negaretur, ne Bracium a rebus suis abalienaret, idque ad fidem suam pertinere arbitratus, Reginæ multis verbis persuasit, Joanne Caratiolo etiam contra renitente, ut quod Bracio promiserat, præstaret. Capua urbs pervetusta, agri fertilitate, & situ nulli Campanarum secunda. Hanc ab occidente Vulturnus, amnis altus atque prærapidus, alluit, duabus egregii operis e saxo quadrato turribus ponte junctus; ab oriente, qua fere parte ad Neapolim spectat, manu atque opere munitam. Eo profectus Bracius, absque controversia eam in ditionem, præter arcem, accepit. Cæterum arcium præfecti (nam duæ sunt, una contra urbem, altera ad exitum pontis sita) tradere arces renuebant, nisi pecunia, quæ iis pro custodia debebatur, sibi primum

Digitized by Google

numerarentur. Injectaque est ob eam causam nonnullis suspicio, eam arcium præfectorum tergiversationem a Joanne Caratiolo ortam esse, indignante, ut dixi, eam urbem Bracio tradi. Qua de re cum certamen, & altercatio orta esset, iis persoluta Alphonsi opera, quam postulabant, pecunia, cum præsidio arcibus cessere. Ea æstate nihil fere memorabile gestum est; namque omne id tempus aut excursionibus, aut levibus præliis, aut comportandis in hyemem necessariis consumptum est. Exacto vero autumno, quamvis media hyems instaret, quod anni tempus quieti militum dari solet, cum accepisset Alphonsus Acerras propter propinquitatem (neque enim plus octo millia passuum ab Neapoli abest) ingentis rem momenti ad propulsandum bellum, vexandosque hostes esse, eo exercitum ducere instituit. Præparatis itaque omnibus oppugnationi necessariis, contractisque undique copiis Acerras profectus est, binisque castris positis, urbem obsedit. Acerrani quamquam subito atque improviso ejus adventu perculsi; clausis portis illico in muris apparuerunt, stationibusque idoneis quibusque locis dispositis, propugnaculisque interjectis, subeuntes hostes, & scalas muro admovere conantes fortiter summovebant. Quod cum Alphonsus animadverteret, tormenta & machinas admoveri jussit, magnoque militum labore urbem circumvallare aggressus est: factoque vallo, duplicem fossam obduxit, ut iis omnis auxilii spes adimeretur, crebris inter utramque fossam turribus excitatis. Cæterum oppugnatio omnis frustra erat, oppidanis fortiter contra tendentibus. Tandem tormentis, muri parte quassata; ægre resistebant; cui tamen malo sic occurrebant, ut quantum interdiu prociderat, tantumdem munimenti ex materia noctu sufficerent. Hos autem labores eo constantius ferebant, quod Aversæ oppido propinqui, sese a Ludovico deseri non posse confidebant. Qui, eorum discrimine cognito, ne oppidum ad bellum gerendum tam opportunum amitteret, iis auxilium ferre statuit. Quibus cum jam non aliter, quam vi & armis subveniri pateretur oppidi circumvallatio, Sforziæ imperat, uti cum omni exercitu (nisi quantum Aversæ præsidio sat esset) eo per noctem proficiscatur. Isque confestim ad milites profectus, dissimulato itinere, ne quid hostes sentirent, corpora curari, & aliquantum quieti dari jubet, ne quid in his moræ sit, ubi facto opus fuerit: consiliumque cum paucis primorum ordinum communicat. Paratis itaque omnibus, tertia noctis vigilia Acerras versus composito agmine, quasi hostis in conspectu esset, iter facit, & ad tria

millia

millia paſſuum ab oppido conſtitit. Quod poſtquam Alphonſus ex ſpeculatoribus cognovit, confeſtim Joannem Vintimillium, virum fortem atque impigrum, cum parte peditatus, & equitatus ad pontem, quem Caſulæ vocant, ei obviam mittit, qui illum tranſitu Clanii fluminis prohibeat. Iſque celeriter profectus reperit duas jam hoſtium acies cum parte peditatus occupato ponte flumen tranſiiſſe; miſſiſque, qui id Alphonſo renuntiarent, laceſſere hoſtes cœpit, ut, ſi qua poſſet, vel eos, qui tranſierant, trans flumen repelleret, vel tranſire conantes arceret. Quibus Alphonſus renuntiatis, peditatum, quem egregium navibus vexerat, ſtatim ad eum ſubmittit, hiſque aliquot equitum turmas addidit: hancque omnem manum Nicolao Picinino, jam tum in re militari claro, qui in magnum poſtea & ſingularem copiarum ducem evalit, attribuit: ipſe interim opera cuſtodiri, & ne quid omnino detrimenti ab oppidanis accipi poſſet, obſervari præcipit. Omnibus pro tempore proviſis, relicto in caſtris Bracio, cum parte copiarum, ipſe, cum ad pontem contenderet, ſuaſit Bracius, uti ipſe potius in caſtris adverſus oppidanos maneret, ſe ad pontem ire ſineret. Quod conſilium cum omnibus probaretur, dimiſſo Bracio, ipſe in caſtris perſtitit. Jamque interventu Picinini perculſi hoſtes, ponte deſerto, terga dare cœperant, cum interim Bracius ſupervenit, ſimulareque fugam ſuos præcepit, ut hoſtes eis flumen illiciat. At Sforția, ut primum vidit temere hoſtes cedere, inſidias veritus, ab iis perſequendis ſuos continuit, ac fortiſſimo quoque in poſtremo agmine collocato, Averſam iter rapit. Quod cum Bracius animadverteret, & ipſe inſidiarum metu emittere noluit, qui perſequerentur abeuntes. Et jam mille paſſus citatim Sforția contenderat, cum Joannes Vintimillius, cum valida equitum manu pontem tranſgreſſus, eum inſequi cœpit, noviſſimoſque aſſecutus, agmen moratus eſt. Quo viſo, Sforția ſuos, ut, quoad tuto poſſent, & dimicarent, & progrederentur exhortatus, nunc agendo, nunc impetum hoſtium ſuſtinendo, cum aliquantum proceſſiſſet, Joannes receptui cecinit, ac citra pontem ſuos reduxit. Dum hæc ad pontem gerebantur, Xantus Acerrani præſidii præfectus, rei bene gerendæ opportunitatem ſibi datam arbitratus, cum ſubito, eruptione facta, in opera impetum feciſſet, haud magno negotio intra mœnia ab Alphonſo repulſus eſt. Atque ita res utrobique feliciter geſta, Acerrani, Sforțiæ fuga comperta, etſi rebus ſuis diffidere cœperant, nihil tamen animos remiſerunt. Qua murus disjectus erat, mate-

Digitized by Google

materiam, atque aggerem continue sufficiebant. Cæterum obsidio ad extremum & obsessis, & obsidentibus pariter gravis erat, Italico præsertim militi, qui hac nostra tempestate sub tecto hybernare consueverat, nec solum propter hyemis acerbitatem, sed quod tum Clanii fluminis vicinitate, tum naturali situ circumjecta regio plurimum aquosa est. Quod cum Alphonsus intelligeret, ne ibi diutius tempus tereretur, oppidum undique summa vi novis operibus adjectis oppugnare instituit.

Dum hæc parantur, Martinus Pontifex Maximus Cardinales duos Legatos, alterum ad Alphonsum, alterum ad Ludovicum mittit, quorum adventu instituta oppugnatio dilata est, ac de concordia inter Alphonsum, & Ludovicum per eos agi cæptum. Cumque oppidum ob eam rem obsideretur negligentius, Ludovicus se nactum opportunitatem arbitratus, qua Acerranis opem ferret, qua intermissæ custodiæ erant, pleraque in oppidum clam dimisit. Quo facto, evenit, ut Acerranis jam nihil amplius oppugnationem metuentibus, Ludovicus (quod Legati decreverant) oppidum in eorum potestatem tradere abnuerit. Qua de re permotus Alphonsus, oppidum totis viribus oppugnare, uti jam constituerat, decrevit: nec legatus dissuadebat, rei novitate animadversa; neque enim Ludovico fas esse ducebat, interim dum de compositione per legatos agebatur, in obsessam urbem, præsertim intermissa oppugnatione, militem transmittere. Et quanquam multis a prælio abstinendum videbatur, quod cum antea oppugnatio difficilis foret, eam auxilii accessione haud dubie difficiliorem futuram existimabant: fortunam tamen experiri constituit, quo se non impune elusum Acerrani scirent. Accedebat alia ratio, quod obsidionem, quæ jam prope ad extremum permagno militum labore perducta erat, in æstatem extrahi nolebat, ne aut plus negotii postea haberet, aut, si re infecta, discederet, ea expeditio frustra a se suscepta videretur, quod existimationis suæ plurimum referre censebat. Itaque paratis omnibus, oppidum undique oppugnari, premique summa vi cœptum. Quod cum oppidani animadverterent, ad oppidi tutelam haud segniter concurrunt, ingentesque lapides, atque omnifariam tela e muro in subeuntes jaciebant. Præcipua tamen iis propugnationis cura circa muri ruinas erat, quod ab ea parte oppidum facilius superari posse videbatur. Quod Xantus, cum futurum providisset, oppidanis per stationes dispositis, ad ejus loci defensionem fortissimum quemque militem collocaverat. Alphonsus sic exercitum diviserat. Equitatus, & sagittariorum pa-

Digitized by Google

quam partem muri ruinis oppoſuit, iiſque Bernardum Centiliam præſtantem virum præfecit. Guilielmo Moncatæ pars oppidi, quæ ad meridiem ſpectat, cum parte copiarum oppugnanda eſt data. Equites deſilire equis juſſi, partim ad Bernardum, partim ad Guilielmum acceſſere: reliqui cum Bracio in equis conſiterunt, ut quocumque opus eſſet, ſine mora advolarent. Cæteræ pedeſtres copiæ, ubi expedire viſum eſt, per varia ante oppidum loca diſtributæ, uti uno tempore ſigno dato oppidani undequaque premerentur. Forte ea nocte, quæ anteceſſerat, ingens imber campos inundaverat, ſolumque ſuapte natura aquoſum adeo labefecerat, ut nec miles, nec equus veſtigio poſſet inſiſtere, quæ res magno incommodo oppugnantibus cecidit. Xantus in medio pugnæ ardore, per oppidum diſcurrens cum oppidanorum manu, & laborantes adjuvabat, & ſegnius pugnantes accendebat. Majore tamen vi ea pars oppugnabatur, quæ muro nudata erat. Sed tanta erat eorum virtus, quibus ea tuenda obtigerat, ut nulla vi munimenta ſuperari poſſent. Multi in foſſam ruentes graviter ſauciati, pedem referre coacti ſunt: nec ullum fruſtra telum in tantam multitudinem ab oppidanis conjici poterat.

Dum acriter pugnatur, Guilielmus Moncata, foſſa ac vallo tranſmiſſis, ad munimenta avidius progreſſus, lapidibus pene eſt obrutus, cum armorum gravitas, & ſoli lapſus veſtigium non recipientis regrediendi facultatem adimeret. Blaſcus quoque Paſſaniti comes, gravi vulnere accepto, cum prælio exceſſiſſet, paulo poſt mortem obiit. Cujus viri deceſſu Alphonſus graviter commotus, cum majori conatu oppidum ira percitus debellaret, ne in oppidanos plus æquo ſæviret, legatus orare eum vehementius cœpit, atque ut prælio finem imponeret, ſuorumque labori, ac periculo parceret, non dubitare ſe, inquiens, ſimul atque reſponſio a Pontifice allata eſſet, quam expectabat, quin Acerrani, cum bona Ludovici venia, Pontificis imperata facerent: quod ſi fortaſſe abnuerent, nullam ſe pro iis veniam amplius petiturum. His verbis demollitus Alphonſus, ut erat natura mitis, etſi rem eo deductam videbat, ut oppidani diutius ejus vim ferre non poſſent, receptui cani juſſit, pleriſque oppidanorum vulneratis; de Alphonſi quoque exercitu plures ſauciati, nonnulli etiam interfecti, in quibus Franciſcus Panorminatus ſtrenuus eques, qui fortiter pugnans cecidit. Poſt hanc pugnam compluſculi dies abſque certamine exacti. Id modo obſervatum, ne quid ſubſidii,

aut

Digitized by Google

aut annonæ ab hostibus clam deferri in oppidum posset, donec a Pontifice nuncius cum literis rediit. Quibus allatis, quod id Pontifici placebat, Ludovicus ex oppido præsidium sine certamine evocavit, atque in legati potestatem tradi jussit. Quo recepto, Alphonsus, Bracio cum copiis in hyberna Capuam dimisso, Neapolim rediit.

Haud multo post Tartalias, cujus fides Sfortiæ suspecta erat (quod ab Alphonso equos quosdam dono acceperat, & a Bracio diligi videbatur), permittente Pontifice, ut quidam auctores sunt, a Sfortia comprehensus est, ac securi percussus. Interim cum de componenda Regum controversia ageretur, induciæ factæ. Quare legatis Pontificis jussa permissa: Ludovicus e Castro maris, cujus arcem adhuc tenebat, atque ex Aversa præsidiis deductis, ea oppida in legatorum manu deposuit. Sfortiæ quoque, & suorum saluti consultum, iisque etiam Bracii opera in Joannæ, atque Alphonsi gratiam, Beneventum, quod tenebat, accepta fide, se recepit. Ea tempestate Aquila Civitas in Marsis opulenta ac bellicosa, quæ ad Ludovicum defecerat, Joannæ adhuc imperio rebellis erat. Quam cum sibi ex fœdere deposceret, Bracium Joanna simul atque Alphonsus (neque enim quicquam amplius a Ludovico metuebant) ut ad eam capiendam proficisceretur, permisere. Qui cum copiis profectus, pleriscque circa oppidis castellisque partim vi, partim voluntate receptis, commeatibusque intercluſis, castris propius admotis, urbem ipsam arctissime obsedit. Et jam nihil prope hostile in omni Regno videbatur, præter quam Matheloni: id Castellum haud procul ab Acerris situm ab Otino Caratiolo tenebatur. Erant in eo pedites trecenti, qui nihil Campanis quietum, aut pacatum relinquebant: ipse quidem Otinus Joannæ infensus vel ob eam maxime causam ferebatur, quod illa Joannem Caratiolum sibi honore, & dignitate prætulisset. Erat is quidem magna prudentia, atque elato animo; magnas etiam opes habebat: quapropter multos, & Duces, & populos auctoritate sua ad Ludovicum traxerat. Itaque cum Alphonsus animadverteret Campanum agrum ab ea parte infestari, uti eos a maleficio, atque excursione deterreret, quicumque ex iis capiebantur, in naves longas in remigum supplementum dari imperavit. Quo cognito, Otinus captivos omnes, qui in ejus potestatem veniebant, exectis manibus, ac naso mutilato, dextroque oculo eruto, dimittebat. Atque ut contingebat efferatum, ac nefarium bellum utrinque geri, ita in hoc rerum

Digitized by Google

ſtatu, peſtilentia urbem Neapolim graviter vexante, Joanna atque Alphonſus, qui urbi præeſſent, cum præſidio relictis, ſeſe Caſtrum maris receperunt. Erat autem omnis ea regio, quantum a Caſtro Maris ad ſummum Minervæ promontorium pertinet, Ludovico amica; necdum enim ad Joannæ imperium fidemque redierat, quamvis e Regno Ludovicus abſceſſiſſet. Proin ne quid inde incommodi rurſum aliquando ſuboriri poſſet, ſtatuit Alphonſus in ea loca cum claſſe proficiſci, id tempus maxime idoneum exiſtimans iis populis expugnandis, quo omnis auxilii ſpes iis ſublata videbatur: Ludovico enim ſubmoto, non habebant, qui eos milite, aut commeatu juvarent. Itaque, accerſita claſſe cum parte peditatus, primum obſidere Vicum cœpit, id enim oppidum Caſtro maris proximum eſt, eoque haud magno labore eſt potitus. Quo recepto & præſidio firmato, ad Surrentum caſtra movit, quod oppidum non plus quinque millibus paſſuum a Vico abeſt; cæterum ſitu, atque opere multo munitius; idque machinis & tormentis adhibitis circumſedit. Interea Maſſæi, quorum oppidum Surrento propinquum eſt, veriti ne ad ſe poſtea duceretur exercitus, legatis miſſis, deditionem fecerunt. Quibus rebus cognitis Amalphitani, quæ eſt altera pars ejuſdem promontorii, abſque certamine & ipſi in deditionem venerunt. Ad quindecim millia paſſuum id promontorium in mare protenditur, ab oriente, qua eſt Amalphis, & alia quædam oppida, vitis, oleæ, citri, atque omnis generis cultarum arborum & frugum ferax, fontibus præterea, ſitu, cœli ſalubritate, atque amœnitate, omnis Italiæ oræ primum celeberrimumque; ab altera parte, qua eſt Surrentum oppidum, vini ſuaviſſimi, atque omnis pomorum generis copia, identidem memorabile Minervæ promontorium appellatur, quod in eo olim templum eſſet Minervæ ſacrum. Huic promontorio oppoſita eſt Caprearum inſula montana plurimum, in cujus pene medio ſurgit mons editus, undique præruptus & præceps in mare ſpectans, ſeceſſu olim Tyberii Cæſaris celebris, in quo ſitum eſt oppidum ejuſdem nominis munitiſſimum: quod cum audiſſet Alphonſus ſitus fiducia ab oppidanis negligentius cuſtodiri, nocte intempeſta partem claſſis eo miſit: hique nacti locum cuſtodibus vacuum, admotis ſcalis, in murum primo pauci evaſere; mox, ut tutum ac liberum aſcenſum cognoverunt, certatim plures eodem conſcenderunt, atque oppidum, oppidanis ſomno ſepultis, ingenti clamore ſublato, invadunt. Quo caſu tam ſubito ac tam inopinato conſternati oppidani, cum arma capere conarentur, hoſtium multitudine

cele-

Digitized by Google

celeriter oppreſſi, armis poſitis, præſidium admiſere. Simul omnis inſula ſine vi repente deditionem fecit. Interea Surrentini, quos obſideri diximus, omni ſpe auxilii deſtituti, cum eorum res in dies vehementius coarctaretur, & ad obſidionem fames accederet, conditionibus, quas poſtulabant, impetratis, præſidio intromiſſo, in deditionem venerunt. Recepto Minervæ promontorio, quod adhuc peſtilens morbus Neapolin afflictabat, Joanna atque Alphonſus ſeſe Cajetam recepere, Artale Luna, cujus opera forti in oppugnatione Surrentina uſus fuerat, cum parte claſſis ejus oræ præſidio relicto. Tot fortibus factis proſperiſque fortunæ ſucceſſibus, Alphonſus ad gloriæ incrementa natus, omnium Regulorum animos in ſe convertit. Itaque qui prius Ludovico faverant, ejus rebus deſperatis fortunam ſequuti, ad Joannæ, atque Alphonſi imperium redierunt.

Per eos dies Alphonſus legatos ad Pontificem miſit, qui jus ſucceſſionis Joannæ rogatu peterent, quo impetrato, celeriter reverſi ſunt. Per idem quoque tempus Sforția ad Alphonſum ſalutandi gratia Cajetam eſt profectus. Idem fecere Reguli, qui Ludovicum ſequuti fuerant, erroris ſui veniam poſtulantes, iiſque omnibus venia perbenigne ab Alphonſo data; quamquam Joanna ægre ferente tam facile iis ignoſci; in id enim maxime ſtudebat, ut ſibi clementiæ atque humanitatis famam compararet; idque ad conciliandos ſibi Regulorum, atque populorum animos vehementer conducere exiſtimabat. Ad hoc uſque tempus Joanna atque Alphonſus de communi ſententia res omnes bellicas atque urbanas adminiſtravere, ſummuſque inter eos conſenſus omnium rerum fuit. Cæterum communis Regnorum peſtis atque pernicies, invidia eam, quæ inter eos erat, charitatem labefactare paulatim cœpit, fideque mutua ſublata, in ſuſpiciones, atque exinde in graves ſimultates ventum: hujuſmodi ferme cauſis Averſani, Acerrani, Surrentini, Amalphites, cæterique populi, qui vel vi vel voluntate, deſtitutis Ludovici partibus, deditionem fecerant, in Alphonſi verba juraverant. Quod graviter ferens atque indignans Joannes Caratiolus, quoniam jam quantum auctoritatis ad Alphonſum acceſſerat, tantum ejus auctoritati atque opibus detractum exiſtimabat, meditari cœpit quonammodo dignitatem ſuam tueri poſſet. Erat hic vir ingentis ſpiritus, nec ei conſilium in omnia vel pacis vel belli munera deerat, nec ferre æquo animo poterat quemquam ſibi apud Joannam auctoritate & gratia præferri. Ipſe enim cunctis Regni Regulis non anteire modo

Digitized by Google

do dignitate, verum etiam imperare consueverat; eratque omnibus maxime formidolosus. Itaque inter Joannam & Alphonsum cœpit suspiciones & inimicitiarum causas serere. Facile vero credidit Joanna: muliebris namque sexus, ut natura imbecillior, ac timidior, ita ad credendum pronior est. Cumque in dies augescerent suspiciones, & vereretur Joanna ne, se in Cathaloniam missa, Alphonsus sibi Regnum eriperet, dissimulata causa, e Cajeta Prochitam profecta est, quæ insula perbrevis haud procul Puteolis est sita, quasi ibi animi causa mansura. Ibi aliquot dies commorata, Puteolos petiit, ut inde Neapolim traiiceret. Quo audito, Alphonsus Neapolim reverti statuit; jam enim pestilentia restincta erat, terrestrique itinere ire maluit, ut Capuam atque Aversam urbes inviseret nondum a se visas; cumque Capuam venisset, quo magis omnem Joannæ de se suspicionem ac metum adimeret, ad eam salutandum Puteolos profectus est. Cæterum eius profectio eam potius suspicionem auxit. Quapropter eo Capuam reverso, Joanna mox Neapolim pedibus petiit. Ejus maximæ celeritatis causa fuit, quod verebatur, si Alphonsus Neapolim præveniret, ne sibi integrum non foret in arcem Capuanam (uti constituerat) se recipere, neve cogeretur in arcem regiam præter suam voluntatem se conferre. Neapolim ingressæ, cum secus arcem regiam iter faceret, præfectus arcis occurrit, illique claves obtulit, cui illa valetudinem causata, velle se aliquot dies in arce Capuana esse, inquit, mox, ubi convaluisset, reversura. Alphonsus tam repentinam ejus profectionem admiratus, se præsertim inocculto, ne quid illa novi machinaretur adversus se veritus, confestim Neapolim profectus in arcem regiam se recepit. Tum dissimulatæ ad eam diem suspiciones ac simultates paulatim detegi coeptæ. Nonnunquam tamen Alphonsus, ut suspiciones, si posset, elevaret, & ad eam visendam ibat.

Inter hæc Franciscus Darinio, quem Alphonsus Romam miserat, ad eum scribit se comperisse vitæ ejus insidias parari, eumque diem neci suæ destinatum esse, quo ad Joannam salutandam proficiscereturi. His permotus Alphonsus adversariorum conatibus obviam ire instituit: & quoniam Joannem Caratiolum ejus consilii auctorem fuisse acceperat, sperabatque, eo comprehenso, omnia prospere cessura, ut primum in Regiam accederet, quo Senatus die ire consueverat, distinere hominem constituit, nec prius dimittere, quam sibi, Capuanæ arcis potestate facta, Joanna, quæ vellet, efficeret. Existimavit Joannam, eo viro absente, ac velut pignore

gnore fidei retento, quæ æqua forent, haud repugnanter facturam, quod in eo sciebat esse omnem Reginæ consiliorum summam. Itaque hunc haud multo post in Regiam profectum jussit in Senatum ire, quasi magnum aliquid de Regni statu consulturum, neve ipse, aut quisquam e suis ex arce egrederetur, observari præcepit, ne Joanna illum detineri scire posset, antequam ipse ad eam perveniisset. His compositis, ad Joannam citatim proficiscitur. Sed nihil horum Joannam latuit. Quidam enim Bracii Notarius, ad Alphonsum profectus, rem ad eam detulit, simulque arcem Capuanam a Rege peti, eo animo, quantum conjectura consequi posset, ut eam, arce capta, in custodiam traderet. Hoc nuntio prope exanimata, quid ageret, nesciebat, præsertim omnis consilii ejus auctore amisso: neque enim dabatur in re tam subita tamque insperata ullus consilii locus. Id tamen iis, qui eam circumstabant, in tanta rerum perturbatione, in primis salutare visum est portam advenienti claudere: protinusque omni arce tumultu completa, alii ad alia officia, prout cuique vel ratio vel animus suppetebat, sine ordine, sine imperio discurrebant. In tanta trepidatione cum Alphonsus medium jam pontem transgressus esset, dejecta repente cataracta, exclusus est. Tum qui muros inscenderant, eum superne lapidibus incessere coeperunt: quod ubi animadvertit, consilia sua prodita suspicatus, perverso celeriter equo, pedem retulit, atque extra teli jactum substitit; parumque abfuit, quin lapidis ictu, qui in tergum equi incidit, occubuerit. Deinde civilem motum veritus, præsertim in viarum angustiis, in forum boarium se recepit. Is enim locus visus est maxime idoneus, quod erat late patenti campo, in quo magna vis hominum explicare se posset, ac si vis fieret, manu rem gerere: erat enim ei adhuc ambiguum quonam id cives animo laturi forent. Inter hæc Hispani, Cathelanique, cognito Regis sui discrimine, correptis armis, eo advolavere. Consternata tanto malo civitas, Dyrrhachina præsertim factio (nam Andegavensibus id lætum acciderat), nec pro eo, nec adversus eum arma sumere audebat. Magna pars domi sedentes urbis casum ingemiscebant, levatos se externi belli metu in domesticum atque intestinum incidisse. Nec ignorabant id mali ex invidia atque ex suspicione ortum, quod complures injuriæ extarent, quæ tam graves inimicitias inter Regem, & Reginam parare debuissent. Plerique tamen officii causa, ne quid plus æquo Rex fortasse per iram faceret, eodem inermes convenere. Hi neque saluti

Digitized by Google

luti, neque excidio propiorem unquam civitatem ullam fuisse ajebant, si enim ipse, ac Joanna consentirent, nullam urbem unquam feliciorem fuisse: sin vero dissentirent, nullam citius periisse: futuram inter ipsos Dyrrhachinos seditionem; revocaturos e Roma Ludovicum adversarios: simulque omne Regnum belli incendio denuo conflagraturum, cum utrique suos exercitus, suosque duces habituri sint. In his colloquiis reliqua diei parte consumpta, cum nulli apparuissent, qui vim facerent, in Regiam se recepit. Postridie de reconciliatione per communes amicos agi coeptum, & Alphonsus quidem rem componi cupiebat, quod bello domestico in Hispaniam revocabatur, ut Henricum fratrem e Joannis Hispaniæ Regis potestate liberaret. Joanna vero ab ea re prorsus aversa, etsi simulabat placere sibi de concordia agi, continuo ad Sfortiam misit, qui eum in gratiam receptum oraret, uti sibi circumventæ, atque oppressæ quamprimum opem ferret. Cujus consilio cognito, Alphonsus, quicquid militum equitumque habebat, extra urbem, qua Sfortia venturus erat, exire jubet, ne ex arce Capuana Joannam educeret, aut in urbem irrumperet, navalibus sociis per varias urbis stationes dispositis. Bernardus Centilja iis copiis præfectus. Non ignorabat Alphonsus tutius esse consilium copias in urbe contineri; sed verebatur, ubi Joannam cum Sfortia abire pateretur, ne gravius in se bellum concitaret. Cognito Sfortiæ adventu, Bernardus copias in quatuor acies divisit, iisque singulis ad eas vias, quæ ad urbem ferunt, dispositis, ne libera esset hosti procursatio, transversis tignis vallum objecit: ipse in primam progressus aciem, viam Acerranam, qua Sfortiam adventare acceperat, tenuit: qui dimicandi avidior, appropinquante Sfortia, priusquam sibi satis spectatæ hostium vires essent, audacter congressus, cum impetum ferre non posset, ad secundam aciem se recepit. Hic, paulum retardato [illegible]ili impetu, prælium redintegrare coeptum. Quod cum Sfortia animadverteret; ipse cum paucis in propinquos hortos clam digressus, perfracto, qui viæ imminebat, muro, subito hostibus a tergo improvisus apparuit. Illi vero perterriti, cum & a fronte, & a tergo premerentur, telisque præterea, & tormentis ex arce Capuana peterentur, sese in fugam coniecerunt. Ea re conspecta, tertia acies & ipsa mox terga dedit; quos hostes persecuti, prope omnes coeperunt. Quarta item acies, ut suos profligatos sensit, saluti fuga consuluit: horum alii Capuam, alii in Regiam arcem, citatis equis, sese receperunt. In eo prælio prope om-

Digitized by Google

omnis nobilitas capta est, quæ Alphonsum officii causa sequuta fuerat, atque omne insuper militum robur. Sfortia deinde victoriam secutus, eodem impetu Capuanam arcem, ac protinus urbem ingressus, Hispanos, Siculosque omnes expulit, eorum hospitiis direptis.

Post hæc de expellendo Alphonso cum Joanna consilio habito, eaque primum parte præsidio firmata, quæ Regiam arcem urbi jungebat, ad Aversam obsidendam copias ducit, ex hoste amicus & dux factus, ibique castra ponit. At Alphonsus, clade suorum cognita, cum neque pecuniam haberet, unde novos exercitus compararet, neque classem paratam, qua acceptam injuriam ulcisceretur, præsertim inimica civitate, angi animo coepit. Spes reliqua erat in ea classe posita, quam Barcinone Corsam expeditionem comparari sciebat, & jam instructam esse existimabat. Muniendæ arci intentus, ad frumenta convehenda, pecuniamque conquirendam, in Siciliam mittit simul qui classi occurrant, si ea forte in cursu esset, jubeantque confestim Neapolim petere, & quinam rerum suarum status sit, edoceant. Oppidani veriti, si qua classis adventaret, ne per arcem in se immitti hostes possent, quæ arci opposita erant loca, muro obducto, firmavere: arcis ipsius oppugnationem haudquaquam tentare ausi, quod ea res propter naturalem situm, ac munimenta adjecta non unius diei, sed longi temporis obsidio videbatur. Levia tamen prælia nonnunquam ex occasione conferebantur. Cum hic esset rerum status, classis e Barcinone quintodecimo die, hac clade accepta, profecta est: triremes decem, & onerariæ sex fuere. Ejus præfectus erat Joannes Cardona vir fortis, atque impiger, qui, audita modo apud Cajetam rerum novitate, & his, quæ Regi ceciderant, solutis continuo e portu navibus, in altum evectus est. Et primo quidem onerariæ (erat enim ventus vehemens) inter Capreas, Æmariamque conspectæ, Bajas petiere, ut quinam esset rerum status, diligentius explorarent: deinde triremes sequutæ. Quibus cognitis, repente Neapolim petiit: expolitisque sub arcem navalibus sociis Regis jussu castra posuit. Ejus adventus ut adversariis tristis, ita Alphonso perquam lætus fuit. Itaque acceptam injuriam ulcisci posse confisus, castra confestim muniri, nequis in ea hostium equitatu impetus fieri posset, jussit. Locus est pro arce Regia, quem Corizias vocant, late patenti campo, & ob id equis maxime opportunus: hunc Neapolitani ad primum classis despectum, dispositis per moenia armatis, occupavere, quod

Digitized by Google

eum equitatu tenere posse existimabant, castrisque obequitantes hostem lacessebant. Non audebant primo Regii extra munimenta prodire, utpote maritimis rebus assueti, atque equestrium prælio-rum rudes; sed tantum sagittis, ac lapidibus subeuntes arcebant. Pauci tamen, quibus audacia major erat, munimentis paulum egressi congredi cœperunt: qui, cum equitatus impetum non sustinerent, sæpiusque in castra repellerentur, Joannes Cavus, qui inter primos ordinem ducebat, ingenti audacia, Quid est, inquit, commilitones quod ita patiamur nostros ab hostibus pelli? An vero usque adeo animus viresque nostræ, tam brevi tempore consenuerunt, ut tam paucorum equitum incursum ferre nequeamus? Si nemo est, qui sequatur, vel solus in hostes ibo, neque patiar, quod in me fuerit, hoc dedecus nomini gentique nostræ impingi. Hæc ubi dicta, confestim e castris exilit, seque hostibus obiicit. Hunc primo pauci, mox plures sequuti, non solum hostes submoverunt, verum etiam toto campo præcipites in urbem compulerunt. Post hæc doliis plerisque lapide repletis, hisque pro muro objectis, adversus equorum incursus, per vitem, quæ domus cujusdam parieti ab exteriori parte adjuncta erat, quasi per scalas in muros ascensum, portaque (quam Petruciam appellant) dejectis propugnatoribus, quos timor invaserat, ob effusam suorum fugam eodem impetu capta, continuoque excisa trabe, patefacta est. Tum certatim e castris ad eandem portam concursum; quæ cum præter spem repente contigissent, Alphonsus navalium sociorum partem, classem inscendere, præfectumque a mari urbem adoriri imperat. Isque cum classe celeriter profectus (nondum enim urbs a mari mœnibus cincta erat) & major civium pars, clamore excitato, ad portam Petruciam contenderat, paucis frustra renitentibus, facile in terram descendit, hostesque inde propulit. Petrus quoque Regis frater ab alia parte urbem aggredi jussus, uti a diversis partibus uno tempore lacessiti oppidani facilius opprimerentur, Divi Nicolai templum adversus arcem situm, & item turrim, quæ moli imminebat, admotis scalis occupavit; ingressusque urbem, pavorem, ac trepidationem perculsis auxit. Ita quantum urbis patet ab arce regia ad Petri martyris templum, una prope excursione captum est. Ad hæc proximis tectis injectus ignis reliqua deinceps ædificia extemplo corripuit, longiusque effusus magnam urbis partem, vento adjuvante, hausit. Tum tota simul urbe trepidari, concursarique cœptum, nocturno tumultu terrorem augente. Et alius quidem alio, ut quisque periculo proximus

Digitized by Google

xinus erat, aut clamore excitabatur, occurrebat. Omnia paſſim fugientium puerorum, aut fœminarum fletibus perſonabant. Paulum tamen ſuppreſſit impetum Franciſci Mormini interventus, qui cum aliquantulo equitatu invectus, Regios repulit. Quod cum Petrus Regis frater animadverteret, repreſſa ſuorum fuga, pugnam redintegravit, parvoque certamine hoſtes in fugam vertit: quibus ad clivum uſque pulſis, reliqua pars noctis quieti data. Fuit autem hujus procellæ tanta, ac tam repentina vis, ut ei reſiſtere Joanna nulla vi, aut conſilio potuerit. Prius enim irruptionem in urbem hoſtes fecere, quam Sfortia, quem confeſtim appulſa claſſe accerſiverat, ex Averſa veniendi ſpatium habuerit. Neque enim tam ſubito obſidionem deſerere, & copias adducere potuerat. Illa tamen ad eum continuo nuncios dimittebat, & ut ad ferendam opem captæ urbi, ſibique prope jam obſeſſæ contenderet, flagitabat. His nunciis permotus Sfortia, omiſſa obſidione, Neapolim profectus eſt; primaque luce urbem ingreſſus, ad Divæ Claræ templum citato equo advolat: jam enim prælium, quod interventu noctis ſublatum fuerat, renovari cœperat: ejuſque adventu primo hoſtilis impetus paulum retardatus eſt. Cæterum equorum uſus vel nullus vel exiguus erat. Regii enim continenter, perfoſſis intrinſecus domibus, facile equites lapidibus, & omni telorum genere e tectis ſummovebant, interjectiſque trabibus vias præcluſerant. Quod cum Sfortia animadverteret, confeſtim equites deſilire equis jubet, pedibuſque rem gerere. Nitebatur eques clauſtra perfringere. Cæterum urgente poſt munimenta multitudine, omnes conatus fruſtra erant. Pugnabatur eodem tempore diverſis urbis partibus: & jam quicquid a porta ad clivum pertinet, in Alphonſi poteſtate redactum erat. Itaque Sfortia cum nihil ſe proficiſcere pugnando animadverteret, timeretque ne quo civili motu a tergo exorto, reditu intercluderetur, quod pauci admodum cives eum ſequuti fuerant, paucis in pugnantium ſpeciem relictis, ne diſceſſus ſimilis fugæ videretur, ad cogendam reliquam ſuorum manum proficiſci ſimulavit: regreſſuſque ad Capuanam arcem, Joannam, rebus ſuis diffidentem, atque e periculo, ut eriperetur, orantem, Pomilianum vicum primo, deinde Nolam traduxit. Sfortia digreſſo, equites, quos reliquerat, paulatim cedere cœperunt. Quibus pulſis, reliqua pars urbis, præter arcem Capuanam (nemine jam reſiſtente), una modo excurſione capta, & direpta eſt. Optimates, ad quos incendium non pervenerat, conſternati in tecta diffugerant, ibique

Digitized by Google

abditi communem calamitatem deplorantes, ultimum patriæ casum expectabant. Cæterum Alphonsus, etsi justam suam iram existimabat, tamen antiquæ urbis casum miseratus, incendiis parci jussit, ultioni satis datum arbitratus, ut adversarii scirent sibi cum Rege non ignavo rem esse: deinde ne Sfortiæ pro arbitrio evadendi in urbem potestas esset, arcem Capuanam obsideri, atque oppugnari præcepit. Huic arci præerat Xantus, de quo supra in Acerræ obsidione mentionem feci. Sed hunc multa incommoda circumstabant; materiæ inopia, qua turres murosque contabularet; arci propinquæ domus, in quibus dispositi sagittarii propugnatores in muro consistere non sinebant; tum frumenti inopia, quod tanto præsidio vix paucis diebus suffecturum videbatur: namque repentinus, & improvisus casus nec munimenta ulla, nec rem frumentariam provideri permiserat: itaque ægre resistebat oppugnantibus. Cognito ejus discrimine, Sfortia paucis post diebus ex Nola regressus, ad mille passus ab urbe castra posuit, ut, si qua posset, commeatus in arcem importaret. Cæterum paucitati suorum diffisus, quod munimenta arci objecta erant, auxilii modo spem dabat. Cum hic esset rerum status, quidam ad Sfortiam in castra venit, spemque Aversæ recipiendæ præbuit. Itaque propere castris Aversam profectus, arcem a Jacobo Pertusio ejus præfecto per proditionem recepit, quod consilium civitas sequi mox coacta est: neque enim iis aliter facere licebat; haud enim eum equitatum Alphonsus habebat, qui Sfortiano equitatui opponi posset. Ejus urbis amissio permagno incommodo Alphonsi rebus accessit, ob propinquum maxime adversariorum receptum. Sfortia, urbe atque arce præsidio firmatis, ipsoque successu acrior factus, cum Neapolim revertisset, in eodem, quo prius consederat, loco castra posuit: ubi cum cerneret se frustra tempus terere, irrito incœpto, Aversam rediit. Quod postquam Xantus animadvertit, & jam non commeatus modo, sed etiam tela deesse cœpissent, sciretque Alphonsum decrevisse totis viribus arcem oppugnare, ac desperaret, propterea quod ea minus firma esset, posse resistere, suam, & sociorum salutem pactus, deditionem fecit. Joanna interea Aversam concesserat, simul quo spem obsessis daret, simul quod urbs novandis Neapoli rebus propter propinquitatem opportunior videbatur. Multa illam simul angebant, amissam urbem, ac patriæ casum reputantem, sed in primis Joannis Caratioli desiderium, cujus consilio atque opera forti & fideli in rebus summis, minimisque

Digitized by Google

que utebatur. Itaque de captivorum commutatione agere ſtatuit; in eas ſe calamitates prolapſam exiſtimans, quod eo viro caruiſſet. Nec renuit permutationem Alphonſus, receptiſque ſine pretio Bernardo Centilia, ac Raimundo Pirilione, qui pro uno Joanne offerebantur, cæteriſque captivis, qui in Sfortiæ manu erant, parvo pretio redemptis, Joannem dimiſit.

Poſt hæc Michael Coza Joanni Caratiolo inimicus ad Alphonſum venit, eique Ænariæ occupandæ ſpem attulit. Ænaria inſula (quam Iſclam vocant) duodeviginti paſſuum millibus a Neapoli abeſt, a continenti non plus quatuor, opulentior quam pro parvitate. In ejus pene medio ſe attollit mons miræ altitudinis, qui olim (ut ferunt), ad Aetnæ ſimilitudinem, terrificos in cœlum ignes per noctem evomere ſolebat: reliqua pars plurimum plana eſt: incolas habet piſcatoriæ, ac maritimæ arti aſſuetos. Contra hanc inſulam ad teli jactum mons eſt mille ferme paſſus in altitudinem eminens, ac tantundem circuitu ambiens, parvo ponte inſulæ conjunctus, ille quidem præruptus, & confragoſus, atque uno tantum, & eo quidem peranguſto atque arduo calle pervius. In ejus faſtigio ſitum eſt oppidum totam montis planitiem occupans. Ad radices ſitus eſt viculus, unde per obliqua, & anfractus oppidum aditur. In eo ſpatio tres turres interjectæ aditum claudunt: domus oppido pro mœnibus ſunt. Oppidani in duas factiones & ipſi diviſi erant: quarum altera Coxia, altera Manocia appellabatur. Coxiæ factionis princeps erat Michael is, quem modo nominavi; iſque multum apud Ænarienſes poterat non modo propter clientelas, verum etiam propter Prochytæ, quam tenebat, vicinitatem. Hic Regem docuit id oppidum ſubito atque improviſo adventu opprimi poſſe, quod oppidani naturali ſitu freti, circa oppidi cuſtodiam negligentiores eſſent; pontem eum, quo junctum eſt inſulæ oppidum, noctu clam occupari facile eſſe; quo occupato ac reſciſſo, omni auxilii ſpe, quam in inſulæ accolis haberent, ſublata, mari circumſeſſos aut ferro, aut fame ſuperari poſſe. Alphonſus, homine collaudato, ejusque opera impenſius poſtulata, ea, quæ ſequuta eſt, nocte cum triremibus miſit, qui pontem occuparent, ſimul qui quanta foret maris altitudo ad ima rupis explorarent, ut ſciret an onerariæ naves, ſalvis carinis, eo uſque ſubire ripam poſſent, ut navales ſocii ac milites in ipſam non incommode exponerentur: iique intempeſta nocte (ut juſſi fuerant) profecti, non ſentientibus oppidanis, pontem ſubito occupavere. Alii, explorato fundo, ad Regem quamprimum reverſi,

Digitized by Google

verſi, pontem occupatum atque interciſum, & cum onerariis ad rupem ſatis tuto accedi poſſe renuntiarunt. His rebus cognitis, & ipſe, paucis conſciis, ad inſulam profectus eſt, ut eadem, quæ acceperat, oculis ſpectaret. Indeque celeriter reverſus, omnibus ad oppugnationem oppidi comparatis, inſulam repetit, onerariis, quibus opera bellica vehebantur, ſubſequi juſſis. Oppidani, ut pontem occupatum, claſſemque adeſſe conſpexerunt, aliquandiu attonitis ſimiles conſtitere; receptis deinde animis, idoneis quibuſque locis armatos, ac tormenta per oppidum diſpoſuere. Profectus navibus Alphonſus, priuſquam pugnæ ſignum præponeret, per præcones pronuntiari juſſit ſe oppidanis poteſtatem facere mittendi ad ſe, quos vellent e ſuis, ſi forte res ſine vi ac certamine componi poſſet. Itaque oppidani duos, accepta fide, ad illum miſerunt, iiſque in mandatis dedere, ut tantummodo Regem accederent, audita ad ſe referrent. Hos ad ſe profectos pluribus verbis ad deditionem hortatur, ac docet non ita iis ſitu confidendum eſſe, ut vim ejus, quam benignitatem experiri malle debeant: Satis iis exempli eſſe debere depulſum modo Neapoli Sfortiam, & ipſam Neapolim vi captam, quæ tanta civitas ſi ſuis viribus obſiſtere non potuit, qua tandem ſpe freti Ænarienſes reſiſtere ſe poſſe confidant? Non eſſe ſibi cum Regina bellum, quam pro matre haberet, & coleret, ſed cum iis, qui invidia ſtimulati adverſus ſe Reginam concitaverint: nec deſcituros eos a Regina, ſi ſecum conſenſerint, ſed ab iis, qui privati commodi & ambitionis cauſa eam a ſe abalienaverint: nihil ſe ſe eorum viribus detracturum, tantum petere ut, poſitis armis, ſuum præſidium in oppidum ac arcem reciperent. Ab hoc ſermone legati in oppidum regreſſi, cum nihil reſpondiſſent, atque hæc ad ſuos perlaturos dicerent, ſenatu coacto, quæ ab Alphonſo acceperant, retulere. Quæ cum Chriſtophorus Manocius audiſſet, adverſæ factioni ſuæ homines ſecedere, & eos, qui ſuaderent pro hoſtibus habere atque interficere jubet. Quo terrore adacta Coxia factio, cum adverſari non auderet, & ipſi ad oppidi tutelam, omiſſa pacis mentione, coierunt. Alphonſus, cum nemo reſponderet, & per clamores diſſonos rem adverſæ parti non placere conjectaret, frequentioreſque ad defenſionem oppidanos conveniſſe animadverteret, experiri vim ſtatuit. Itaque extemplo Joannem Cardonam ad Mariæ ædem, quæ e regione oppidi ſita erat, cum navium & copiarum ducibus convenire jubet, una cum iis de ratione oppugnationis conſilium capturus: nam cæte-

ri

Digitized by Google

ri insulæ accolæ, ut pontem interciſum cognovere, haud cunctanter deditionem fecerant. Omnibus (uti imperatum erat) eo profectis, oppidanorum primo pertinaciam deteſtatus, prælium ſic inſtituit. Navim unam cæterarum maximam ad eam, quæ orientem ſpectat, quatuor reliquas ad eam rupis partem, quæ in meridiem, ire præcipit: roſtratas duas majores cum totidem minoribus ad ſuburbium, quod oſtendi ad imam rupem ſitum, oppugnandum. His ita conſtitutis & comprobatis, ad ea paranda, quæ reliqua erant, continuo diſceſſum. Interea oppidani ea loca, quæ minus difficulter ſubiri ab hoſtibus poſſe videbantur, munierunt: fœminis, atque iis, qui imbecillioris ætatis erant, procul a prælii tumultu in arcem miſſis, ad ſuburbium quoque, turreſque interjectas, qui tuerentur, miſſi: reliquum diei ac noctis tempus quieti datum. Ubi altera dies illuxit, propoſitum pugnæ ſignum, ad quod tantus hominum clamor in cœlum ſublatus eſt, quantum vix oppidanorum aures ferre potuerunt. Tum naves ad deſtinata loca remulco agi cœptæ, primaque omnium Generii navis ad præſtitutum locum puppim appulit, pontemque in rupem expoſuit. Cumque intueretur Alphonſus Campi Rotundi navem, quod ad ſeptentrionem mare æſtuoſum erat, non poſſe pontem in rupem ſiſtere, tres expeditos juvenes ad ſe vocat, atque iis mandat, ut in rupem transgreſſi funem, quo pons alligatus erat, ad virgulta quædam procul viſa deligarent. Quo facto, duo ex iis, quibus audacia major erat, per abrupta, atque avia quærere aditum ad oppidum cœpere, multi namque anfractus erant, quibus furtim ad faſtigium niti poſſe videbantur. Ii poſtquam paulum proceſſere, in rupem adeo rectam, atque arduam inciderunt, ut ægre tentabundi, manibuſque murices, & virgulta circa rupem extantia amplexi, ad cacumen evaſerint. Forte tum evenerat, ut e duobus cuſtodibus, quibus ea pars cuſtodienda contigerat (nam quod locus ipſe munitiſſimus erat, idcirco minus ſuſpectus ab hoſte habebatur), alter ad eum locum perrexiſſet, ubi Chriſtophorus Manocius laborans pugnabat. Hoc igitur uno intercepto, & cæſo, locum clam oppidanis capiunt, tacitique ſubſiſtunt, donec alii quidam eorum audaciam imitati, eodem conſcenderunt. Interea navales ſocii ſtremuo ſaltu in rupem exilientes, objectis clipeis contra lapidum ictus, ad oppidum ſcandere contendebant. Cæterum ea vis hominum fuit ſimul e navibus exire certantium, ut Generiæ, ac Cæſarauguſtanæ navium præ nimio pondere, effractis pontibus, complures in mare prolapſi, interie-

Digitized by Google

interierint. Ex quo contigit reliquos non aliter, quam per propinquas naves, exilire in rupem posse. Navi quoque Pisanæ cum eadem fortuna accidisset, quinque ex ea evecti sunt. At qui in Campi Rotundi nave erant, & in cæteris, quæ ad eandem partem se contulerant, in terram egressi, ad oppidum per ardua, & confragosa loca enitebantur. At oppidanos natura loci adjuvabat, quod rupes adeo proclives erant, ut non emissa modo tormenta, sed etiam saxa pondere suo prolapsa gravissime in hostes inciderent. Itaque multos audacius subeuntes vulnerabant. Quod cum Alphonsus intueretur, ut eos inde averteret, ad suburbium oppido subjectum contendit. Oppugnabatur oppidum summa vi a mari, nec minus ab insula omni tormentorum genere adhibito. Oppidani, ut videre suburbia ab hostibus peti, ad eam partem tuendam haud segniter ierant. Quo viso, Alphonsus confestim scapham ingressus, propius accessit, quo suos ad pugnandum alacriores redderet, ad animandos in præliis milites Regis conspectum multum valere non nescius. Inter hæc simul qui oppidum clam introierant, simul qui tecta proxime subibant, contempta hostium paucitate, clamores tollunt. Itaque oppidanis ancipiti casu consternatis, cum stationes deseruissent, Regia, quæ pro muro erat, primo capta. Deinde per oppidum discursum. Cum autem Alphonsus suburbia petens in scapham descendisset, præ multitudine conscendentium conversa in latus scapha, ipse in mare armatus excidit: adisset que in tanto tumultu vitæ periculum, nisi quidam nandi periti eum obluctantem fluctibus confestim excepissent. Vicum deinde defensoribus vacuum nactus, nullo repugnante, cœpit. Et jam regii casus fama, quæ semper in pejus efferri solet, plerosque jam oppidum ingressos ad curam salutis illius revocaverat. Quem postquam incolumen subeuntem oppidum videre, confestim reversi, oppidanos arma ponere coactos diripuere. Per hunc modum intra horam ferme quintam, ex quo pugnari cœptum fuerat, debellatum est oppidum. Restabat arx, in quam multi se oppidanorum salutis causa receperant, munitior quam quæ uno impetu capi posse videretur: stationibusque ita circa eam dispositis, ne qua inde eruptio fieret, reliqua diei, ac noctis pars quieti data. In eo prælio multi utrinque desiderati sunt. Plures etiam vulneribus affecti. Postridie Alphonsus, cum clementia sua in victos uti statuisset, captivos omnes liberari, iisque domos restitui jussit. Qua re cognita, qui in arcem confugerant, salutem pacti, deditionem fecerunt. Recepta arce, eaque

præ-

Digitized by Google

præsidio firmata, Neapolim rediit, ex tam muniti naturali situ oppidi expugnatione ingens nomen, & gloriam adeptus.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER TERTIUS.

JAm hyems instabat, cum literæ ad Alphonsum delatæ sunt, quibus in Hispaniam accersebatur. Namque inter Joannem Hispaniæ Regem, ac fratres ejus oborta contentio, ac discordia eo usque creverat, ut a profectione absistere nullo modo posset. Inimicitiarum causa fuerat, quod Joannes Henricum Alphonsi fratrem, cui Galleciæ principatus obtigerat, in custodia tenebat, propterea quod Catharinam sororem, sese invito, uxorem acceperat, quæ, cum existimaret non passurum fratrem, ut illi nupta esset, cui maxime cupiebat, magnis itineribus in Aragoniam clam fratre contenderat. Itaque constituit Barcinonem quamprimum trajicere, iisque convocatis, quorum consilio utebatur, profectionis suæ necessitatem pluribus verbis exposuit. Posthæc ad res ordinandas conversus, Petrum fratrem summæ rerum præfecit, multis summa nobilitate, & consilio viris, quorum consilio in rebus administrandis uteretur, ei adhibitis. Et ut non minus armis, quam consilio partum Regnum firmaret, non exiguum peditum, atque equitum numerum ei attribuit: neve duces deessent, per quos res bellicæ, si opus foret, gererentur, Jacobum Caudolam, ac Bernardinum Cardam homines rei militaris peritissimos, mercede conductos (hi ad mille equites ducebant) apud eum reliquit, cives, ut in fide, & officio permanerent, fratrique obtemperarent, exhortatus. Imprimis vero palam professus est, non esse sibi in animo Reginam Regno spoliare, sed tantum efficere atque eniti, ne per invidiam atque per odium eorum, qui apud illam gratia, atque opibus pollerent, ex eo Regno pelleretur, quod a se, fugato Reginæ hoste, pacatum esset, quodque sibi post Reginæ mortem successionis jure deberetur: tantumque abesse, ut eam vellet Regno exuere, ut nihil æque optaret, quam ut, positis certaminibus atque inimicitiis, cum illa in gratiam rediret: simul spe celeris reditus facta, omnibusque diligenter provi-

Digitized by Google

ſis, Cajetam traiicit, eique Antonium Lunam cum præſidio præficit, confirmatiſque civium animis, cum duodeviginti roſtratis, ac onerariis duodecim in altum evehitur. Vix dum e Cajetæ conſpectu claſſis abſceſſerat, cum ſubito exortus Africus naves diſpulit: ipſe cum paucis roſtratis ſummo remigum labore ac nixu retro ad Cajetæ portum delatus eſt. Cæterarum aliæ Pontiam, aliæ propinquas inſulas tenuerunt. Poſt ſedatam tempeſtatem, ſolutis navibus, Pontiam, quo reliquam claſſem curſum tenuiſſe ſuſpicabatur, petiit: ibi totam nactus claſſem (nulla enim navis perierat) onerarias, quæ triremium curſum ſequi non poterant, ad Stœchades inſulas convenire jubet; namque ſtatuerat ex itinere Maſſiliam oppugnare, quod Ludovicum, qui adhuc Romæ erat, cum Joanna amicitiam renovare, novaque belli conſilia agitare acceperat. Itaque Joanni Cardonæ onerariarum præfecto imperat, uti ad Stœchades inſulas cum navibus proficiſcatur, ibi ſe eum cum roſtratis præſtolaturum monet, ſi eo prior advenerit: ſi inde diſceſſerit, non expectatis onerariis, ſeſe tamen literas arundini illigatas in demonſtrata quadam inſulæ parte relicturum, quibus quid a ſe agi vellet ſcire poſſet; ſin vero *ipſe* prior venti beneficio præveniret cum onerariis, uti eum *ibidem* anchoris jactis expectaret: neque prõnuntiaret velle ſe Maſſiliam oppugnare, ne quid de ejus conſilio Maſſilienſes præſentirent. Ipſe altum petens cum triremibus ad easdem inſulas contendebat, & jam ad Planaſiam inſulam pervenerat, cum iterum oborta mari tempeſtas claſſem disjecit, onerariiſque altum tenentibus, roſtratæ in Niceæ portum delatæ ſunt. Proſperum deinde ventum nactus, ad deſtinatas inſulas curſum contendit. Ibi cum onerarias eodem convenire juſſas, non reperiſſet, ſuſpicatus eas vento jactas Barcinonem petiſſe, ne Maſſiliæ oppugnationem differret, inſtitutum curſum perſequi decrevit: accitiſque ad ſe triremium ductoribus, quod ad eam diem occuluerat, conſilium eis aperuit, hortatus uti præſentibus animis rem ſuſciperent; quæ ingentem iis gloriam, prædamque allatura eſſet, nec vererentur, quod onerariæ abeſſent; facile enim Maſſilienſes inopinato ſuo adventu opprimi poſſe: at certe, quando res ex ſententia non ſuccederet, abſque detrimento diſcedi poſſe.

Cunctis operam ſtrenue pollicentibus, poſtridie idoneam ad navigandum tempeſtatem nactus, ſub quartam noctis vigiliam ad parvam admodum inſulam, quæ in conſpectu Maſſiliæ eſt ſita, claſſem appulit, ibique agere de tota oppugnandæ urbis ratione cœpit. Difficilem faciebat oppugnationem loci ſitus non natura mo-

Digitized by Google

do, ſed etiam opere permuniti. Namque Maſſilia a tribus ferme partibus mari alluitur, pars reliqua altis mœnibus circumdata eſt: quæ pars auſtro expoſita eſt, hanc rupes ingens inexpugnabilem facit. Sinus introrſus recedit, quī portum efficit peranguſtis faucibus. Duo excelſa templa cum prærupta hinc atque hinc turribus portum claudunt: inter quæ Syrtis quædam poſita eas faucium anguſtias coarctat, ad cujus extremum ſita eſt Pharus manu facta, quæ cum altera parte, qua altius eſt mare, ferrea catena jungebatur. Hac loci natura freti Maſſilienſes, conſpecta claſſe, de cujus adventu per quoſdam Nicæenſes cognoverant, Regios conatus contemnere videbantur, &, ob eam rem nulla ex circumjectis agris auxilia accerſierant. Sed multis ſæpe urbibus negligentia exitio fuit. Sæpe contemptus hoſtis ingentem calamitatem attulit. Erat forte in ipſius portus faucibus navis quædam oneraria. Hanc, viſa regia claſſe, confeſtim mali faſtigium ad turrim, quam proxime appulſam nautæ religarunt, quam Regii aggreſſi cum triremibus quatuor, cum inde vi divellere nequirent, Alphonſus turrim ipſam a terra oppugnare primum conſtituit. Huic vero turri, ut oſtendi, catena juncta erat. Itaque triremium quatuor cohortes confeſtim in terram deſilire præcipit, ac turrim oppugnare. Nec multo poſt ipſe cum paucis eodem profectus eſt. Dura erat ejus turris oppugnatio iis, qui in præſidio erant, creberrime grandinis modo lapides, atque omne telorum genus injicientibus. Quod ubi Alphonſus animadvertit, exterioris circuli portæ illico faces injici imperat. Miraculum rei adiiciunt, ſubito coorto imbri, flammam reſtinctam, cumque iterum injectus ignis portam denuo corripuiſſet, rurſus imbris caſu incendium obrutum. Quæ res cum eſſet a pleriſque in religionem verſa, & ob id abſiſtendum ab oppugnatione cenſerent, juſſit Alphonſus, ut tertio ignem conjicerent, non paſſurum ſe ulterius conjici affirmans, ſi tertio ab imbri defenderetur. Itaque cum tertio faces injectæ eſſent, confeſtim nullo jam obſtante imbri, flammæ vis portam hauſit. Quo caſu qui in turri erant conterriti, Regi pollicīti ſunt ſe nullam inde vim facturos, ſi ab ipſius turris oppugnatione abſiſteret; ac ſi accideret, ut urbe potiretur, ſeſe in ejus poteſtate fore. Quibus auditis Alphonſus, ne ibi diutius tempus tereret, ſatis ſibi eſſe arbitratus, modo eos non haberet adverſos, ita ſe omiſſurum oppugnationem reſpondit, ſi propugnacula turris dejicerent; quod cum illi haud cunctanter feciſſent, ad triremem regreſſus, Joannem Corvenium cum triremi tecta ad ſecandam

Digitized by Google

catenam cum dolabris anteire imperat. Itaque celeriter profectus catenam ex mari in lembos tectos extractam cædere aggreditur. Tum ex altera turri, atque ex urbe tormenta, ac saxa in triremem conjecta. Lembi etiam plerique hostiles adversus Regios tela jacientes catenæ sectionem impedire conabantur. Cæterum triremes reliquæ turrim, quoad tuto poterant, subeuntes propugnatores sagittis incessebant, nec in muro apparere patiebantur. Inter hæc navalis quidam socius Alphonso detulit esse lembum quendam intra portum incustoditum, qui facile capi possit, cæterum remis inermem, quo comprehenso atque armato, terror injici oppidanis possit. Quod ubi accepit, eum confestim arripi, remosque inferri, atque armatis hominibus compleri imperavit. Id cum strenue feciſſent, duos oppidanorum lembos in se concite venientes invadunt, capiuntque, & ad quadraginta lectos viros in iis imponunt, quibus cum portum obeuntes naviculam quandam adorti comprehenderunt: qua capta, & armata, reliquas omnes onerarias, quæ in portu erant, cœpere. Hic tantus rerum successus Alphonso spem attulit, quando ipsa catena ferro secari non posset, urbem ab ea parte cum navibus captis capi posse. Ingens vero certamen ad catenam erat, contendentibus summa vi hostibus, ne claustra perrumperentur. Qua tandem rescissa, consultatum (nam jam prima noctis vigilia erat) utrum recta in portum uno agmine irrumperent, urbemque oppugnarent, an oppugnationem in posterum diem differrent. Suadebat Joannes Cardona ut in posterum diem certamen extraherent, nec per noctem in urbe maximæ parti ignota, prælia consererent, rem magni discriminis esse affirmans noctu cum oppidanis pugnare, quorum tela certiora futura essent præseferentibus regiis per urbem faces, quæ quidem sequentes proderent. Contra Corverius, ne respirare territos sineret, dum nox terrorem augeret, satius fuisse dictitans portus claustra non abrupisse, quam iis abruptis prælium differre. Futurum facile oppidanis, auxiliis extrinsecus accersitis, eos postridie ingressu urbis prohibere. Cujus consilio approbato, Alphonsus confestim triremes in portum magno impetu invehi præcipit, atque in molem pontes exponi. Ipse inter primos processit, contemptis iis, qui de turri pugnabant. In hoc ingressu grave saxum tormento æneo ab oppidanis excussum, mirabile dictu, cum supra ejus triremem deferretur, navali cuidam socio umbonem modo, qui ab ejus balteo pendebat, toto corpore intacto atque illæso, diffractum abstulit. Et jam oppidani conglobati in molem concurre-

currerant, ac ne descensio in terram fieret, contendebant: eratque difficilius hos loco pellere propter loci angustias, quod multi simul pugnare non poterant. Quod cum Alphonsus animadverteret, rostratas quatuor eam partem circumire jubet, expositisque in terram militibus, desuper cum clamore se ostendere, ut, metu injecto, hostes inde averteret. Quod cum illi strenue effecissent, tantus oppidanos pavor, & trepidatio coepit, ratos urbem captam esse, ut, deserta statione; in fugam se conjecerint. Quibus terga dantibus, regii e navibus certatim desilientes eos insequi; atque agere tota urbe coeperunt. Et, quoniam multi de tectis pugnabant, proximis domibus ignis injectus est: qui paulatim vento adjutus, cum mox eum vicum comprehendisset (namque omnia prope ædificia extrinsecus contabulata erant), mutato vento in aliam urbis regionem deferri coepit, totamque hausit. Posthæc non sine omnium admiratione, cum ventus in contrariam partem restare coepisset, totam regionem oppositam absumsit: atque ita variante vento, nulla pene oppidi pars ab ignis violentia integra superfuit. Fugabantur interea tota urbe oppidani, diripiebanturque domus, ad quas incendium non pervenerat, multique eorum in viis fugientes cadebant. Fœminarum, puerorumque comploratus per urbem fugitantium, atque ad portas discurrentium regiorum aures complebant. Itaque oppidani, desperata salute, exportatis, quæ pro tempore potuerunt, urbe protinus excessere. Tum regii, in omnes urbis partes excursione facta, eam continuo in Alphonsi potestatem redegere. Urbe capta, Alphonsus matronalis decoris haudquaquam oblitus, earum fœminarum, quæ in templa confugerant, injuriæ parci jussit; easque spectatæ integritatis viris, ne a militibus probro afficerentur, servandas tradidit. Quæ, cum ad eum pro conservata pudicitia magnam auri, ac gemmarum vim, quas secum detulerant, misissent, ultra libertatem, & ea omnia sese iis dare dixit, potestatemque fecit, uti ad suos mitterent, qui eas ex urbe deducerent; iis, ut res omnes, quas ab incendio conservaverant, exportarent, permisit.

Postridie forte duo navales socii vestem, qua Divi Ludovici corpus induebatur, & calicem, quo is in sacris uti solebat, quod corpus pridie magna cura in ipso prælii ardore conquisitum non invenerant, ex præda ad naves deportabant. Quibus rebus a Massilienſi quodam cognitis, illico Alphonsus eos ad se perduci jussit. Et primo quidem corpus a se inventum non negarunt: cæterum dum naves repeterent, ut socios, atque adjutores vocarent,

quod

Digitized by Google

quod ipſi tantum onus ferre non poſſent, loculum interea, ubi corpus reconditum inerat, igni hauſtum. Quibus cum creditum eſſet, dimiſſi ſunt. Alphonſus tamen nequaquam animo conquieverat, ejus inveniendi percupidus: putabat enim, id quod evenerat, corpus ipſum metu occultatum, ne ab inventoribus aurum loculo ſuo compoſitum reddi oporteret. Itaque cum audiſſet gubernatorem triremis, qua illi vehebantur, una cum iis affiuiſſe, hominem ad ſe confeſtim accerſi imperat, & quidnam de ipſo corpore factum ſit percontatur, qui cum pertinacius affirmaret crematum eſſe, ſuſpenſa ad malum triremis antenna, terrore mortis injecto, veritatem expreſſit, atque ubinam corpus celaſſent confiteri coegit. Quod ubi agnovit, e veſtigio eo profectus, corpus ipſum cum ſumma veneratione in roſtratam, qua ipſe vehebatur, deportari curavit. Hunc vero caſum Maſſilienſis ſenior referebat (rem dictu miram) quendam ſpectatæ ſanctitatis virum, jam ab inde annis quinquaginta, eo tempore Maſſilienſibus eventurum prædixiſſe. Ejus diei poſt diem tertium omnibus urbem deſerendam cenſentibus, quod copiæ, propter bellum Hiſpanum jam deſtinatum animo, imminuendæ non eſſent, urbis autem præſidio multo milite opus erat, navem ingreſſus urbem præſidio vacuam reliquit.

Ea clade Maſſilienſium in Galliam perlata octingenti ferme e Burgundia equites ad Alphonſum proficiſcebantur, ſtipendia ſub eo (nam per id tempus Joannes eorum Princeps Britanniæ adjunctus, cum Galliæ Rege bellum gerebat) facturi. Cæterum, quas dixi, cauſæ, ac belli inſuper Hiſpani moles, ne quid amplius in his locis moraretur, cogebant; quamobrem in Hiſpaniam, uti conſtituerat, ire perrexit. Necdum multum navigando proceſſerat, cum ſubito exortus in adverſum ventus adeo mare commovit, ut, diſpulſis navibus, vel precioſiarum rerum jacturam fieri oportuerit. Hæ tamen poſt longam jactationem Palmoſam, nulla omnino amiſſa, delatæ ſunt. Inde paucos moratus dies, dum jactatos reficeret, tranquillo vectus Barcinonem trajecit. Lætus iis, ac maxime jucundus ejus adventus, ut diu deſiderati Regis, ut glorioſi victoris fuit. Jam enim ad eos, atque adeo in omnem Hiſpaniam tot rerum ab eo proſpere ſimul & magnifice geſtarum fama pervagata fuerat, quibus Cathelonicum, atque omne Hiſpanum nomen non mediocriter illuſtratum eſſe animadvertebant. Itaque, quam maximo honore potuerunt, ejus adventum celebravere, nulla re prætermiſſa, quam ad id munus pertinere exiſtimarent. Nec minus cæteræ Catheloniæ, atque Aragoniæ civi-

tates,

Digitized by Google

tates, ac regulî ejus ſalutandi & congratulandi gratia Barcinonem profecti, inter ſe de officio certabant. Fuit autem hic annus ab adventu ejus in Italiam tertius.

Interea Joanna ob Alphonſi diſceſſum occaſionem, ut ſibi videbatur, nacta, qua amiſſam urbem Neapolim reciperet (magnum enim militum numerum ab Alphonſo tranſvectum in Hiſpaniam ſciebat), de revocando Ludovico, quem antè pro hoſte habitum Regni finibus expulerat, conſilium coepit. Cumque ſciret Martinum Pontificem Maximum illi amicum eſſe, nulliuſque opera facilius reconciliari poſſe, legatos ad eum miſit, qui ea de re agerent. Nec fuit Pontifici difficilis ea reconciliatio, Ludovico eam rem ultro, & maxime expetente. Renovata igitur amicitia, ac foedere, Ludovicus ex hoſte hoſpes repente factus, Averſam ad Joannam profectus eſt. Ea conjunctio maximæ voluptati fuit Andegavenſi factioni, quæ prius, Ludovico expulſo, omni prorſus ſpe ſibi exuta videbatur recuperandæ in perpetuum dignitatis. Itaque clam inter ſe occulta conſilia agere, atque illius rebus, quoad tuto poſſent, favere cœperunt. Multique etiam ad eum ſeſe Averſam contulerunt, operam, ſtudiumque omne pollicentes. Cum autem Joanna, & Ludovicus ſeſe Neapolim, cæterumque Regnum privatis viribus recuperare poſſe diffiderent, externa auxilia poſcenda cenſuerunt: ea maxime, quæ mari pollerent. Ea tempeſtate Philippus Maria Mediolanenſium Princeps, cujus opes omni Italiæ formidoloſæ erant, urbem Genuam propter Civium diſſidia tenebat, eratque ingens ejus auctoritas, terra quidem propter equeſtres copias, quibus abundabat, mari vero propter Genuenſes, quorum in rebus maritimis magnæ opes erant. Hujus itaque amicitiam imprimis ſibi petendam duxere. Nam cum ſibi claſſe imprimis opus eſſe animadverterent, eam non alibi commodius, quam e Genua ſe conſequi poſſe intelligebant, præſertim cum ſcirent Genuenſes ad veterem amicitiam in utrumque pronos eſſe. Quod conſilium cum Pontifex comprobaret, legati ad Philippum, ac deinde ad Genuenſes miſſi, iique ſuadendo perfecere, uti bello adjuvarentur. Alphonſus per id temporis Genuenſibus infenſus erat, propter Corſicam a ſe bello petitam. Itaque facilius in ea re Philippo obſequuti, onerariarum duodecim, ac triremium quinque & viginti claſſem effecerunt. Huic claſſi Philippus Guidonem Forellum, unum e copiarum ducibus, præeſſe voluit, patientibus æquiore animo Genuenſibus alienigenam hominem adverſum foederis formulam claſſi præfectum

ctum dari, quod eos pecunia in classis stipendium Philippus adjuverat. In eam classem, præter navales socios, lectissimum peditatum, equitesque complures misit, qui, ubi quid terra gerendum foret, hostium impetum sustinerent. Ad X. millia hominum, qui pugnare possent, in ea classe fuisse accepimus. Dum ea paratur, Joanna, ac Ludovicus de recipienda primum Cajeta agere cæperunt, cujus rei facultatem classis beneficio sibi oblatam videbant. Erat enim ea urbs & ad classis receptum portu tutissimo peropportuna, & propter vicinitatem ad bellum Neapoli, atque adeo universo agro Campano inferendum maxime idonea (neque enim abest a Neapoli plus sexaginta millibus passuum), egitque Joanna cum Christophoro, ac Rogerio e Cajetana stirpe Regulis, quibus in ea urbe magnæ clientelæ erant, propter oppida, quæ tenebant Cajetæ circumjecta, ut in adventum classis Cajetanorum animos eorum, quibus amicis utebantur, præpararent. Postquam vero Petrus Regius frater certior factus est Genuenses pro Joanna, & Ludovico Philippi jussu classem moliri, coacto in urbem frumento, omnibusque ad obsistendum necessariis attentiore cura præparatis, ad Bracium misit, qui rogaret, si Alphonsi statum salvum esse cuperet, uti Neapolim quamprimum cum exercitu contenderet. Bracius per id tempus adhuc urbem Aquilam obsidebat, statueratque non prius ab obsidione discedere, quam eam cœpisset, quod intelligebat (urbe illa ditionis suæ facta) postea in manu ejus fore, cui vellet Neapolitanum Regnum tradere, Regesque, qui de Regni possessione certabant, amicitiam ejus magno empturos esse: qua propter irrita ad eum legatio fuit. Adversus quem aliquanto post, ita postulante Pontifice, ac belli sociis, cum Sfortia a Regina cum exercitu mitteretur, in transitu Aterni fluminis (quem nunc Piscariam ab oppido vicino vocant), dum periclitanti armigero opem ferre conatur, verticibus rapidis, cum equo in profundum absorptus, nusquam postea apparuit. Nec multo post Jacobus Caudola, ac Franciscus ipsius Sfortiæ filius, adolescens jam tum magnæ expectationis, cum copiis eodem missi, cum per montana supra Aquilam veniissent, ipsum Bracium per contemtum hostium patientem omnes prius copias in planum descendere, quam pugnam inciperet, acie vicerunt, eo cæso, totoque exercitu prope capto.

Inter hæc Genuensium classis parata atque instructa e Genua solvit, eaque cum ad Cajetæ conspectum perveniisset, iis, qui Alphonsi partibus favebant, magno terrori fuit:

nec

nec ob id, quod urbis munimento diffiderent, ſed quod magnam civium partem Joannæ ac Ludovico affectam, rerumque novandarum cupidam intelligebant, quorum conatus pertimeſcebant. Et quamquam eorum conſilium Antonio Lunæ præfecto urbis non obſcurum erat, tamen diſſimulanter id ferebat, nec punire ſontes, nec expellere urbe auſus, quod verebatur, ſimul ac quæſtionem de ſuſpectis habere cœpiſſet, ne illorum vim ſuſtinere poſſet. Appulſa igitur ſub urbem claſſe, expoſitiſque in terram navalibus ſociis, militibuſque, Guido claſſis præfectus, uti monitus fuerat, terra, marique Cajetanos circumſedit; multique ad eum a Joanna equites cum Chriſtophoro Cajetano in caſtra acceſſere. Antonius, quoad potuerat, urbem munierat, diſpoſitis per muros vigilibus, &, nequid novi adverſæ partis homines moliri poſſent, obſervabat, quorum nullus primo claſſis adventu ſe ducem ad arma capienda profiteri auſus eſt. In triduo poſt cœptam obſidionem, cum non auderent vim facere præſidii metu, terrorem injiciunt: docent tam gravem obſidionem fruſtra tolerari; nam neque ab Alphonſo Hiſpano bello occupato, neque a Petro ejus fratre, cui nulla ſit claſſis, ſubſidium ullum expectari poſſe. Stultum autem videri, ubi auxilium deſperes, quod tueri nequeas, id tamen pertinaciter ob cupiditatem velle defendere: mare a claſſe clauſum, terra ab exercitu teneri, nec jam ullum obſeſſis effugium patere; urbem præterea non uſque adeo munitam eſſe, ut tantæ claſſis, tantique exercitus ſimul Joannæ, ac Ludovici vim ſuſtinere poſſit; quapropter ſuæ, & præſidii, civitatiſque ſaluti conſulendum, antequam hoſtis muros quatere inciperet. His perterrefactus Antonius, quod in iis, qui amici Alphonſo erant, parum opis intuebatur, cedendum neceſſitati ratus, conſilium ſalubre magis, quam honeſtum arripit, pactuſque ſuam, & præſidii ſalutem, Neapolim ad Petrum abiit, quo digreſſo, haud mora Cajetani deditionem fecere. Urbe Cajeta præſidio firmata, Guido tranquillum nactus mare Neapolim petiit, extraque teli jactum anchoras in portu jecit. Quod poſtquam Petrus animadvertit, ſtationibus per muros, tormentiſque diſpoſitis, omnibuſque cum cura effectis, quæ ad muniendam, tuendamque urbem pertinebant, ne quid eum falleret, circumſpiciebat. Poſtridie haud procul a templo Mariæ Carmelitanæ Guido, copiis in terram expoſitis, caſtra ponit. Levia dehinc prælia invicem committi cœpta. Dum autem Petri equitatus in Averſanum excurſionem facit, Remundus Anechinus,

qui ſub Jacobo Caudola militabat, capitur, atque ad Ludovicum perducitur. Quem cum ſciret Jacobo in primis charum eſſe, peridoneus ei eſt viſus, per quem cum Jacobo de recipienda urbe Neapoli ageret. Itaque hominem ſeorſum placide affatus, quid ad Jacobum perferri velit, edocet, ſpeque, & promiſſis ingentibus oneratum a ſe dimittit. Ille confeſtim ad Jacobum reverſus, remotis arbitris, ei Ludovici mandata aperit. Quæ ubi audivit, renuntiari juſſit ſeſe in id, quod peteret, paratum eſſe, & qui id exequi poſſet, meditaturum: in hoc conſilium aliquot dies conſumpti; neque enim abſque magno diſcrimine, & actu tanta res agi poſſe videbatur: erant enim apud Petrum & alii quidem præſtantes copiarum duces præter Cathelonos, & Hiſpanos, ut ab eo cautiſſime agi oporteret. Cæterum claſſis præſentia ejus animum ad rem perficiendam confirmabat. Tum magnam civitatis partem ad Joannam inclinare animadvertebat. Hæc quamquam ab eo occultiſſime agebantur, tamen Petrum non latebant. Sed veritus hominis potentiam, diſſimulandum exiſtimabat. Erant enim in Jacobi manu portarum claves, ut periculum eſſet, ſi qua vis adverſus eum pararetur, ne uno momento propter auxilii propinquitatem cuncta everteret. Molliendum igitur potius, & vincendum omni officio ejus animum (ſi forte a propoſito revocari poſſet), quam irritandum, & quod ſine ſuſpicationis ſignificatione fieri poſſet, ne quid noceret, precandum. Itaque nec urbis cuſtodiam omittebat, nec omnes uno tempore copias in hoſtem educi ſinebat. Sed poſtquam Jacobus conſilia ſua palam facta cognovit, maturandum ratus, priuſquam ei vis afferretur, Ludovicum monet, ut Guidonem poſtero die in armis paratum eſſe jubeat, ſimul quidnam conſtituerit, edocet. Poſtridie hoſtes inſtructa acie ad urbem ſuccedunt, veluti moenia oppugnaturi. Quod cum Jacobus animadverteret, iis obviam cum equitatu, & magna peditatus parte repente prodit. Cæterum paulo poſt primum congreſſum, quaſi eorum vim ſuſtinere non poſſet, ex compoſito ceſſit; hoſteſque fugientem conſequuti una cum eo urbem invecti ſunt. Hinc tumultus & trepidatio repente totam urbem pervaſit. Hiſpani, Cathelonique, cognito dolo, ut quiſque potuit, in tanto ac tam inopinato caſu, alii arcem Regiam, alii alio effuſa fuga ſeſe receperunt. Quæ cum Petrus animadverteret, cedendum fortunæ arbitratus, & ipſe in arcem concеſſit: Hiſpanorumque, & Siculorum domus direptæ, etſi qui comprehenſi ſunt, pro captivis habiti,

Digitized by Google

biti; totaque urbe cum ingenti clamore diſcurſum eſt, nec quicquam præter arces ſuperfuit, quod non una modo excurſione factum fuerit. Qui arcem Capuanam tenebant, paullo poſt ſalutem pacti, deditionem fecerunt: obſidebatur arx Regia: ad hæc res frumentaria deeſſe cœperat. Magnus enim hominum numerus in ipſo tumultu captæ urbis in eam confluxerat. Sed eam inopiam unius navis interventus ſublevavit: quæ, violentiore vento de induſtria expectato, pleno velo ad arcem delata, frumentum, quo erat onuſta, invitis hoſtibus, expoſuit.

Alphonſus per id tempus in habendis delectibus, contrahendiſque copiis occupatus erat; cui poſtquam renuntiatum eſt, amiſſa Neapoli, arcem obſideri, dignitatis ſuæ eſſe ſtatuit, fratrem quamprimum obſidione liberare. Itaque Artalem Lunam cum parte claſſis, qua Barcinonem vectus fuerat, Neapolim confeſtim proficiſci jubet, &, quæ frater imperaret, efficere. Iſque ſecunda tempeſtate uſus, paucis diebus Neapolim profectus eſt. Frumento in arcem illato (jam enim Genuenſium claſſis abierat), & arcem famis periculo, & Petrum obſidione liberavit. Ad ejus claſſis conſpectum, Neapolitani confeſtim armatis mœnia complevere ſtationibus opportunis, quibuſque locis diſpoſitis. At Petrus cum ſe civitatem ea claſſe recipere poſſe diffideret, omni turba inutili inde ſublata, claſſem conſcendit, ac Siciliam repetit. Inter hæc Alphonſus cum copiis Joannis Hiſpani Regis fines ingreſſus, ei intentabat magis, quam inferebat bellum, quo, finitimis populis terrore injecto, Henricum fratrem dimitteret. Joannes quoque frater Navarræ Rex, qui ante Henrico nonnihil adverſus fuerat, ab Alphonſo perſuaſus, mutato repente conſilio, ſuadere Joanni cœpit, uti fratrem abire pateretur, ſeque non paſſurum, niſi id faceret, fratrem diutius diſtineri. Itaque Joannes, etſi eas paraverat copias, quibus Alphonſo obſiſtere ſe poſſe confideret, tamen omiſſis belli conſiliis, dimittere Henricum ſtatuit: quo dimiſſo, pax facta eſt: moxque Alphonſus, reductis copiis, in Aragoniæ fines rediit.

Dum hæc in Hiſpania aguntur, Thomas Fregoſus, principatu Genuæ expulſus ad Petrum mittit, qui auxilium ab eo poſtulet adverſus Philippi vim ac dominatum, quique doceat, quos populos in Italia amicos, quas clientelas in urbe Genua, atque in reliquis Genuenſium oppidis habeat; nec dubitare ſe, ſi ab eo claſſe adjuvarentur, fore ut, ejecto Philippi præſidio, urbe potiatur: debere illum meminiſſe acceptæ a Phi-

lippo graviſſimæ injuriæ, a quo & ipſe ex urbe Neapoli expulſus fuerat, & Alphonſo fratri omnis prope ſpes adipiſcendi Regni adempta. Non placuit Petro (etſi ira, atque indignatio animum ejus ad ulciſcendam injuriam ſtimulabant) quicquam ſuper ea re decernere, antequam Alphonſi voluntatem cognoſceret. Itaque continuo ad eum miſit, qui ejus animum ſuſcitaretur. Quo ad ſe profecto, Alphonſus animo reputans nullam ferme aliam gentem ſibi Neapolitanis in rebus adverſari poſſe, ac facile fore, ut, Thoma Genuæ principatum obtinente, ipſe cum claſſe proficiſcens, Reginam, quæ promiſerat, præſtare compelleret, placere ſibi auxilium Thomæ ferri renuntiari juſſit. Cujus voluntate cognita, Petrus ſumpto commeatu, cæteriſque neceſſariis in claſſem impoſitis, ad portum Piſanum curſum dirigit. Ibi Baptiſta, & Abramus Thomæ fratres cum duabus Florentinorum roſtratis ejus adventum opperiebantur. Cum hac claſſe quatuor & viginti naves longæ erant. Baptiſta, & Abramo ducibus in Liguſticum ſinum profectus, oppida mari vicina circumire, terroremque ingentem adverſariis inferre cœpit: & modo Clavarum, modo Genuæ portum, modo Savonam petens, omnia infeſta faciebat, nec, niſi inſigni magnitudine, naves commeatus importare in oppida patiebatur. Si quando in hominum Fregoſæ factionis naves incidebat, has abſque detrimento, atque inviolatas dimittebat, adverſariorum vero capiebat. Quod cum inimici animadverterent, quæ potuerunt, ex amicorum delectibus præſidia in oppida ſuſpecta, aut minus tuta confeſtim miſerunt. Inter hæc in ſpem Baptiſta Sigeſtri potiundi adductus (quod oppidum a Genua triginta millibus diſtat) Petro perſuadet, uti cum claſſe eo ſe conferat: multos amicos ſibi in eo oppido eſſe, qui ingreſſum pollicentur; horumque Principes eſſe Laurentium, Federicum, & filios, ſuæ factionis homines: quo oppido capto, reliquus illius oræ populus aut voluntate, aut metu deditionem facturos. Hæc cum dixiſſet, Petro conſilium approbante, Sigeſtrum profecti ſunt. Situs oppidi hujuſmodi erat. Locus eſt acclivis, leniter ſeſe a littore in montem attollens, inſulæ prope modo, undique mari circundatus: una tamen litoris pars continentem attingit, non latior ferme paſſibus centum: utrinque ſtationem habet lembis, ac triremibus tutam, ipſa montis natura maris impetum coercente. Sed non utraque ſtatio eadem tempeſtate tuta eſt; namque ciente procellas noto, eam partem, quæ Africo expoſita eſt, naves petunt: rurſum flante Africo, ad

eam

eam partem, quæ ad Notum vergit, mutata ſtatione ſe recipiunt, ipſorumque ventorum impetus magnam in utrumque litus arenarum molem vehunt. Qua de re etſi tellus ipſa foſſione facilis eſt, tamen oppidum in inſulam redigere difficillimum foret, atque adeo pene nulla ut arte effici, rationeve poſſet. Extra hanc peninſulam, in qua oppidum ſitum eſt, vicus erat nullis mœnibus circumſeptus, adverſæ factionis hominibus frequentior: namque in oppido Fregoſa factio plus poterat. Laurentius cum ſuis perpetuo intentus ſtabat, ut, cum primum claſſis acceſſiſſet, Baptiſtæ oppidum traderet. Itaque ad primum ejus adventum, pulſa adverſa factione, Baptiſtam intromiſit. Quo caſu, qui contrariæ factionis erant, conterriti, in montes propinquos, mox Centuriam (incolæ ita appellant) amicis frequentem, qui mons inter Sigeſtrum, & Clavarum eſt, ſeſe fugientes receperunt.

Ea re a Genuenſibus Philippo nuntiata, Nicolaum Guerrerium cum multo peditatu, equitatu pauciore (quod in montanis locis peditum uſus major erat) confeſtim eo proficiſci juſſit. Ad ſex millia hominum ii fuere. Ad hæc Genuenſes onerarias quatuor ingentes, quæ mari oppidum vexarent, miſere. Nicolaus primo Compianum cum exercitu profectus, quod oppidum in Apennino eſt ſitum, in agri Genuenſis confinio, priuſquam ulterius progrederetur, ejus regionis peritos aliquot conſuluit, quanam ſibi tranſeundus Apenninus eſſet. Duo enim erant itinera, per quæ Sigeſtrum aditus patebat, denis ferme paſſuum millibus inter ſe diſtantia, utrumque porro difficile, ac periculoſum, unum per vallem, quam Sturlæ vocant, alterum haud procul a Variſio oppido. Cæterum id remotius, ac multo minus tutum videbatur, propterea quod in iis locis Abramus magnam agreſtium manum ex amicis comparatam habebat. Namque Joannem Ludovicum, ac majorem Fliſcorum partem, ſummæ nobilitatis viros, quorum dominatu ea loca tenebantur, amicos atque adjutores habebat. Itaque Nicolaus aſtu utendum ratus, callidum pro tempore conſilium capit. Ligures complures expeditos, quibus ea regio nota erat, confeſtim deligit: hoſque ante lucem poſtridie Variſii iter ingredi præcepit, longoque agmine, pleriſque militaribus ſignis interjectis, quo majoris multitudinis ſpeciem atque opinionem hoſtibus præberent, incedere. Qui, ut erumpente luce in collibus apparuere, confeſtim iis, qui montem, quem Sanctam vocant, inſederant, uti erat conſtitutum, fumo ſignificare coeperunt. Qua re Abramo nuntiata, extemplo cum ea manu, quam coegerat, montem petiit, hoſteſque citato agmine perſequitur. Idem Vallis Sturlæ incolæ, depulſum a ſe periculum opinati, fecere:

Digitized by Google

cere, deſertiſque collibus, quos inſederant, Variſium verſus contenderunt. Ea re cognita, Nicolaus præmiſſis levis armaturæ hominibus, cum agreſtibus, pleriſque, qui colles ab hoſte deſertos occuparent, ipſe cum reliquo exercitu per vallem Sturlæ iter facit, viciſque paſſim direptis, atque incenſis, colles, per quos eundum erat, gradatim occupat, ne hoſtes a tergo urgere poſſent. At ea manus, quam per Variſii iter miſſam demonſtravimus, ut vidit Variſio motos hoſtes ſeſe citatim inſequi, effuſo curſu per montes ferri cœpit: inſtantibus jam a tergo hoſtibus, ſeſe plerique e ſubiecta rupe dejecerunt. Interea nuntiatum eſt Abramo hoſtes, Sturlæ Vallem ingreſſos, eam late populari, atque vaſtare. Et primo quidem fumus proſpectus ardentium tectorum, mox fœminarum, & puerorum clamor opem poſcentium auditus majorem ſuorum partem ad ſua defendenda revocavit. Ipſe quoque Abramus, intellecto hoſtium dolo, cum iis omnibus, qui ſecum erant, cumque equitatu, quem a Florentinis acceperat, eodem cucurrit, hoſteſque jam longe progreſſos inſequutus, ut vidit ſe aſſequi non poſſe, recta Sigeſtrum petit, ac Nicolao, nullo jam obſiſtente, per Lavaniæ amnis vallem, diverſa via, Clavarum profecto, ibi donec delectus imperati a Genuenſibus convenirent, conſiſtere iuſſus eſt. Interim Baptiſta, & Abramus ante Sigeſtrum oppidum caſtra in littore poſuerunt, foſſamque, & vallum ad utrumque litus (nam a tergo oppidum caſtra in litore muniebat) a fronte perduxerunt. Petrus cum claſſe ad litus ſtabat, alterumque caſtrorum latus tuebatur. Poſtquam Nicolaus, perfectis navibus, ac delectibus, ſe ſatis firmum, atque inſtructum videt, Sigeſtrum petere inſtituit. Abeſt autem Sigeſtrum a Clavaro non plus quinque millibus paſſuum. Cæterum iter plurimum confragoſum, & præceps. In medio ferme Centuria mons eſt, quem paulo ante monſtravimus, ab adverſariis magno præſidio communitus: ſupra Sigeſtrum collis eſt, qui Saltus ab incolis dicitur, qua brevis ad oppidum deſcenſus eſt. Hunc cum ſciret Nicolaus per ſpeculatores ab hoſtibus inſeſſum, magnam populariorum, atque agreſtium manum per ſuperiores montes circumiſit, qui, dejectis inde hoſtibus, continuo collem occuparent. Quod poſtquam Baptiſta animadvertit, confeſtim ſummiſſa peditatus parte, qui collem tueretur, ipſe reliquas copias in aciem producit. Petrus quoque ſub eundem collem, quam proxime poteſt, claſſem admovet. Nicolaus compoſito agmine iter faciebat, cum interea, qui circumiſſi ab eo fuerant, e ſuperiore parte magno impetu

in

Digitized by Google

in hoſtes invecti ſunt. Quod poſtquam conſpicatus eſt, peditatum confeſtim ſummiſit, qui hoſtes laceſſerent. Ita ſuperne ſimul, & a fronte impugnabantur. Non tamen uſque adeo animos remiſerunt, ut collem ſubito deſeruerint, ſed cominus pilis, & gladiis rem gerentes, fortiter aliquandiu reſtiterunt, multaque vulnera & intulerunt ſimul, & acceperunt: e claſſe multi eorum manu baliſtis, ac tormentis feriebantur. In viarum anguſtiis par utrinque virtus erat: ſed cum fortius premerent, qui de ſuperiore loco pugnabant, cedere coacti: ſenſim, deſerto colle, ſeſe ad equites in planitiem receperunt. Occupato ſaltu, Nicolaus celeriter in ſubjectos campos deſcendit, namque ante oppidum duorum millium, aut eo amplius, planities patebat, traductoque omni exercitu, eoque ſaltu, & circumjectis collibus inſeſſis, ac præſidio firmatis, haud procul ab hoſtium caſtris caſtra poſuit. Baptiſta, quod equitatu inferior erat, in caſtra copias reduxit, prælaque invicem quotidie conſerebantur, non tamen ut in univerſi certaminis fortunam deveniretur. Nicolaus equitatu prævalebat, ſed claſſe ab latere circumfuſa multi ſuorum tum militum, tum equorum manu baliſtis icti cadebant. At naves tres Genua profectæ tormentis, & omni telorum genere caſtra infeſta faciebant.

In hoc rerum ſtatu Nicolao nuntiatum eſt, Joannem Ludovicum, de quo paulo ante mentionem feci, cum magna popularium manu, e Variſio per Sturiæ Vallem in auxilium Baptiſtæ proficiſci, brevique ſupra caput iis affuturum, dejectiſque, qui colles tenebant, vallis fauces occupaturum. Quapropter veritus, ne reditu intercluderetur, ipſe confeſtim cum parte equitatus, diſſimulata fuga, ad eum ſaltum progreſſus, quaſi venturos hoſtes tranſitu prohibiturus, reliquas copias compoſito agmine ſe ſequi juſſit. Cæterum qui in caſtris manſerant, ut ſe deſertos a duce conſpexerunt, tumultuoſius, ac ſine ordine abeuntium veſtigia ſequuti ſunt, poſtremoſque adorti, in fugam conjecerunt. Horum fuga conſpecta, qui anteceſſerant, & ipſi, deſertis collibus, fugere effuſius cœperunt, nec ullius vi, aut imperio retineri poterant. Fugientibus per ſaltum (is vero eſt mons, quem ſupra memoravi) claſſis, quæ ad radices ſuberat, terrorem augebat; latera enim nuda manu baliſtis præbentes, multa inde vulnera accipiebant. Ad tria millia mercenariorum militum capta, reliqui ſeſe effuſo curſu Clavarum, unde venerant, receperunt; iique navibus invecti, quod terra tuto reverti in Galliam Ciſalpinam non poterant, Genuam trajecerunt. Secundum hanc pugnam Petrus, ac Baptiſta Rapallum oppidum pro-

profecti, expositis in terram navalibus sociis una cum Abramo; primo impetu oppidum cœpere, magna enim pars oppidanorum Fregosis favebat. Ingressi deinde vallem, ad cujus exitum oppidum situm est, insectari agrestes cœperunt, qui gregatim in colles convenerant. Erat autem per id temporis Antonius Fliscus Fregosis inimicus: is igitur, contracta popularium, & clientum non parva manu, præter delectos Genua ad se missos, in eam vallem descendit, hostesque adeptus ad naves repulit. Post hæc Petrus cum classe Ligusticum sinum circumire rursus cœpit: multaque detrimenta, iis præsertim, qui adversæ factionis erant, inferebat; nec frumentum, aut aliud commeatuum genus importari patiebatur. Sed hæc mala minus gravia civitati erant, quam reliquæ provinciæ; quoniam onerariis, quæ magnitudine excellebant, rostratæ navigationem inhibere non poterant: ad cætera vero oppida terrestri itinere e Gallia Cisalpina, interdum mari majoribus navibus deferebantur, sed sumptu maximo. Ex quo navigatio, ac mercatura apud eos, qui maritimam oram incolebant, omnis conquieverat: quotidieque ad Senatum Genuensem, & ad eos, quos Philippus Reip. præfecerat, graves querelas deferebant, atque ut, eorum calamitatibus consuleretur, precabantur. Quibus rebus cognitis, Philippus veritus, ne Alphonsi bellum Genuæ rebus discrimen ob Fregosam factionem afferret, si classis ejus in Ligustico sinu diuturniorem moram faceret, de pace cum Alphonso agendum censuit. Missis igitur ad eum in Hispaniam legatis, Bonifacium Corsicæ caput, quod pax aliter impetrari non poterat, ei se traditurum, insciis Genuensibus, pactus. Cum exolvere promissum non posset, Genuensi Senatu renitente, Veneris portum, atque Ilicem, duo in portu Lunæ Castella naturali situ munitissima, Bonifacii loco ei tradidit: atque ita pax convenit, fœdusque ictum. Digrediens e Ligustico sinu cum classe Petrus ad Cercinam Afrorum insulam profectus, expositis in terram navalibus sociis, primo impetu eam cœpit, ac diripuit; incolisque omnibus utriusque sexus, præter eos, qui in sylvis delituerunt, in servitutem adductis, in Siciliam rediit: eo videlicet consilio, ut Neapolitani Regni oras vexaret, atque hostes a navigatione arceret.

Dum hæc geruntur, Joannes atque Henricus Alphonsi fratres, qui post factam, quam dixi, pacem in pristinum statum apud Joannem Hispaniæ Regem restituti, cuncta rursus administrare, atque agere cœperant, Alvarum Lunam, de cujus con-

consilio Joannes omnia gesserat, donec inter illum, & Alphonsum discordia viguit, quod illos potentia æquare, atque eorum auctoritatem elevare nitebatur, e medio excedere, & in oppida sua abire coegerunt. Erat hic nobili quidem loco natus, cæterum propter scientiæ rei militaris opinionem summum apud Regem dignitatis gradum adeptus, omnia seu belli, seu pacis munera per se geri volebat. Eo igitur a Rege distracto, & a Regni negotiis in otium conjecto, Joannes, atque Henricus, ut dixi, cuncta agebant. Cæterum commune Regnorum malum invidia rursus eam fidem, quæ inter eos, ac Joannem Regem renovata erat, e medio sustulit. Quidam enim e Regni primoribus, quibus fratrum potentia invisa erat, variis suspicionibus injectis, denuo inter illos, ac Regem dissensionem pepererunt; atque, ut eorum opes everterent, Joanni persuasere, uti Alvarum, qui jam tum alterum annum jacebat, & a spe recuperandæ dignitatis pristinæ longe aberat, ad capessendas una secum Regni curas revocaret. Qui incunctanter profectus, ut vidit se pristinam auctoritatem adeptum, Joannis, & Henrici statum demoliri, ac labefactare cœpit, brevique fautorum ope, atque opera effecit, ut utroque a Regni curis amoto, de sui unius consilio, ac voluntate (ut consueverat) cuncta Rex gereret. Ea vero res maxime Alphonsum movit. Anno igitur post factam pacem ferme quarto tantam injuriam minime ferendam diutius existimans, cum intelligeret non posse fratres, nisi Alvari potentia imminuta, amissam dignitatem recuperare; ad Joannem scribit velle se aliquot dies Regni curis vacuos una cum eo agere. Simul ad mille equites, lectissimam juventutem, quorum plerosque e notabilitate Hispaniæ ad se studio partium traxerat, confestim convocat: sub specie ludorum equestrium, quos agere instituisset, cum ad eum perveniset, multa arma iis certaminibus apta parari jubet. Ejus profectio Alvaro in primis suspecta fuit, ne suo detrimento instituta esset. Quapropter minime cessandum ratus, ad artes se convertit, quando aperte vi uti non poterat. Adducto igitur in suspicionem Alphonso, quasi vellet Joanni Regnum adimere, coactis raptim, quas potuit, Regis jussu copiis, Alphonso jam Regni Hispani fines ingresso cum Rege obviam processit. Quod ubi Alphonsus agnovit, delecta raptim habito, quando consilium non succedebat, vi agendum aperte ratus, tria millia peditum equitatui addidit, progressusque ad Aegyptam oppidum, plano ac patenti loco castra posuit. Ea re cognita, Joannes cum Alvaro citato

tato agmine iter facientes in colle edito, unde Alphonſi caſtra conſpici poterant, conſedit. In hac caſtrorum propinquitate quotidie magis ac magis irritabantur utriuſque partis animi: parvaque prælia invicem committebantur, iiſque Alphonſus, quod equitatu plus poterat, ſuperior evadebat. Cæterum aliis ſuper alios in dies adventantibus, poſtquam Alvaro viſum eſt Joannem ſatis inſtructum ad certamen eſſe, fortunam prælii experiri, quod ad eam diem recuſaverat, ſtatuit. Et iam uterque exercitus conflicturus erat, cum Maria Alphonſi uxor, eademque Joannis ſoror intervenit, ſeque viro, & fratri mediam objecit, precibuſque ſimul, & lacrymis impia, atque nefaria arma e manibus utrique eripuit. Deinde una cum Pontificis Maximi legato, ob eam cauſam in Hiſpaniam profecto, effecit, uti Alphonſus, factis induciis, retro in Regnum concederet. Cæterum hæ induciæ non belli finis, ſed parvi temporis quies fuere: namque Alvarus Joannem quotidie ſtimulare in Alphonſi odium non deſinebat. Itaque Regem rurſus impulit, ut, contractis ingentibus copiis, bellum renovaret. Quod poſtquam ad Alphonſum perlatum eſt, confeſtim ex delectibus ad xx. millia peditum coegit: oppidaque hoſtili Regno oppoſita, quæ haud ſatis tuta videbantur, ſolo æquari, incolaſque cum bonis in tutiora loca tranſmigrare, pabula præterea, & ſtramenta, ne hoſtibus uſui eſſent, igne corrumpi juſſit. Paratis deinde, contractiſque omnibus copiis ad Regni fines proceſſit. Joannes equitum millibus circiter triginta, peditum quadraginta, Aragoniam ingreſſus, inter Sertinum, & Fericiam oppida caſtra poſuerat, Fericiamque primum oppugnare aggreſſus eſt. Oppido præſidio miſerat Alphonſus complures viros fortes, ac ſtrenuos Italico bello expertes, qui non tantum de muro pugnare, ſed etiam extra oppidi munimenta prodire, & aperto Marte manus cum hoſte conſerere audebant. Triduo id oppidum totis viribus a Joanne necquicquam oppugnatum eſt. Pari animo audaciaque reſtiterunt, qui Sertinum tuebantur. Alphonſus, ut Joannem ex Aragonia abſtraheret, proxima Regni ejus vaſtabat: quod ubi Joannes agnovit, decimo poſtquam venerat die, irrito incœpto, in Regnum ſe recepit. Cujus diſceſſu comperto Alphonſus quinque peditum, tribus equitum millibus ex omni numero delectis Deciam oppidum petit: atque illud, & Boroniam, ac ſeptem præterea oppida, Aragoniæ finitima, intra paucos dies expugnavit; iiſque præſidio valido firmatis, quod per anni tempus res geri non poterat, in Aragoniam in hyberna copias reduxit. Ineunte vere,

Digitized by Google

vere; ne hostis posset pro arbitrio Regni sui fines penetrare, omnem undique aditum firmis præsidiis sepsit; constitutisque domi rebus, Taraconem profectus est, copiis eodem convenire jussis. Nam, quod ea urbs situ permunita, atque opulenta erat, & in confinio hostium posita, is locus omnium commodissimus ei est visus, quo potissimum copiæ contraherentur. Ea re Joanni renuntiata, non minori & ipse cura omnes in fines suos aditus præclusit, copiasque, quas potuit, convocavit, concitatis in mutuam perniciem utriusque Regis animis: namque ita natura comparatum est, ut si qua inter necessarios ira intercidat, acerbiora inde odia, gravioresque inimicitiæ exoriantur. Verum priusquam justæ convenirent acies, multæ excursiones, ac populationes ultro citroque factæ, ac pleraque oppida hinc inde debellata.

Inter hæc Petrus Alphonsi frater, qui jam cum classe in Catheloniam redierat, Alborcherium, quod oppidum est in confinio Lusitaniæ situm, cum magna popularium manu profectus est, ut ab ea quoque parte Joannis Regnum vexaret. Erat ei summa amicitia, vetusque hospitium cum Alicantaræ Magistro, ita enim appellatur ejus Religionis princeps: namque Ferdinandus Rex sapientissimus filiorum adolescentiam ei viro propter gravitatem & integritatem vitæ regendam dederat; iique ab eo liberaliter instituti fuerant. Qua necessitudine consisus Petrus, cum ad oppidum, quod ab ipso Alicantaræ Magistro tenebatur, profectus esset, ut inde auxilia ad bellum accerseret, fratris filius a Joanne Hispaniæ Rege magnis pollicitationibus persuasus, adempta patruo oppidi possessione, Petrum in Joannis potestatem tradidit: quem Henricus frater, cum aliter liberare non posset, nisi eo oppido Joanni tradito, fraterna pietate victus, oppidum haud cunctanter tradidit. Isque dimissus, ad Henricum venit: atque inde ambo, cum nihil aliud tutum in ea provincia adversus Joannis opes amplius haberent, ad Lusitaniæ Regem, cui soror nupta erat, sese receperunt, belloque inde renovato, Joannis Regnum multis cladibus affecerunt. Alphonsus, copiis omnibus coactis, Regni hostilis interiora ingressus, longe, lateque terrorem incussit. Joannes quoque identidem excursiones multas in Aragoniam fecit. Nusquam tamen collatis signis dimicatum: præliorum fortuna varia fuit, magisque tempus procursationibus atque populationibus tritum, quam ut uno prælio bellum finiretur: sed trahendo bellum exasperatis odiis, tandem in conspectu castra posuerunt, universi certaminis fortunam

Digitized by Google

ſubituri. Cum hic eſſet rerum ſtatus, nonnulli ex Regni Optimatibus (quibus Regum diſcordia moleſta erat) antequam prælio decernerent, Reges adeunt; quantaque hominum cædes, quanta Regni utriuſque calamitas conſequutura eſſet, ſi omnibus copiis decertarent, quamque præterea flagitioſum ad famam tanta neceſſitudine devinctos Reges inter ſe gladios ſtringere, docent: iiſque & hujuſmodi verbis utrumque Regem perpulere, ut, omiſſa pugna, per legatos & communes amicos de pace ageretur. Itaque induciis in quinquennium factis, delecti arbitri, qui, cognita rerum controverſia, pacis conditiones dicerent, quo penitus omnis diſcordiæ cauſa tolleretur. Iiſque conſtitutis, non prælium modo, quod haud dubie cruentiſſimum futurum videbatur, ſed etiam tam atrox, tamque impium bellum ſublatum eſt.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER QUARTUS.

FInito bello in Hiſpania, Alphonſus, ut aliquid inſigne pro Chriſtiana Religione ederet, adverſus Afros bellum gerere inſtituit. Itaque Barcinonem profectus, ſex & viginti triremium claſſem comparavit, hiſque onerarias novem adjecit, quæ commeatus & bellica opera vehierent: omnibuſque diligenter proviſis, Caralim, inſignem in Sardinia Hiſpanorum Coloniam, ut inde, ſumpto commeatu, Africam peteret, primum profectus eſt. Cæterum cum jam inde diſceſſurus eſſet, biremis quædam e Sicilia celerrime ad eum nuntiatum venit, Trupiam Brutiorum oppidum, quod in Hiſpaniam proficiſcens, valido præſidio firmatam reliquerat, ad Ludovicum defeciſſe, arcemque in periculo eſſe, niſi ei confeſtim auxilium feratur; quod Joannes Rota arcis præfectus deditionem pepigerit, niſi intra dies viginti ei ſubſidium mitteretur; ob eamque rem maturandum eſſe, ne ſero ac nequicquam poſtea opem ferret. Qui ubi hæc accepit, nihil ad navigandi celeritatem ſibi reliquum fecit. Neque enim ignorabat, quantum detrimenti rebus ſuis afferret ejus oppidi amiſſio, quod & ad claſſis receptum in ſumma portuum paucitate, & ad vexandam Brutiorum ſuorum hoſtium oram per-

com-

Digitized by Google

commode ſitum videbatur: alluitur enim magna ex parte mari, eſtque non tantum ſitu, ſed etiam opere permunitum. Et jam ad Carbonariam Sardiniæ promontorium ſecundo vento vectus pervenerat, cum ſubito atrox & turbulenta vis tempeſtatis coorta, claſſe in portum rejecta, duodecim dierum curſum morata eſt. Quæ quidem res impedimento fuit, quo minus Trupianæ arci in tempore ſubveniri potuerit. Poſtquam ventus deſiit, pacato mari claſſem rurſum ſolvit, atque inde in Siciliam trajecit: ac vix duabus horis in Panormi portu commoratus, tamen ut ſciret an adhuc Trupiana arx ſuo præſidio teneretur, in Brutios celeriter contendit: ea vero venti vis fuit, ut ante horam vigeſimam octavam in Trupiæ conſpectum acceſſerit. Cæterum idem ventus, qui venientibus proſper fuerat, deſcenſionem in terram facere volentibus adverſus fuit: adeo enim ad littus undas concitaverat, ut triremes pontes exponere nullo modo poſſent, quod quidem ipſa venti natura, & vis efficit, qui quemadmodum primo ingreſſu maria placat, ita ad exitum perturbat, ac ciet. Iſque forte dies erat, quò arcis præfectus deditionem pactus fuerat, niſi auxilium accepiſſet. Qua de re Alphonſus, etſi ſciebat ſibi cum Ludovico dimicandum eſſe, propterea quod arx ducentos ferme paſſus a mari diſtabat, nec ad eam, niſi per medios hoſtes ſtrictis gladiis, evadi poterat, omnino obſeſſis opem ferre ſtatuerat. Cæterum dum ad terram fertur, præfectus arcis ſive obſidum metu, nam filios fidei pignus Ludovico dederat, ſive quod putarit ſe perfidiæ nota inuri poſſe, niſi arcem ad præſtitutam diem dederet, ſive deſperarit navales ſocios propter maris tempeſtatem in terram exponi poſſe, educto inde præſidio, arcem Ludovico dedit, eam ſibi continuo dedi, viſa claſſe, depoſcenti: namque is pertinaciter inſtabat, ut eam in poteſtatem ſuam redigeret, priuſquam claſſis propius accederet. Qua re cognita, Alphonſus ſupervacuam dimicationem ratus in Siciliam, unde venerat, ut propoſitam, & jam cœptam expeditionem exequeretur, rediit. Fuit autem hic annus ab ortu Chriſti vigeſimus ſextus & quadringenteſimus ſupra milleſimum: onerariæ quatuordecim, biremeſque, & ſpeculatoriæ ad ſeptuaginta claſſi adjectæ, machinarum omnis generis, & commeatuum vis magna comparata: peditum, atque equitum non parvus numerus. Atque hæc intra quinquaginta dies (tantus omnium ardor, & ſtudium erat petendæ Africæ) effecta.

Interea Reguli, & copiarum duces (quemadmodum iis mandatum

datum fuerat) cum imperatis militibus, & commeatibus ad diem convenere. Quibus profectis Alphonſus ad inſulam Gerbim (quam veteres Lothofagitem appellabant) curſum dirigi imperat, Superos precatus, uti ea expeditio ſibi, ſuiſque bene ac feliciter verteret. Abeſt autem Gerbis a continenti circiter quatuor millia paſſuum, inſula cultoribus frequens; qua ad occidentem vergit, ſinuata propius continenti jungitur, nec plus fere mille paſſus ab ea diſtat: pons lapide ſtructus inſulam continenti jungit. Hic erat ante omnia occupandus, ac reſcindendus adverſus Barbarorum incurſum, quo Gerbini, auxilii ſpe ſublata, facilius ad deditionem cogerentur. Alphonſus itaque cum navigans appropinquaret inſulæ, onerarias primo ad eum portum, ſupra quem turris eſt ſita, quam a nomine conditoris Valgarneriam appellant, petere jubet, quod propter ſyrtes propius pontem accedere non poterant. Deinde roſtratis bifariam diviſis, æquam partem Guteriæ attribuit: cumque ſtatuiſſet a duabus partibus pontem occupare, petiit ab eo Guterias, uti ſe ab occidente pontem adire ſineret, arbitratus ab ea parte ſeſe ad pontem ante venire, & præoccupare poſſe: cujus poſtulatio, quorſum tenderet, etſi non fallebat Alphonſum, tamen id ei facile conceſſit. Erat autem Guterias rei maritimæ ſcientiſſimus. Itaque Alphonſus ab oriente, Guterias ab occidente pontem petunt. Sed dum proficiſcitur, vadorum haud ſatis gnarus, multis flexibus, ac reflexibus tardius iter facit. Alphonſus prior in pontis conſpectum venit. Nonnullæ etiam navium, quæ Guteriam ſequebantur, vadis implicitæ, curſum demoratæ ſunt. Cæterum cum Alphonſus propius ad pontem ferretur, triremes quædam ex iis, quæ eum ſequebantur, præeundi cupiditate cum citatius agerentur, in vadis hæſere. Quod ubi conſpicatus eſt, illico agmen antegreſſus, omnes ex ordine ſequi ſe jubet, neve in vada ignota & ipſe incideret, ſpeculatoriam præmittit, quæ fundum exploret, ac ſic tuto ad pontem ſucceſſit. Jecerant autem Barbari utrinque juxta pontem magnam lapidum vim ejus claſſis ſuſpicione, ne qua naves pontem ſubire poſſent, atque in eum armatos exponere: hos igitur lapides primum exhauriendos curavit, dato quibusdam negocio, qui in mare ſubito ſeſe conjecerunt. At Gerbini, qui ad primum claſſis conſpectum ad arma conclamantes, magnam jam hominum vim coegerant, ut viderunt acervos lapidum detrahi, claſſemque ponti puppes appellere conari, ad prohibendos deſcenſione noſtros cucurrere. Inter hæc tres viri fortes, contemptis hoſtibus, pontem ingreſſi, tam diu Barbarorum impetum ſuſtinuere,

Digitized by Google

nuere, donec, purgato fundo, regia triremis ad pontem perveniret: namque e classe & suorum studiis, clamoribusque, & manu balistis, quas Barbari maxime formidabant, adjuvabantur. Sed tanta lapidum congeries erat, ut non omnes naves ponti puppes admovere possent. Itaque quando aliter non poterant, per proximas triremes, veluti per scalas, navalibus sociis expositis, cum Barbaris prælium conferere cœperunt: qui cum primo impetu fortiter resisterent, mox pluribus in pontem transgressis, cum vim ferre non possent, in fugam conjecti, plerisque vulneratis, & cæsis, in insulam refugerunt. Posthæc Alphonsus, continuo ea parte operibus munita, quæ ad insulam vergebat, ne qua irruptio a terra fieri posset, pontem a tergo rescidit. Interea Guterias ingenti labore e vadis elapsus, cum pontem versus ferretur, & illum armatis plenum prospiceret, dubitare cœpit eæ ne hostium copiæ, an Regis essent. Cæterum propius accedens, ut signa Regia cognovit, arbitratus (id quod erat) pontem a Rege occupatum esse, celeriter invectus & ipse, ab altera parte navales socios in pontem exposuit. Nocte, quæ insequuta est, Afri, qui parati in armis erant (nam ob classis hujus metum Bopherius Africæ Rex multa hominum millia coegerat, atque in diversis locis dispositerat, ignarus quemnam potissimum locum Alphonsus cum classe petiturus esset), in conspectum insulæ frequentes convenere. Bopherius vero, ut cognovit, per ignes in diversis promontoriis excitatos, Alphonsi ad ipsam insulam adventum, ad duo millia equitum auxilio confestim misit: qui, ut, ponte occupato, iter ad insulam interruptum videre, haud procul inde constiterunt: ac statim nuntius cum literis a Bopherio ad Alphonsum venit, camelo, quem a velocitate Dromaden vocant, invectus: in quibus literis scriptum erat, se mox cum copiis affore, pugnandique potestatem facturum: Regem cum Rege certare magis decere, longeque laudabilius esse, quam cum unius parvæ insulæ cultoribus: neque enim ex Gerbinis devictis tantum illum gloriæ adepturum, quantum si Regem prælio vicerit. Erat is quidem & animi magnitudine, & prudentia singulari, atque ob id a Barbaris vehementer colebatur. Alphonsus, etsi ob terrorem Gerbinis injectum, insulam a se capi posse confidebat, nec ignorabat quorsum a Bopherio scriptæ literæ tenderent, tamen ne detrectasse certamen videretur, abstinere insulæ oppugnatione, ac præstolari ejus adventum decrevit; renuntiarique jussit oblatam sese conditionem læto animo accipere; veniret modo quamprimum, nec rem in

dies

dies traheret. Paucis post diebus Bopherius cum ingenti peditum, atque equitum numero affuit, castrisque in conspectu hostium positis, ipse cum robore, ac flore totius exercitus in ponte consedit, ac pro munimento, qua hostium castra vergebant, grandes palmarum truncos hostium telis ac tormentis oppositi, quorum tanta durities erat, ut etiam tormentis resisterent. Is dies in muniendis utrinque castris consumptus: namque prælium in sequentem diem ex composito dilatum fuerat, edixeratque Alphonsus, nequis ante eam diem munimenta transiret, aut manum cum hoste consereret; quique aliter fecisset, ei capitale id fore. Idque negotii dederat Joanni Vintimillio, atque Eximino Corellæ, quos munimentis, quæ Bopherii castris proxima erant, præfecerat. Biremes, ac lembos sagittariis instructos partim a pontis dextra, partim a sinistra postero die mittere statuerat, qui utrinque hostes lacesserent, quique uno, atque eodem tempore in terram egrederentur, & dum ipse a fronte urgeret, a tergo hostes aggrederentur, interjectis raptim munimentis a terra, quæ ex doliis paraverat, ne qui in alterius, quæ trans pontem erant, castris Regi suo opitulari possent. Qui ordo, si servatus esset, haud dubie Bopherius cum iis omnibus, qui una cum eo in ponte consederant, eo die capi potuissent. Cæterum paucorum quorundam temeritas pugnam, quæ in posterum diem extracta fuerat, eo die repræsentari compulit. Namque ii a Barbaris quibusdam munimento proximis ad singulare certamen provocati, neglecto imperio, atque edicto regio, per asserem interjectum transmisere: qui mox cum provocantibus congressi, cum eos pellerent, Barbarorum plures in sese converterunt. Tum qui e nostris propiores erant, munimenta transgressi, ad opem iis ferendam confestim jere. Quod ubi Alphonso nuntiatum est, indignatus confestim misit, qui & cæteros transitu inhiberent, prælium que committi non sinerent, ac transgressos revocarent. Cæterum utrinque jam usque adeo incensi ad pugnam erant, ut nec transgressi revocari, nec qui in castris erant, ullius imperio retineri possent. Quod cum Alphonsus animadverteret, fortunæ eventum experiri statuit: castrorum utrorumque munimenta, quantum modo pontis patebat interruptio, distabant: exercitus extra teli jactum subsistebant, atque ad extrema munimentorum ligneæ turres, ac propugnacula excitata erant. Ab insula quoque prospectum, ne quid inde detrimenti in ipso pugnæ ardore caperetur. Ingentibus deinde animis utrinque concursum: namque & ipse Bopherius lectis-

Digitized by Google

lectiſſimam ſuorum manum, totumque exercitus robur in pontem, ut dixi, traduxerat. Sed is tumultus, magis quam juſtum prælium erat: nam neque acies inſtrui, neque copiæ diſtribui, nec quicquam ex diſciplina, & more militari ſervari potuit: atrox vero, quoniam in anguſto res gerebatur, certamen erat; ſtetitque aliquandiu utraque immota acies. Sed minus ſua damna ſentiebat Pœnus, quod multitudine abundabat, quæ continue a caſtris in pontem procurrebat. Quod ubi Alphonſus animadvertit, lembos quosdam, ut inſtituerat, circa pontem dimiſit: ipſe inter primos progreſſus tantam alacritatem ſuis injecit, ut tum primum prælium iniiſſe viderentur, tum hoſtes loco moti ad Regis tabernaculum paulum ſubſtiterunt: namque Reges ſuos Barbari pro diis habere, colereque conſueverunt: hic fortiſſimus quiſque eorum, dum acrius pro Regis ſalute decertat, interficitur: denique, verecundiam metu vincente, in fugam verſi, toto ponte ceſſerunt: ipſe quoque Bopherius, deſperatis rebus, equo repente ab equite, qui circumſtabat oblato, in altera caſtra ſe recepit. In eo prælio Barbarorum multi vulnerati, complures etiam cæſi, in queis Regis cognatus: ſigna ſex Regia, ac tormenta ænea duodeviginti capta. De Alphonſi quoque exercitu nonnulli quoque viri fortes deſiderati ſunt: in quibus Joannes Heredia honeſto loco natus, qui pugnæ initio reſciſſi pontis intervallum ſtrenuo ſaltu tranſgreſſus, cum fortiter pugnaret, lancea jugulum trajectus e prælio ſemianimis exceſſit.

Ea victoria, etſi grata Alphonſo fuit, tamen hoc minus jucunda extitit, quod ante conſtitutum pugnæ tempus dimicatum fuerat. Cupiebat enim collatis ſignis juſto prælio cum Rege dimicare; idque ſibi majori exiſtimationi, & gloriæ ducebat fore, ſi ex propoſito congreſſus, ipſe Rex Regem fudiſſet. Poſt hæc, qua brevem eſſe trajectum in inſulam dixi, Joannem Calatageronem (id ei cognomen fuit) cum biremi mittit, qui Barbaros equites, qui per vada cognita in inſulam evadebant, cum ſe æſtus in mare refudiſſet, tranſitu arceret: namque ea loci natura erat, ut nec pedibus, nec equo inſula adiri ex continenti poſſet, cum ſe ex alto æſtus invexiſſet; quod ſexta quaque hora (quemadmodum in Oceano) contingit: neque navibus tuta ſtatio erat, quod rurſus, decedente æſtu, naves in vadis deſtituebantur, periculumque a terra incurrebant. Sed Joannes mox vel prædandi cupiditate, vel commorandi tædio demandatam ſibi a Rege ſtationem deſeruit. Ejus diſceſſione Barbaro nuntiata, nocte, quæ ſequuta eſt, complures equites in in-

Digitized by Google

ſulam tranſmiſit. Quo cognito Alphonſus, etſi omnem prope ſpem expugnandæ inſulæ abjecerat, haud tamen inchoatam obſidionem deſeruit; quin etiam cum omni exercitu, niſi quantum caſtrorum præſidio ſat erat, in inſulam tranſgreſſus eſt: ibique caſtris poſitis, incolas in maximum metum, ac diſcrimen adduxit: cumque populationibus, & incendiis vaſtare inſulam ſtatuiſſet, interea pacis mentio a Bopherio orta eſt, eaque Punica fraude tractata; factiſque aliquot dierum induciis, copiæ in pontem reductæ ſunt. Redimere ſe velle grandi pecunia pacem ſimulabat, ne inſulam vaſtaret. Sed dum in conditionibus dandis, & accipiendis tempus teritur, commeatus claſſi deeſſe cœpit; quod tempus de induſtria Bopherius expectabat, ut inopia commeatuum compulſus Rex abſcederet: pluresque etiam in inſulam ab eo interim ſurtim tranſmiſſi, ut jam oppugnatio omnis vana, atque irrita videretur. Quibus neceſſitatibus adductus Alphonſus, ſoluta inde claſſe, in Siciliam rediit; paucoſque dies Meſſanæ commoratus, agitare animo cœpit, quonam modo Neapolitanum Regnum, quod amiſerat, recuperare poſſet. Itaque Aenariam inſulam, quæ adhuc ejus præſidio tenebatur, adire primum ſtatuit, uti Reginæ erga ſe animum exploraret, profectuſque, agere de reconciliatione, & pace cum illa per internuntios cœpit: & Joannâ quidem ſimulabat ſeſe pacem ejus non aſpernari: cæterum, uti ejus rei exitus docuit, ab ea re longe averſa mens erat. Jam enim multorum perſuaſionibus ad Ludovicum inclinaverat. In his agendis, quod reliquum æſtatis fuit, nequicquam conſumptum: pace tamen nomine magis, quam re facta, in Siciliam rediit, eo animo, atque conſilio, ut inde in Hiſpaniam remigraret, ſatius ducens tempori cedere, dum emolliretur Reginæ durities, ſi forte emolliri poſſet, aut ſi conſilium immutaret, quod varia, & mobilia ſunt mulierum ingenia, quam concertando illius in ſe animum odio exaſperare. Jamque ob eam rem naves aliquot, & milites miſſos fecerat: iique in Hiſpaniam abierant. Commeatu igitur in claſſem impoſito, inſtante jam hyeme, Drepanum petit, inde, ut primum per maris tranquillitatem poſſet, claſſem soluturus. Cum autem omnia ad curſum parata eſſent, nec aliud reſtaret negotii, quam anchoras moliri (res dictu mira, ac pene incredibilis accidit) tres circiter menſes tota claſſis in anchoris ſtetit, ventum modo ſecundum fruſtra expectans, ut fato quodam datum eſſe videretur, non eſſe fas ex Italia diſcedere, cui Regnum Neapolitanum deſtinatum eſſet. Inter hæc Ludovicus ejus

æmulus

Digitized by Google

æmulus apud Conſentiam Bruttiorum oppidum febri correptus mortem obiit: quo audito, Alphonſus rurſum in ſpem potiundi Regni Neapolitani, quam quidem illo vivo poſuiſſe videbatur, venire cœpit, obſervabatque ſi qui motus in eo Regno illius morte conſequerentur. Nec multo poſt nuntiatum eſt ei, Joannam quoque defunctam eſſe. Qua re cognita, quam ex Ludovici morte ſpem conceperat, vehementer confirmavit. Cæterum hæc tam magna erant, ut vix nuntiis fides haberetur. Quis enim crederet tot adipiſcendi Regni opportunitates ſibi tam brevi ſpatio contigiſſe? Exceſſerat primum e medio Joannes Caratiolus, inimicorum conſpiratione noctu fœde interemptus, cujus & magnæ opes erant, & acerbiſſima in Alphonſum odia. Exceſſerat e vita Ludovicus, maximam jam apud populos ac Regni Principes auctoritatem adeptus, quo vivo Regni poſſeſsio ſibi prorſus deſperanda erat. Demum Joanna deceſſerat, quæ una ejus votis obſtare poterat. Hæc omnia reputanti ſibi longe profecto majora videbantur, quam ut iis fides haberetur. Apparebat enim a Superis datum eſſe, ut, omnibus, qui obſiſtere poterant, e medio ſublatis, ipſe unus abſque controverſia Neapolitano Regno potiretur. Itaque confeſtim Caraffellum Caraffam, cujus opera fideli ac forti multos jam annos uſus fuerat, ad Raimundum Buillum, cui Neapolitanæ arcis, & Italicarum rerum curam mandaverat, miſit, qui quorſum inclinarent civium ac Regulorum animi, quantum tuto poſſet, ſcrutaretur, quemquam potiſſimum ſuſpicerent, cuique Regnum deſtinarent. Ipſe interea tantis opportunitatibus adjutus de repetendo Regno meditabatur. Re igitur ad conſilium delata, fuere, qui cenſerent, intermiſſis rebus Italicis, ſibi in Hiſpaniam, ut conſtituerat, abeundum eſſe; quod ei pecunia ad bellum gerendum deeſſet, reparandas vires, inſtaurandam validiorem claſſem: interea ſciri poſſe in quemnam Regem Neapolitanorum, ac Regulorum ſtudia converſa eſſent, quod prius ſciri neceſſe eſſet, quam eo arma rurſum conferrentur: ad hæc Petro fratri fortiſſimo viro claſſis, & copiarum partem relinquendam eſſe, qua in oram Neapolitanam vectus, adverſus eos, qui imperium detrectarent, bellum gereret. In quam ſententiam liberius pro ingenio, petita a Rege venia, cum Guterias loquutus eſſet, dixiſſetque ſeſe tamquam hominem haud ſobrium loquutum, ſubridens reſpondit Alphonſus: Tu certe tamquam homo ſuper cœnam loquutus es. At ego idcirco, ne hominis temulenti ſententiam ſequutus videar, ſtatui non diſcedere. Dimiſſo conſilio, quo

Digitized by Google

magis magiſque rerum ſtatum, & temporum animo volvebat, hoc magis in propoſito permanebat, omniaque, quæ ad eam rem pertinerent, attentiori cura cogitabat. Inter hæc ex Caraffello, quem avidiſſime expectabat, ad ſe reverſo de Neapolitanorum voluntate atque animo, quantum ille ſciſcitando conſequi potuerat, cognovit: quem in ſecretius colloquium adductum cum percontatus eſſet, quidnam de ea expeditione ſentiret, videri ſibi, inquit, eam arripiendam eſſe fortunam, quæ ſeſe ultro offerret: numquam poſtea majorem illi opportunitatem adipiſcendi Regni, quod tantis laboribus & periculis quæſiviſſet, fortunam allaturam? Cujus verbis haud mediocriter confirmatus (nonnullos enim Regulos ad ſe inclinare acceperat) cum e Catina Meſſanam trajeciſſet, conciliare ſibi primum Regulorum animos inſtituit, & in primis Joannis Antonii Urſini Tarentini Principis, qui ut, magnitudine ditionis, ita dignitate & auctoritate inter Regni Optimates eminebat. Hic vero, cum olim ejus fides apud Joannam ſuſpecta fieri cœpiſſet ob inimicitias, quas cum Joanne Caratiolo exercebat, a Ludovico cum exercitu fines ejus ingreſſo, cui Jacobus Caudola præerat, prope omni agro, atque imperio exutus fuerat, ſeptem modo oppida tutatus, ſitu, atque opere munitiora, cæteris aut vi aut metu ad deditionem compulſis. Hunc itaque Alphonſus ſibi primo conciliandum, & ad ſua recuperanda enixe adjuvandum exiſtimavit. Sperabat enim, ſi beneficio ſuo, quæ amiſerat, recepiſſet, non illum modo, ſed & alios nonnullos Regulos, qui illum aut propinquitate, aut benevolentia contingebant, auctoritate illius, & gratia in ſe Regem abſque controverſia conſenſuros eſſe. Accedebat ſumma commoditas propter brevem trajectum tranſportandarum in Neapolitanum Regnum copiarum, atque belli ab ea parte gerendi. Contracta igitur cum eo amicitia, Joannem Ventimillium acrem & impigrum virum cum mille equitibus ad eum miſit: ac paulo poſt Minicucium Aquilanum cum pari equitum numero, quorum opera ſorti, quæ amiſerat oppida, brevi recepit.

Ludovico, & Joanna mortuis, ingens rerum perturbatio in Neapolitano Regno conſequuta eſt. Res enim arbitrio multitudinis magis etiam vehementius, quam Optimatum conſilio gerebatur. Siquidem nullo conventu Principum acto, Renatum Ludovici fratrem e Gallia quamprimum accerſendum in Regnum decrevere. Interim vero qui ſummæ rerum præeſſent, Otinum Caratiolum, Georgium Alamannum, & Balthaſarem Rattam (id ei cognomen

Digitized by Google

men erat) Andegavenſis factionis Principes delegerunt, octingentiſque equitibus e Neapolitana juventute conſcriptis, Jacobum Caudolam Tarentino Principi maxime infeſtum, pecunia e Reginæ loculis deprompta, cum duobus millibus equitum mercede conduxere, atque ad Renatum legatos miſerunt, qui illum ad Regnum capeſſendum accerſerent. In hoc rerum ſtatu dum expectat Alphonſus, quorſum primi motus evaderent, Joannes Antonius Martianus Sueſſanorum Dux, Franciſcus Aquinianus, Chriſtophorus Cajetanus, ac Rogerius frater iis, qui Neapolitanam rem adminiſtrabant, infenſi, ad eum reſpicere cœperunt. Atque ut eum facilius ad bellum traherent, cum ſcirent Capuam urbem, quæ ab adverſariis tenebatur, ingentis ad victoriam momenti eſſe, ſpe iis oblata illam per proditionem occupari poſſe, omnes in id unum curas, & cogitationes intendere. Præerat arci intra urbem ſitæ (nam duæ ſunt) Joannes Caramanicus, Joanni Antonio, quod is ditioni ſuæ ſubjectus erat, amicus, ac fidus, & ob eam cauſam iis ſuſpectus, per quos Neapolitana Reſpublica gerebatur. Huic magnis præmiis per internuntium Joannes Antonius ſuadere clam cœpit, uti ſibi arcem traderet: cui ille velle ſe quidem annuit. Cæterum eam rem fruſtra tentari, niſi turres ad pontem ſitæ (quæ altera arx) uno atque eodem tempore occuparentur: quod civitate inimica, cui præſidio quadringenti equites miſſi forent, nullus iis pateret aditus, qui arci ſubſidio venturi eſſent: tentaturum itaque ſe propediem, ſi forte quidam e præſidio, quo amico utebatur, propoſito præmio adduci poſſet, uti turres ipſas traderet: cujus rei efficiundæ nonnullam ſpem haberet: ſignificaturum vero, quid agi poſſe confideret, poſtquam illius voluntatem cognoviſſet. Nec dicto fides abfuit: confeſtim enim cum amico agere, multa & magna pollicendo per hominem fidum de ea re cœpit: nec difficulter perſuaſit, petentique aliquot ad ſe viros ſtrenuos per noctem ab exteriore parte mitti, quos in turrim per funem admitteret, quos ſibi fideliores putabat, delegit; ſeque, qua hora commodum foret, cornu ſignificaturum monuit. Poſtridie cum ſibi alterius turrium cuſtodia proxima nocte eveniſſet, patrandæ rei tempus arbitratus, cornu datum ſignum: tum qui parati erant ſtrenui viri, taciti turrim ſubeuntes, per demiſſum ab eo funem conſcendere, atque adniti cœperunt. Sed tam difficilis erat aſcenſus, præſertim armato militi in tanta muri altitudine, ut vix tres ex omnibus in turris faſtigium evaſerint. Hos in ſecretiorem partem abductos

ctos confestim occuluit; & quoniam propter sociorum paucitatem rem exequi aperte non audebat, ad dolos se convertit: primumque socios singulos, quasi aliquid operis facturos, ad se vocat, comprehensosque, & loqui vetitos, adjuvantibus iis, quos intromiserat, seorsum disponit. Denique iisdem artibus & ipso Præfecto arcis intercepto, Joanni Caramanico per cornu, uti convenerat, signum dedit. Ille, ut intellexit arcem in amici potestate esse, lætus postridie mane Citatinum (id ei nomen erat), præsidii urbani præfectum, arte capere instituit; cum quadringentis enim equitibus, præter urbanas copias, iis dimicandum erat, qui arci auxilium laturi forent; adjuvitque fortuna ejus consilium. Forte enim per eos dies Citatinus duos Campanos cives e primoribus Civitatis verbis altercando ad rixam progressos, ipsarum turrium præfecto in custodiam tradiderat. Mittit igitur ad eum Præfecti nomine, qui ei significet velle cives illos, qui in custodia tenebantur, positis inimicitiis, in gratiam reverti; & ob eam rem petere, ne ad se venire in arcem gravaretur. Hoc nuntio accepto, Citatinus nihil insidiarum, aut fraudis veritus, confestim ad turres profectus est. Mox vero ut primum portam introiit, excluſis comitibus, comprehensus, ac protinus in carcerem conjectus est. Tum pavor, & trepidatio ingens urbem pervasit; celeriterque equites duce suo orbati, armis captis, per urbem discurrere cœperunt. Postquam vero Caramanicus Citatinum interceptum comperit, haud amplius differendum ratus, cornu signum dat, quod cum Joanne Antonio Martiano constituerat. Is vero haud procul cum magna popularium manu paratus signum expectabat. Itaque repente profectus, & per patefactam turrium portam ingressus, ponte transmisso, urbem invasit. Tum equites cognito dolo perterriti, & consilii inopes, per civium domos diffugere cœperunt. Mox vero ut cognitum est Caramanicum ad Joannem Antonium defeciſſe, eique arcem deditam, qui adversæ factionis erant, domos quisque suas trepidi petierunt. Atque ita sine suorum cujuspiam cæde Capua in Joannis Antonii potestatem redacta est. Post hæc, expulso adversariorum equitatu, Joannes Antonius, ac socii accersendum confestim Alphonsum censuerunt. Neque enim tantum belli onus suis dumtaxat viribus sustinere se posse confidebant; præsertim cum adversariis magnæ copiæ essent, hæque aliena copia sustentarentur, quos non dubitabant ad urbem obsidendam quamprimum accessuros. Ad hæc civitatis partem sibi inimicam esse non ignorabant. Itaque Renal-

dum

Digitized by Google

dum Aquinatem Meſſanam ad Alphonſum quamprimum mittunt, qui moneat uti ad paratam ſibi fortunam, & exoptati Regni poſſeſſionem advolet: Capuam opulentam urbem (permagnum haud dubie momentum ad totum regnum vendicandum) in ſua manu eſſe: multum vero periculi moram importare, quod adverſarii, coactis copiis, ad urbis obſidionem brevi profecturos non ambigerent, cujus rei jam apparatus fieri ſentirent; quorum auctoritas non eos modo cives, qui ſibi adverſi eſſent, verum etiam eos, quibus amicis uterentur, trahere ad ſe poſſet. Lætiſſimus hic nuntius Alphonſo fuit, eoque perbenigne accepto, ac dimiſſo, in una celeritate ſpem omnem victoriæ poſitam arbitratus, quo adventus ſui famam præveniret, cum ſeptem modo triremibus, quas paratas, inſtructaſque habebat, e Meſſanæ portu vela facit, Petro fratre in Sicilia relicto, qui, quæ bello gerendo opus forent, curaret, annonamque, & commeatus ſummitteret: quoque ſuus adventus occultior foret, ut Neapolitani, metu poſito, ſegnius Capuam obſidere aggrederentur, procul a Regni ora ad Pontiam inſulam altum petens contendit. Atque inde extemplo Caraffellum Capuam mittit, qui Joannem Antonium, ac ſocios de ſuo adventu certiores faceret, nuntiaretque videri ſibi hoc rerum initio eum montem occupandum eſſe, in quo ſita Cajeta eſt, antequam hoſtes ſuum adventum cognoſcerent; quo capto, vel voluntate, vel metu Cajetam in ſuam poteſtatem venturam brevi ſperaret: quæ, quam commode ſita eſſet ad bellum Neapoli inferendum, nemini obſcurum eſſe: duo oppida firma, & peropportuna, alterum terra, alterum mari habiturum ſe, ſi urbe illa potiretur. Cujus potiundæ ſpes ei non abeſſet, ſi dum montis ipſius cuſtodia negligeretur: illi a terra, ipſe a mari improviſos noctu aggrederetur: hoc ſibi ſuſcepti belli nimirum caput videri, & in eo rerum ſummam verti. Inter hæc adverſarii Capuæ defectione vehementer attoniti, quas ad ejus urbis obſidionem copias mitterent, ſummo ſtudio parabant, atque in agris delectus habebant. Caraffellus non ſine diſcrimine per iter haud pacatum Capuam profectus, Joanni Antonio, ac Sociis ejus mandata expoſuit: & in primis de occupando Cajetæ monte pluribus verbis diſſeruit. Ad quem Reguli, magna ſe ſollicitudine ſubito Regis adventu levatos eſſe, ſibique eam rem ſummæ lætitiæ, ac voluptati fuiſſe: copias vero a ſe ſine ingenti periculo e Capua educi non poſſe, quod adverſæ factionis cives, qui metu in officio continerentur, ſeſe digreſſis, metu ſoluti, novi aliquid ſtruere in ſe poſſent. Qua

civitas,

Digitized by Google

civitas, si quo siniſtro fato sibi e manu elaberetur, summam inde rerum coeptarum desperationem haud dubie consequuturam. Præstare igitur sibi videri de Capua conservanda, quam de Cajetæ colle capiendo cogitare; quod Capua conservata, Regni reliquum facile superari possit, propter annonæ & pabuli copiam: illa autem amissa, nullam ferme spem reliquam fore. Multa contra a Caraffello dicta, cur satius duceret Regis sententiam sequi. Sed cum illi in sententia permanerent, ne Alphonsum adire gravarentur, petiit, de ea re, & de tota belli ratione una cum eo consilium capturi. Quod cum illi se facturos reciperent, constituta die, & loco, ad quem venturi essent, ad Alphonsum celeriter reversus, quid egerit, refert. Quibus auditis, comprobato ejus consilio, eundem rursus cum triremi Sinuessam, quo Reguli postridie conventuri erant, mittit, qui illos suum adventum præstolari Sinuessæ juberet: sese eo ire decrevisse, quo sit maris tolerantior, quoque propior sit, sese proxima nocte Aenariam insulam aditurum. Cogitavit sane, id quod evenit, Regulorum animos nulla re magis, quam humanitate, & facilitate sibi conciliari posse. Profectus igitur Caraffellus postridie mane, uti convenerat, Regulos Sinuessæ reperit, præter Franciscum Aquinianum, quem mole corporis gravem urbis Capuæ custodiæ reliquerant: iisque Alphonsum eo venturum nuntiavit, ne a Capua longius eis abeundum esset, neve mare pertimescerent. Ea Regis humanitas audita, in ejus desiderium accensos Regulos multo etiam vehementius inflammavit. Tertia fere noctis vigilia Alphonsus per summum silentium Aenaria solvens, prima luce Sinuessæ adfuit, Regulos quam humanissime excepit, pauciſque verbis inter se habitis, ad prandium invitatos in triremem perduxit. Post epulas de re communi consultari coeptum. Ostenderunt primum Reguli, quos Principes auctoritate sua in belli societatem traxissent; se tamen adversus hostes haud satis firmos esse, quod illi & copiis, & pecunia in belli sumptum, & re frumentaria superiores essent. Accersendum sibi videri Joannem Antonium Ursinum cum copiis, cujus opibus adjuti, sperarent bellum a se tantisper, dum majores copias pararet, sustineri posse: copias autem, quas haberent, sine summo periculo a se dividi non posse; nec Cajetæ magis, quam Capuæ, a se rationem habendam esse. Quorum sententia collaudata, missurum se ad Joannem Antonium quamprimum, inquit, qui hortaretur, ut cum exercitu celeriter in Campaniam proficiscereturs; vel si venire ipse gravaretur, Joannem Vintimillium, & Minicucium

cum

Digitized by Google

tum copiis mitteret : ſperare ſe, atque conſidere pro ejus viri erga ſe benevolentia nullam interceſſuram voluntati ſuæ moram. Interea omnes ſe vires ſuas terra, marique contracturum, quibus ſuſceptum bellum tueri ſe poſſe non diffideret.

Hac oratione confirmati Reguli, quo ſibi Regis fidem vehementius ad ſe tuendos obſtringerent, in ipſius Alphonſi verba juravere. Cum autem cogitaret Alphonſus, quemnam e ſuis ad Joannem Antonium mitteret, nec temere idoneus quiſquam occurreret, quoniam periculoſum per hoſtes iter erat, & res præſtantem, ac gravem virum poſtulare videbatur, Caraffellum operam ſuam impigre profitentem miſit, quidve ad eum perferri vellet, edocuit. Poſt hæc eo Ænariam repente Reguli Capuam reverſi ſunt, toto jam animo in bellum proni, intentique. Caraffellus ſimul & exploratis itineribus, & mutato habitu ad Joannem Antonium pervenit, facileque ei perſuaſit, uti cum omnibus copiis Capuam proficiſceretur. Duobus millibus equitum, ac prope pari numero peditum coactis, ſeſe ipſum cum Caraffello itineri repente commiſit; profectuſque per Caudinam vallem, in quam olim Romanos Conſules ſub jugum miſſos a Samnitibus legimus, cum accepiſſet Berlingerium Caudolam ad eas fauces occupandas, per quas tranſeundum erat, acceſſiſſe, ipſe per agrum Ceritanum (ſic enim appellant) iter in Campanum flexit, & ad Lunatam, Vulturno amne trajecto, inter Cales, & oppidum Francoliſium, quæ loca ab hoſtibus tenebantur, caſtris poſitis, conſedit. Relictis, qui exercitui præeſſent, ad Alphonſum Cajetam ſe contulit : conſtitutiſque inter ſe, quæ ad bellum gerendum pertinere videbantur, Captam profectus eſt. Interea enim ejus copiæ, quas ad Cales relictas dixi, Capuam ſe receperant, quod & oppida illa egregie munita erant, & commeatus non facile e Capua per hoſtilem agrum in caſtra ferebantur, ciſque omnem Vulturnum caſtra poſuerant, eo conſilio, ut hoſtes tranſitu fluminis, & populationibus arcerent. Adverſarii, cognito prius Regis adventu, & Joannis Antonii ad ſe profectione, minime ceſſandum rati Berlingerium Caudolam, Antonium ejus fratrem, Micheletum Cottiniolam, ac Ritium, nonnulloſque alios copiarum duces, (hi ad tria millia equitum ducebant) mercede conduxerunt: hiſque ex Neapolitana juventute haud contemnendam manum cum multo peditum numero adjecere : atque ad Vicum, quem Mariæ Majoris vocant, caſtra haud procul a Capua poſuerunt. Inter utraque caſtra vix duo millia paſſuum intererant; leviaque quotidie prælia

Digitized by Google

ex opportunitate committebantur. In hoc rerum ſtatu, nuntiatum eſt Berligerio (nam is ſummæ rerum præerat) Antonium Pontadereum, quem adverſarii mercede conduxerant, cum equitibus trecentis adventare. Itaque quo tutius proficiſceretur, ad quingentos equites repertos ei præſidio confeſtim milit. Quos ubi Joannes Antonius omnem tranſiſſe, ac populari agros accepit, Minicutium Aquilanum illico eis obviam juſſit contendere. Iſque hoſtes nactus, levi certamine magnam eorum partem cœpit, reliquis fuga per agros diſſipatis. At Berlingerius, ut per exploratores agnovit Minicutium abeſſe a caſtris cum magna equitatus hoſtium parte, opportunitatem ſibi datam exiſtimans, qua hoſtium caſtra expugnaret, convocatis repente copiarum ducibus, deque ſuo conſilio certioribus factis, confeſtim aciem inſtruit, atque adverſus hoſtium caſtra contendit. Qua re per ſpeculatores quamprimum cognita, Joannes Antonius, ſimulato metu, quo hoſtes audacius, contempta paucitate, caſtra ſubirent, partem copiarum intra urbem inſtruxit, reliquis ante caſtra diſpoſitis: nec alius, atque opinatus eſt, rei exitus fuit. Nam cum hoſtes, caſtra, metu deſerta rati, ea alacriter invaſiſſent, atque oppugnare paucis obſiſtentibus cœpiſſent, pateſacta confeſtim urbis porta, quæ ad caſtra vergebat, atque equitatu reliquo, peditatuque immiſſo, perturbati illico pedem referre cœperunt. Mox vero, ut paulum ſeſe collegere, haud ſegniter reſtiterunt. Pugnatum eſt diu, atque acriter ancipiti eventu. Ad poſtremum cum vim diutius ferre non poſſent (jam enim Minicutius redierat), ſeſe in fugam conjecerunt: nec prius finem fugiendi fecerunt, quam in caſtra pervenerunt. Secundum hanc pugnam Berlingerius Vulturnum copias traducere inſtituit, ratus ab ea parte majora Campanis detrimenta inferri poſſe, & Andegavenſis factionis cives facilius novi aliquid in urbe molituros; ſed ponte opus erat propter fluminis altitudinem ac rapiditatem, quo traduceretur exercitus. Itaque pontem ad Vulturnum facere ſtatuit, cujus efficiendi magna commoditas offerebatur. Turris erat trans Vulturnum ſita ad ſex ferme millia paſſuum infra urbem Capuam, quam vallo ac foſſa munitam, præſidio inſuper firmaverat: præterea & materiæ copia ſuppetebat. Is locus ei maxime idoneus eſt viſus, in quo pontem efficeret. Itaque accerſitis fabris, & magna præterea agreſtium manu, eo copias ducit, caſtriſque poſitis, pontem inchoavit, ejuſque extrema, ne, poſtquam copiæ flumen traductæ forent, ponte ab hoſtibus reſciſſo, reditu intercluderetur, caſtello firmavit. Quod

poſtquam

Digitized by Google

poſtquam Joannes Antonius accepit, conſeſtim cum exercitu ad ipſam turrim profectus eſt eo conſilio, ut vel opus turbaret, vel, ſi id non poſſet, hoſtem tranſitu prohiberet; caſtraque haud procul a turri in conſpectu hoſtium metatus eſt. Sed quo minus opus inceptum perficeretur, efficere non potuit. Tentatum ſi quo modo etiam igni corrumpi poſſet, naviculis tectis ſecundo amne adverſus pontem demiſſis. Cæterum hoſtes gravium ſaxorum dejectu, longuriisque in ſumma aqua expoſitis, atque ad tignos, quibus pons ſuſtentabatur, deligatis, eorum conatus omnes vincebant: multiſque periculo ea res fuit, naviculis modo in hanc, modo in illam ripam, quo impetus fluminis propellebat, raptis. Turris quoque non ſemel modo, dum pons efficiebatur, fruſtra oppugnata. Namque e caſtris naviculis, ac lintribus invecti hoſtes, in eam commode tranſibant. Ponte perfecto, Berlingerius copias Vulturnum traducere conabatur. Quod cum Joannes Antonius animadverteret, exercitu extemplo in aciem educto, ad turrim, quoad tuto potuit, ſucceſſit, hoſtique evadendi facultatem ſuſtulit: neque enim multi una propter pontis anguſtias tranſire poterant; & qui evadebant, hoſtium oppoſitu iis erumpendi facultas non erat, equiti maxime: erant enim caſtra adeo exiguo intervallo a turri ſeparata, ut propemodum turris vallum contingeret: pediti aliquanto facilior eruptio erat. Itaque cum per ſingulos dies pedeſtria prælia conſererentur, multi ex utriſque caſtris equites, pugnandi cupidi, omiſſis equis, pedibus rem gerebant: ex quo inſignia prælia crebro edi contingebat. Melior tamen hoc uno erat Neapolitanorum conditio, quod multos hoſtium ſub turrim illectos, ipſi muro tecti impune vulnerabant. In hoc rerum ſtatu dum hi perrumpere, illi reſiſtere conantur, multi dies conſumpti ſunt.

Dum hæc ad Capuam gerebantur, Alphonſus montem Cajetæ imminentem, cui maxime animum adjecerat, hoc modo cœpit. Ea namque urbs ſibi quoquomodo rerum initio tentanda videbatur, in eo ſcilicet belli cardinem verti exiſtimanti. Ejus loci natura hæc eſt: Mons eſt propemodum exciſus, & præruptus undique, tribus enim fere partibus mari alluitur, reliquam partem, qua eſt Cajetam aditus, mons alter excelſior, ac circumquaque proclivis communit. Hæc quoque pars muro cincta eſt: eam plurimum incolebant agrorum cultores, atque infimæ ſortis homines: murus interius ductus hunc montem ab urbe dividit. In eo turris ſita erat, quam Suſmiam

Digitized by Google

appellabant, juxta Divi Juliani ædem. Forte autem turris custodia eo tempore, quo Alphonsus eo profectus est, quibusdam contigerat, qui studio partium illi affecti erant. Hi, cognito Regis adventu, quem prius Ænariam venisse acceperant, confestim ad suæ factionis homines misere, qui illum adesse cum classe nuntiarent, quique eos in armis paratos intra tecta juberent esse, ne ab adversariis, si forte præsentirent Regis adventum, sua consilia opprimerentur: quosdam etiam suorum discedere ad eum in classem jussere, qui omnia parata esse significarent, monerentque, ut socios navales in terram exponeret, qui ad muros per montem ascenderent. His constitutis, cum ignem in turris fastigio excitare statuissent, quod signum eis cum Alphonso convenerat, quo sciret suis ascensum dari, forte Gorax Pica homo contrariæ factionis eo profectus, ut vigilum stationes circumiret, ad eam turrim accessit, citatisque custodibus, cum nemo responderet, primum sopitos somno existimavit. Post iis sæpius vocatis, cum nemo nomen daret, responderetque perplexa, atque incerta, magis subesse dolos suspicari cœpit. Cumque jam minacius inclamaret, & pertinaciter eorum nomina requireret, nec ii possent diutius consilium tegere, Aragoniam clara voce clamitantes, eum inde lapidibus submoverunt. Inter hæc Alphonsus signum intentius expectabat. Neque enim existimabat milites suos periculo capitis temere committendos esse, neque iis satis credendum, qui, ut ascensum maturaret, hortabantur. Forte autem Gorax in tanto periculo trepidus cum intra interiorem urbis murum festinaret, in duos e conjuratis incidit, qui ab Alphonso revertebantur per angustum foramen, loco neglecto, atque abdito, ad turrim, quam dixi, properantes, comprehensosque illico, ad Franciscum Spinulam, & Otolinum Zoppum præsidii duces perducit, simul quæ viderit, refert; iique mox in quæstionem dati, metu gravioris supplicii rem omnem, uti se habebat, confessi sunt. Tum milites, ac cives, quibus confidebant, celeriter arma capere jussi, parsque vigiles in mœnibus collustrare, pars ad prohibendos ascensu hostes contendere. Cœterum id frustra fuit. Jam enim a conjuratis e turri signo dato, regiorum plerique in montis fastigium evaserant, eaque turri, ac proximis turri mœnibus occupatis, dilapsi intra exteriorem murum sese cum iis, qui montem incolebant, conglobaverant. Hostibus itaque parvo certamine intra interiorem urbis circulum repulsis, Alphonsus toto monte potitus est. Oppidani perterriti, qui ad urbis tutelam per-

pertinere videbantur, ſummo ſtudio, & celeritate parare cœperunt, & quos adverſæ factionis homines res novas moliri poſſe ſuſpicabantur, ad triginta comprehenſos in cuſtodiam tradidere. Erat vero ea urbs præter naturalem ſitum præſidio imprimis munita; nam multo ante Alphonſi adventum, & Otolinus Zoppus unus e copiarum ducibus Philippi Mediolanenſium Principis, qui ab illo ad Joannam, cum adhuc viveret, legatus mittebatur, cum illam mortuam reperiſſet, rogatus a Cajetanis apud eos manſerat: ac paulo poſt Franciſcus Spinula genere, fama, dignitate omnium civitatis ſuæ ea tempeſtate longe princeps, iis auxilio venerat, quem Cajetani nominatim ſubſidii ducem depopoſcerant, ad quadringentoſque ſagittarios, totidemque pedites, in queis Placentinum impigrum virum, a Philippo miſſos, navibus vexerat; multoque ante ſub Reginæ mortem, quod ſumma Regni perturbatio ob Principum diſſidia futura videbatur, quum Cajetani ad eos, qui Neapolitanæ Reipublicæ præerant, legatos miſiſſent, qui ſeſe in eorum fide, ac poteſtate manere velle ſignificarent, præſidiumque poſtularent, Sorleonem Spinulam virum fortem cum aliquanto peditatu uti ad ſe mitterent, impetrarunt. Quibus auxiliis confiſi, fortiter Alphonſo reſiſtebant. Crebræ itaque eruptiones ab iis fiebant, quotidianaque inter ſe prælia in ea caſtrorum propinquitate conſerebantur. Cajetani præter veteris urbis circulum nihil tenebant. Ad hæc Alphonſus, tormentis æneis miræ magnitudinis advectis, murum, ac tecta urbis quatiebat: jamque iis turribus, quæ ad caſtra ſpectabant, quaſſatis, oppidanos in ſummum diſcrimen adduxerat: namque propugnatoribus conſiſtendi tuto in muro poteſtas non erat: totamque eam murorum partem defenſore nudaſſet, niſi Genuenſes (ſolers in tuendis urbibus hominum genus) ſumma vi reſtitiſſent. Namque pro muro diruto munimenta aggere intrinſecus noctu ſufficiebant: ſaccoſque lana repletos, prominentibus tignis religatos tormentorum ictibus opponebant, quod id tegmenti genus multis locis deprehenſum erat nullo tormento, aut telo perfodi poſſe. Sed procedente obſidione, rei frumentariæ penuria, omni bello, ac calamitate gravior, urgere obſeſſos cœpit, præſertim clauſo mari; magnus namque numerus non virorum tantum, ſed etiam fœminarum, ac puerorum pene, quicquid frumenti publici, privatique e vicinis regionibus convectum fuerat, atque omne inſuper pecus conſumpſerat. Cumque id malum quotidie magis ingraveſceret, nec ulla reliqua ſalutis ratio ſuccurreret,

Digitized by Google

ret, Franciſcus omnem inutilem bello turbam, quod in extremis rebus fieri conſuevit, ex urbe ejiciendam curavit. Miſerabilis horum facies erat, macie ſimul, ac pallore confecti, manus ad Cœlum ſuppliciter tendentes, cum flebili voce humi procubuere. Quos ubi Alphonſus conſpicatus eſt, quamvis pene omnes in urbem rejiciendos cenſerent, nec eſſet neſcius facere ſe contra militarem diſciplinam, quod protraheretur obſeſſis in aliquod tempus fames; magis tamen naturæ, & conſuetudinis ſuæ, quam quid hoſtes de ſe meriti eſſent, rationem habere voluit, veniaque iis data caſtra adeundi, & cibo, ac potu refectis, abeundi, quo vellent, poteſtatem fecit. Ea vero Regis humanitas audita, incredibile eſt, quam multos tum populos, tum Principes adhuc incertos quid agerent, utramve partem ſequerentur, ſibi conciliaverit. Neque enim prope ulla res eſt, quæ magis mortalium animos capiat, quam eorum, qui calamitate aliqua premuntur, malis commoveri. Poſt aliquot dies arctioribus rebus Franciſcus omne reliquum frumentum per civium domos cum cura conquiſitum, atque in panem redactum, quo diutius ſuſtentarentur, parce paulatim per dies ſingulos viritim dividebat. Præterea quicquid ſacchari (utar enim verbo novo, & noto) in ea urbe apud negotiatores, atque opifices erat, condiri juſſum, & in parvula fruſta deſectum identidem diſpertiebat. Cæterum hæc non tam præſentis mali finem, quam exigui modo temporis levamen tum pollicebantur. Denique conſumptis pene omnibus humanis alimentis, cum gravior fames urgere obſeſſos cœpiſſet, herbis, ac radicibus teneris veſcebantur. Ad hæc mala accedebat, quod quæ Genuæ gererentur, pro ſua ſalute clauſo mari ſcire non poterant; claſſemque ingentem a Petro Regis fratre in Sicilia contractam, mox venturam acceperant. Quibus incommodis oppreſſi decreverant Franciſcus atque Otolinus, omni præſidio, ac pleriſque civibus non modo Andegavenſis, verum etiam Dyrrhachinæ factionis in navem impoſitis, ante hoſtilis claſſis adventum urbem deſerere. Erat tum forte adhuc Cajetæ navis una Genuenſium ingens, ex iis, quas Franciſcus cum præſidio adduxerat, a triremium vi ob magnitudinem tuta. Hanc vero, cum jam eſſet ad curſum parata, forte quoddam ingens ſaxum e Regiis caſtris tormento æneo excuſſum ſumma mali parte præfracta, inhabilem ad navigandum reddidit. Quæ res conſilium mutare obſeſſos compulit; neque enim iis materiæ copia erat, unde malum reficerent. Poſtquam autem cognoverunt Petrum cum claſſe

adven-

Digitized by Google

adventare, nec jam navim ipſam a ſe defendi poſſe, naviſque ipſius juventutem urbis præſidio maxime neceſſariam, eam æſtimatam, quum de pretio domino caviſſent, quam proxime potuerunt, ſub murum depreſſere, eo videlicet conſilio, ut Regis navibus ſubeundi oppidi facultas adimeretur, extractumque prius malum ad eam partem, quam infirmiorem exiſtimabant, pro munimento ſtatuerunt. Maxime vero ex eo caſu judicatum eſt rerum humanarum eventus incertos eſſe, ſolereque plerumque mortales futurarum rerum ignoratione falſo lætari, atque angi. Namque regii, dejecto navis malo, gaudebant, quod hoſtibus importandorum commeatuum facultas ſublata videbatur: adverſarii vero mutilatam armamentis navim dolebant, quod eorum navigatio impedita eſſet. Cæterum rei exitus utroſque judicio deceptos docuit. Nam ni ita cecidiſſet, nec Cajeta, digreſſo inde præſidio, Alphonſo reſtitiſſet, nec poſt eadem navis undis obruta Regiis navibus muros ſubire conantibus impedimento extitiſſet, nec porro tanta clades conſequuta eſſet. Tot, tantiſque ærumnis adacti Cajetani a Franciſco, atque Otolino ſummis precibus poſtularunt, ne ſe diutius afflictari paterentur, ac ſi tolerabiles modo deditionis conditiones proponerentur, ſuæ ſaluti conſulerent: male ſe ferro, quam fame interire: nullum ſe periculum recuſaſſe, quamdiu de ſubſidio ſperaverint, & quoad ſuperfuerit aliquid, unde vitam producerent: nunc ſe omni humana ſpe, atque ope deſtitutos, tot mala diutius ferre non poſſe. Franciſcus per id temporis æger erat: nam dum paulo ante pugnaretur acrius, ſagitta femur trajectus fuerat. Itaque oppidani utrumque ſeparatim alloquuti, demum utriuſque animum ad miſericordiam flexere. Miſit igitur Otolinus ad Alphonſum, qui peteret ad ſe mitti quempiam ex iis, quibus fidelioribus uteretur, quicum deditionem ageret, & nominatim Antonium Panormitam, quem poetam non inertem Mediolani apud Philippum in magna gratia, & dignitate cognoverat, eumque non tantum propter prudentiæ, ſed multo etiam magis propter æquitatis opinionem, & quod illum ab Alphonſo apprime diligi acceperat. Hic, præter eximiam doctrinam, excellenti ingenio præditus, & carmine, & ſoluta oratione, quod eſt perrarum, prope æque valuit. In ſuadendo, aut diſſuadendo perfacundus habitus: judicio quoque acerrimus, atque in primis facetus, jacentem tempeſtate noſtra elegiam excitavit. Eo nuntio accepto, Alphonſus, tametſi confidebat oppidanos aut vi aut fame brevi ad deditionem cogi poſſe, tamen ad humanitatem ſuam pertinere arbitratus, quæ illi dicere vellent, non aſpernari,

Digitized by Google

nari, Antonium misit. Isque in senatum introductus, audiente Otolino (nam Franciscus propter vulnus sese domi continebat), hunc in modum, cum illi pauca prædixissent, disseruit: Videre vos non dubito, Cajetani, quonam vos discriminis fortuna, & pertinacia vestra perduxerit: ab Alphonso terra, mariqúe vos non obsessos modo, verum etiam circumsessos esse, nec ullum jam effugio locum patere: esse vobis rem cum Rege opulentissimo, & maximo, cui non modo Sicilia, Sardinia, Baleares insulæ, Hispania, atque Aragonia (Regna amplissima), verum etiam magna hujus uberrimi Regni pars pareat, e quibus & immensam pecuniam, & milites in belli usum necessarios comparare facile possit. Videtis ut urbem premat, & muros armis circumsonet: castra urbi conjuncta sint, vel in ipsa urbe potius: unus tantum muri circulus interjectus, & is quidem adeo quassatus, & disjectus, ut ruinæ magis, quam muri speciem præbeat: fame urgemini omnium malorum maximo, & gravissimo; nam ceteræ quidem calamitates aliquo modo tolerari possunt: sola fames ad extremum ferri non potest. Satius est vel iniquas quascumque conditiones, & leges ab hoste accipere, quam inedia maceratos vitam finire. Auxilia præterea nulla habetis, eaque desperare omnino jam potestis, cum ad hunc diem nulla venerint. Intelligit Philippus, intelligunt Genuenses Alphonsi vires terra, marique majores esse, quam ut ab obsidione vestra facile depellatur. Cogitate quantas copias terra, quantas mari habeat, quantas præterea parare queat, cogitate. Nolite, obsecro, expectare extremum urbis casum, nolite committere, ut videatis, patriam vestram, quæ vobis debet esse carissima, ferro exscindi, domos cremari, fortunas diripi, uxores, ac liberos (quod omnem exuperat calamitatem) in oculis vestris rapi, & distrahi. Sapienter nimirum quisquis ille est, qui ait, aut vince, aut vincenti pare; fortis namque animi est, si possis, vincere, si vero non possis, potentiori obtemperare, & fortunæ, tempestatique concedere. Alterum jam experti estis; videtis enim vos nec vincere, nec libertatem vestram tueri posse. Erit igitur prudentiæ vestræ alterum sequi, potentiori scilicet obsequi, quem profecto, si deditionem feceritis, & clementissimum & mansuetissimum agnoscetis. Alioquin de patria vestra, de fortunis, de conjugibus, de liberis, de parentibus, de libertate, de vita denique vestra (si quicquam mihi creditis) actum existimate. Ad hæc Cajetani, non ignorare se in quibus difficultatibus versarentur. Sed nec fortasse eas esse, quas existi-

existimaret, nec vero se prorsus de subsidio spem omnem abjecisse. Neque enim aut Philippum, aut Genuenses passuros esse, uti eorum præsidium, uti tot sibi carissimi cives, & milites, ut denique Reipub. amici fideles in hostium potestatem veniant. Se tamen, si dentur sibi triginta dierum induciæ, quibus liceat Philippo, ac Genuensibus denuntiare quinam sit suarum rerum status, ut, nisi interim auxilium mittatur, cum bona illorum venia possint deditionem facere, post eam diem sese absque controversia deditionem facturos. Cum hisce postulatis Antonius ad Regem reversus, quid Cajetani vellent, retulit. Quæ cum audisset, veritus ne qua interea classis Genuæ pararetur, quam parari fama erat, inducias nullo pacto concedendas censuit. Itaque confestim renuntiare iis Antonium jussit, aut continuo deditionem facerent, aut se ad extremum certamen compararent. Qua spe destituti, Cajetam, quum nihil omnino scire possent, quidnam Genuæ ageretur, jam enim Petrus e Sicilia cum reliqua classe venerat, & aliæ naves in dies adventabant, nec famem diutius ferre poterant, rursus per Antonium ab Alphonso petierunt, ut saltem eas sibi inducias daret, quibus Philippum, ac Genuenses, tantum quo statu res eorum essent, certiores redderent. Sed quoniam maris tempestas incerta esset, tridui haud amplius spatium, postquam nuntius Genuam perveniisset, quo Mediolanum proficisci posset, uti, Philippo, & Genuensibus consciis, deditio a se fieret, requirebant; quæ, ut Rex sciret se præstare velle, Optimatum liberos obsides polliciti sunt: sed ne id quoque impetratum: quod ne Alphonsus concederet, duæ causæ erant: altera quod intelligebat eos diutius famem tolerare non posse: altera quod interea auxilium iis ab hostibus mitti poterat. Reversus itaque ad eos Antonius, negavit id ab Alphonso impetrari posse: ac nisi extemplo deditio fieret, seram postea pœnitentiam eorum fore: deditionem vero a se honeste jam fieri posse: quod difficillima quæque perpessi, tamdiu a suis auxilium nequicquam expectassent: putare se Philippum, ac Genuenses gravius laturos, si quid in se ipsis crudelius consulerent, quam si, se conservatis, Cajetam amitterent. His, atque hujusmodi verbis, cum Otolinum, atque oppidanos ad deditionem inclinasset, petiit Antonius, ut Otolinus ad Regem proficisci non gravaretur: sic facilius posse de deditionis conditionibus, quæ vellent, eo petente, transigi. Existimavit enim rem ipsam per mutua colloquia & melius, & commodius tractari posse, seque eo onere levatum

iri. Huic poſtulato cæteris, omnibus aſſentientibus, unus Pica exurgens negavit æquum eſſe eum, qui Philippi perſonam gereret, ad Alphonſum proficiſci. Quem cum reprehenderent, non illepide inquit Antonius, non eſſe videlicet conſiderandum quidnam ille diceret, morbo enim affectum (nam is aliquot dies male ſe habuerat) in phreneſim incidiſſe, atque ideo delirare. Itaque cognita Senatus voluntate, ſtatuit Otolinus, Franciſco inconſulto, ad Alphonſum ſe conferre: acceptaque in id fide regia, cum Antonio ad Regem profectus, longo ſermone ſuper deditione nequicquam habito, in urbem rediit. Cujus profectionem cum Franciſcus ægre ferret, majorem civium partem ab eo alienavit.

Poſt hæc inter Genuenſes, & Otolini cohortem exorta diſſenſio omnem deditionis mentionem ſuſtulit: longe enim amplior apud Cajetanos Franciſci, quam Otolini auctoritas erat. Quod cum Alphonſus animadverteret, conſtituit obſeſſos terra marique omnibus copiis oppugnare. Jam enim præter roſtratas, ad ſexdecim onerarias coegerat. Itaque ſcalas, & corvos, per quos in murum e navibus evadi poſſet, cæteraque machinamenta bellica conſeſtim parari juſſit, atque expediri. Ad hæc turrim ligneam mobilem non modicæ altitudinis, quæ muros ſuperaret (machinæ antiquæ genus) effecit: cujus conſilium cum oppidani ſenſiſſent, continuo eam partem, quæ ad mare ſita erat, ſumma ope munierunt, eaque raptim, ac certatim effecere omnia, quibus machinarum violentiam, corvorum maxime declinari poſſe exiſtimabant. Poſtquam, paratis omnibus, Alphonſus ab omni parte oppidum adoriri inſtituit, terra ita copias diviſit: ad Divi Theodori templum Henricum fratrem cum parte copiarum, nec procul inde Joannem alterum fratrem cum lecta manu ſtatuit. Ipſe adverſus portam Ferream (ſic enim appellabant), quæ ad caſtra ferebat, reliquas copias habuit. Petrum minimum natu fratrem, cujus virtuti confidebat, a portu claſſe oppugnare urbem præcepit, in qua erant, præter onerarias quindecim, triremes decem. Adverſus hoſce apparatus Franciſcus, atque Otolinus, tormentis variæ magnitudinis per muros diſpoſitis, alios regiis caſtris, alios claſſi opponunt, alios, ubi plurimum periculi immineret, jubent occurrere: fœminis, imbellibuſque, qui ſupererant, negotio dato, ut pugnantibus lapides, & tela miniſtrarent. Signo pugnæ propoſito, regii pars eminus lapidibus, atque omni miſſilium genere certare, pars mœnia ſubire, ac ſcalas admovere contendebant. Simul lignea turris, ſimul naves remulco agi

cœptæ.

Digitized by Google

ceptae. At oppidani in eos, qui propius succedebant, lapidibus, atque omnifariam telis conjectis, muro scalas applicari non sinebant, cubitalibusque clavis, qui crebri in muro ob id facti erant, pleroſque hoſtium & ſagittis, ac minoribus tormentis ex occulto vulnerabant: nec ullum fruſtra telum in tantam multitudinem emittere poterant. Et primo quidem turris contabulata, cum rotis ad muros ageretur, terrori oppidanis fuit. Poſt ubi propius perducta partim tormentorum ictibus, partim ſua mole diſſipata eſt, multique in ea pugnantes cecidere, ab ea parte vehementer hoſtibus animus crevit. A mari quoque atrociter pugnabatur. Namque naves ſimul atque ad teli jactum appropinquarunt, tormentis oppidanos laceſſere coeperunt, corviſque ad malos religatis, ingentem iis terrorem intulere. Stabant intenti oppidani (namque ea pars fortioribus tuenda data fuerat), cum longuriis, & furculis in id factis, in quas ſi forte corvi incidiſſent, neceſſario procumbebant. Inter hæc Alphonſus, quo magis hos a portus defenſione averteret, acrius urgeri a terra imperat, alios hortando, alios nominatim appellando, præmiaque pollicendo, atque ad portam, quam dixi, Ferream facto impetu ſuccedens, milites in pugnam alacriores reddebat, multoque acrius pro ſe quiſque, ubi curabat, nitebatur. Pudor enim ſimul, atque avaritia, gloriaque militum animos longe acuebat, pugnantium clamor ad cœlum ferebatur exhortatione, lætitia, varioque affectu permixtus: & quo magis nitebantur, quove propius ad muros ſuccedebant, eo plures aut cadebant, aut ſauciebantur. Quod cum adverteret Gartias quidam Medineus ſignifer Regius, vir fortis & ſtrenuus, ſigno, quod manu gerebat, in foſſam urbis illato, ſocios, ut ſequerentur, vociferans, cum avidius progreſſus, ſcalas muro admovere contenderet, lethali vulnere acceptо, vix inde retractus eſt. In hoc prælii ardore naves ad oppidum ſuccedebant, laxatis funibus, corvos dimittere in muros parabant. Primaque omnium ea navis, qua Petrus ferebatur, corvum muro injicere conata eſt. Sed cum ejus extrema nimio intervallo in murum pervenire non poſſent, diffractis ſuo pondere totarum antibus, corvoque comminuto, qui ſuperſteterant, in mare præcipites collapſi ſunt: iſque omnes, quod armis gravati [illegible] enecti, præter duos Drepanitanos, qui ſub aquis (dictu mirum) diſloricatis thoracibus, & reliqua armatura, incolumes evaſerunt. Eo caſu Petrus, & qui in navibus erant, totam pene victoriæ ſpem depoſuere. Ad hæc navis altera, cum corvi exponendi cauſa

Digitized by Google

propius ſubiret, crebris tormentorum ictibus repulſa eſt, nec poſtea navis ulla injiciendi corvi facultatem habuit. Namque ob rerum ſucceſſum creſcentibus hoſtium animis, eam partem acerrime tutabantur. Quæ ubi Alphonſus agnovit, ſuorum ſaluti parcendum arbitratus, receptui cani juſſit; quo viſo, Petrus extra tormentorum jactus naves reduxit, nec poſt eam diem univerſa oppugnatio tentata; ſed tantum in obſidione perſeveratum. Interea Genuæ cum eſſet auditum Cajetanos obſeſſos, fame inſuper laborare, tres onerarias ingentes, nec dum enim Regia claſſis Cajetam convenerat, armare decreverunt, iiſque faventibus quibuſdam civitatis Optimatibus, Blaſius Aſeretus præfectus eſt, maxima nobilitatis, & populi parte ægre ferente novo homini eam præfecturam dari, quod eum honorem quaſi pollui hominis novitate exiſtimabant. Erat is quidem humili genere ortus, cæterum vigilans, callidus, lingua celeri, & expedita, animoque ſupra dignitatem, ac, præterquam par erat, honores publicos affectante. Dum hæ naves pararentur, Genuam perlatum eſt plures jam naves ab Alphonſo coactas Cajetam convenisſe: cumque ob id ampliori claſſe opus eſſe cognoſcerent, naves undecim conſeſtim iis tribus adjecere. Cæterum Optimates, qui prius vix tulerant trium navium præfecturam ad Blaſium deferri, aperte anniti cœperunt, ut, eo à præfectura amoto, alter ex clara gente præfectus crearetur. Quod cum Blaſius animadverteret, mox ad artes converſus, cum Philippo, penes quem ſumma rerum poteſtas erat, per amicos, qui apud illum poterant, ut invitis adverſariis ſibi is honos ratus eſſet, perfecit. Eaque re impetrata, claſſem maturari, ac cætera, quæ uſui eſſent, parari conſeſtim curavit. Dum ea parantur, Genuenſes de ſuis, qui obſidebantur, vehementer ſoliciti & anxii, Benedictum Pallavicinum, qui ſeſe Alphonſi amicitiam habere profitebatur, mittere ad Alphonſum ſtatuerunt, antequam aliquid de claſſis apparatu ad Alphonſum permanaret, eique in mandatis dedere, uti ad Regem ſe miſſum ſimularet, ut cum illo de conditionibus deditionis obſeſſorum ageret. Cæterum opportunitate colloquendi cum Franciſco, atque Otolino data, quanta claſſis decreta eſſet, doceret, hortareturque, ut eos fortiter labores tolerarent, quorum finis appropinquaret, & quæ eſſent Regis opes terra, marique exploraret. Cum iis mandatis Benedictus Cajetam profectus, ad Regem, accepta fide, ſe contulit, de deditione agere, uti inſtituerant, cœpit, factaque poteſtate oppidum intrandi, ut eadem illa, quæ cum Rege egerat, com-

muni-

Digitized by Google

municaret, quæ Genuæ pro eorum ſalute pararentur, edocuit, ſeque ob id veniſſe, ne quid præter Philippi, & Genuenſis nominis dignitatem ipſi, deſperato ſubſidio, conſulerent. Cæterum vehementer tacito opus eſſe, ne Rex ſeſe ab eo eluſum ſuſpicaretur, quæ quidem res ſibi perniciem eſſet allatura. Ejus oratione Franciſco, atque Otolino confirmatis, ad Regem reverſus, non poſſe obſeſſos ad deditionem flecti reſpondit. Cognitis, quæ voluerat de Regis copiis, & claſſe, Genuam rediit. Quibus rebus Philippo nuntiatis, qui Genuenſem Rempub. gerebant, claſſem confeſtim expediri, frumentumque obſeſſis deferendum convehi juſſere. Claſſe vero ita parata, atque inſtructa, Blaſius idoneam ad navigandum tempeſtatem nactus, Cajetam verſus contendit. Quod poſtquam Alphonſus comperit, extemplo undique copias accerſit: ac fratribus, & cæteris primoribus convocatis, Quouſque, inquit, tandem, viri fortes, Genuenſium inſolentiam, atque injurias patiemur? Nullum bellum ſuſcipimus, quin continuo amicitiam, ac fœdus cum hoſtibus noſtris ineant, eoſque claſſe, ac pecunia adjuvent: nobis ſemper adverſi, infeſtique ob invidiam ſcilicet, & vetus in gentem noſtram odium, ferre non poſſunt opes noſtras mari coaleſcere. Nam, ut omittam, quas prioribus Aragoniæ Regibus injurias intulerunt, quotquot modis, & quoties illos bello perſecuti ſunt, nonne ingenti claſſe comparata, cui Guido Torellus præfuit, occupatis nobis bello Hiſpano, præſidium noſtrum, cum nihil ab his hoſtile metueremus, ex urbe Neapoli ejecerunt? Sed hæc, quamquam gravia ſunt, tamen aliquo modo ferri poſſent, ſi quem injuriis modum ſtatuiſſent. Cæterum genus hominum inquietum in perniciem noſtram quotidie magis exardeſcit. Quid autem juris in Neapolitano Regno habent, in quo ne vicum quidem, aut exiguum caſtellum tenent? Cur Cajetam, quæ noſtra eſt, humani juris obliti, rupto fœdere, occupavere? Claſſem quoque, ſi Diis placet, effecerunt, qua Cajetanos ab obſidione vindicent, eaque jam inſtructa in curſu eſt, quantum accepimus: ſimulanteſque Cajetam dedi velle, Benedictum Pallavicinum nos eluſum miſere. Quis hæc tot, & tam indigna ferat? Aut quis non maxime commoveatur, & in ultionem concitetur? Nullum eſt animal tam imbecillum, quod non conetur illatam vim repellere: nos quibus propulſandæ injuriæ facultas eſt, hoſtes adverſus nos proficiſcentes otioſi, ac ſegnes expectabimus? Nulla gens tam imbellis, aut tam ignava unquam fuit, quæ vel minima pro parte occupati agri certare non ſuſtinuerit:

Digitized by Google

nuerit : nos pro tanti, ac opulenti Regni poſſeſſione, qua ſpoliare nos ſtudent, non depugnabimus? Quod autem pars veſtrum rudis eſt rei maritimæ, haud equidem referre multum puto, vir fortis terrane pugnet, an mari. Utrobique vim eandem animi, atque idem robur fortibus viris eſſe compertum eſt. Romanus miles primo bello Punico, nunquam antea ingreſſus mare, non dubitavit cum Pœno in maritimis rebus exercitatiſſimo claſſe confligere, victoriamque primo prælio adeptus eſt. Et nos certe longe ampliores, quam Romani, naves habemus, in quibus, tanquam in ſtabili ſolo, dimicatur. Quod ſi viri eſtis, ſi eam animi magnitudinem retinetis, quam ego in vobis pluribus præliis expertus ſum, haud dubito, quin ultro obviam hoſtibus eundum exiſtimetis; nec paſſuri ſitis, ut hunc Cajetæ portum aſpiciant. Onerariis navibus pares iis ſumus, triremibus vero etiam ſuperiores: quarum turmis ſupplere navalium ſociorum numerum poſſumus, habemus lectiſſimam juventutem, florem Italiæ, ac cisterioris Hiſpaniæ, &, quod plurimum in prælio valet, armis egregie inſtructam. At in hoſtili claſſe magna pars ſemiermes, nautarum miniſteria fungentes, eminus pugnando, lapidibus, ac manubaliſtis valent; at ſi propius congreſſis manubaliſtarum uſum ademeris, noſtrorum certe impetum non ferent. Quapropter cenſeo, Viri fortes, relicto in caſtris idoneo præſidio, ac conſcenſis quamprimum navibus, adverſus capitales hoſtes contendamus: quos ſi vicerimus (quod fore ſperamus, Diis bene juvantibus) tantum, ac tam difficile bellum uno die haud dubie confeceri-mus.

Ejus conſilium cum pene omnes pugnandi cupiditate approbarent, confeſtim copiarum Duces parari cum cohortibus ſuis jubet, atque in ſingulas naves dividi: telaque, & arma in claſſem imponi, quæ temporis brevitas provideri paſſa eſt. Ante omnia vero, ne quis impetus interim, dum abeſſet, ab obſeſſis fieret, valida in caſtris præſidia reliquit: fratribus, qui tum fraterna pietate, tum gloriæ aviditate ducti, eum ſequi ſtatuerunt, parte navium, & copiarum attributa. His conſtitutis, claſſem conſcendit: idem cæteri fecere: inde altum petens, te, inquit, Deus, qui cunctis rebus præes, quique jus, atque æquum colis, oro, obteſtorque, ut mihi hoſtium meorum, qui contra fœdus me armis petunt, ulciſcendorum (ſi juſta poſtulo), poteſtatem facias; atque ut milites hos meos, iis devictis, incolumes, prædaque onuſtos mecum reducam. Eo die nulla conſpecta claſſis: cum po-

Digitized by Google

postridie apparuisset, magno exultantium clamore ad eam cursum dirigi imperat. Cæterum noctis interventus mox illius conspectum abstulit. Tertio vero die cum rursus supra Pontiam insulam visa esset, tantus omnibus ardor injectus est, ut non ad ancipitem pugnam, sed ad certa victoriæ præmia proficisci crederes. O fallaces hominum spes, & incerta rerum futurarum judicia! nam qui sibi victoriam pollicebantur, mox ab illis, quos despexerant, victi sunt. Classibus aliquanto propioribus factis, misit Alphonsus, qui specularetur, quoad tuto posset, cum navi longa hostilium navium ordinem, quamve instructæ navalibus sociis forent. Proficiscenti lembus quidam occurrit, qui a Blasio classis præfecto ad Regem mittebatur: qui cum procul extra teli jactum significasset velle se colloqui, vexillo in mediam triremem translato, quod fidei pignus maritimo bello esse consuevit, accedendi propius potestatem fecit. Eo signo prospecto, celeri remorum pulsu lembus ad triremem venit: in eo vehebatur tubicen quidam, qui a Blasio mittebatur, ut Regi nuntiaret, se cum classe a Philippo, & Genuensibus Cajetam mitti ob eam rem modo, ut frumentum obsessis deferret: quod si importari pateretur, rediturum se continuo cum classe, nec intercessurum, quominus, si vellet, in urbis obsidione perstaret. Interrogatus tubicen, quidnam novi apportaret, pacem se, inquit, bellumque afferre: in arbitrio Alphonsi fore, utrum malit, deligere: cæterum monere se, atque consulere, ne cum Genuensi classe decertent: naves enim illas egregie instructas esse. Itaque petere se, uti ad Regem quamprimum deducatur. Hæc ubi dicta, ad Alphonsum perductus, cum eadem nuntiasset, res ad consilium delata est. Erant, quibus quietis consilia tutiora, & meliora videbantur. Alii dimicandum censebant: nonnulli etiam per contemptum, ut mediam sententiam sequi viderentur, respondendum videri dixerunt, placere Alphonso frumentum Cajetanis tradi. Cæterum quo certo scire posset, Blasium haud amplius quippiam moliturum, quod obsidioni incommodaret, se navium vela interim petere. Cum hoc responso Tibicen remissus, & cum eo ab Alphonso nuntius, qui denuntiaret a Genuensibus contra pacis leges fieri. His verbis Genuenses irritati, continuo armis decernendum una voce succlamarunt. Omnibus confestim ad pugnam paratis, Blasius Regiam classem peti infestis proris imperat. Numquam ferme alias navali prælio tantis animis concursum est. Quippe aliud, quam unius certaminis victoriam utrique respiciebant, Alphonsus, ut fusis, ac devictis

devictis hoſtibus, Cajeta, atque omni Regno Neapolitanorum potiretur: Genuenſes, ut, vendicata ſibi maris poſſeſſione, Regnum finibus ſuis propinquum in Alphonſi, & Hiſpanæ gentis poteſtatem venire non ſinerent. Ante pugnæ initium tres hoſtium naves, quo Regias fallerent, a reliquo agmine diviſæ, altum petentes, ſpeciem fugæ præbuere. Id autem eo conſilio factum, ut poſtquam reliquæ naves conflixiſſent, regias pugna implicitas a tergo circumvenirent. Quas Henricus fugere opinatus, cum inſequi properaret, vetuit Alphonſus, ſatius eſſe exiſtimans, parte illa virium hoſtibus detracta, cum tota, atque integra claſſe reliquas hoſtium naves adoriri, omneſque uno loco vires contrahere, id quod a rei navalis diſciplina non abhorrebat, reliquas hoſtiles naves a ſe prius ſuperari poſſe ratus, quam tres illæ a reliquo agmine longo intervallo diſtractæ opem ferre circumventis poſſent. Idque ſibi hoc magis perſuadebat fore, quod venti prope vis ceciderat, nec habebant hoſtes roſtratas, a quibus eæ naves remulco agi adverſus ſe poſſent. Itaque cum tota ſimul claſſe in hoſtes invectus, unam ex omnibus præfecti navem petit. Quam ſimul ac Blaſius in ſe venientem aſpexit, flexa in gyrum nave, tanto impetu puppim ejus invaſit, ut, disjectis munimentis, magnaque vi lapidum, ac telorum, in creberrimæ grandinis modum, conjecta, propugnatores omnes in navis tabulata præcipitarit. Forte autem navis ipſa Regia, ante congreſſum ſaburra in alteram partem prolapſa, nulla vi, aut arte in tantis anguſtiis erigi potuerat: cujus rei cauſa fuerat malo onus adjectum. Namque præter ſummi mali propugnaculum, alterum ad mali medium extruxerant: ex quo contigit, uti prætoria hoſtilis, quæ minor erat, illi altitudine exæquaretur, faciliorque tranſcenſus hoſtibus in eam foret. Tum protinus reliquæ naves, quæ cuique obvia fuit, aggrediuntur, ferreiſque uncis hoſtilem navem a ſe divelli non ſinebant; cogebantque, junctis inter ſe proris, ex propinquo dimicare, navibuſque perviis factis, veluti in ſolo pugnaretur: vix ullum telum in mare decidebat. Plerique tamen viri ſtrenui, priuſquam naves inter ſe coirent, in hoſtilem navem tranſilire aggreſſi, cum armati in mare cecidiſſent, enecti ſunt. Altitudinem navium proræ, puppeſque contabulatæ, ac ſolidis tignis intextæ adaugebant, proculque ſpectantibus montium ſpeciem præbebant. Regia navis, etſi primo congreſſu grave detrimentum acceperat, tamen navalibus ſociis impigre rem gerentibus, fortiter reſiſtebat: donec alia ſe a latere, alia a prora circumfuderunt. Cæterum eo maxime prælio intelle-

Digitized by Google

sellectum, & judicatum est (quod & sæpe alias), inter navalem & terrestrem militem navali prælio quid interfit. Genuensis maritimis rebus belliſque exercitatus, facile omnia nautæ, ac militis munia obibat. At terrestres Alphonsi copiæ oneri magis, quam adjumento erant: cum quidem alii nausea afficerentur, alii vestigio vix insisterent, alii alios metu premerent, & insolito pugnæ genere perturbarent. Ad hæc qui regiæ navis malum tuebantur ab iis, qui prætoriæ hostilis malo imminebant, subacti, in suos desuper tela jacere cogebantur, quorum quo certiores ictus, hoc gravius incidebant: & quamquam ubique acriter pugnabatur, summum tamen in eo certamen erat, ut regiam navim expugnarent, qua superata, confidebant facilem victoriam fore. Majore itaque vi nixi in perturbatam (amisso mali propugnaculo) navem, e prora, atque e media navi summovere hostes; ægreque Regii puppem defendebant. Alphonsus & simul dimicabat, & hortabatur suos, seque, ubi plurimum periculi erat, intrepidus offerebat: non tamen eadem prælii fortuna ubique erat. Jam enim ab alia parte duæ hostium naves captæ fuerant, cum interim tres illæ, quas ante pugnæ initium a cæteris distractas altum petisse dixi, flexo cursu, regias adortæ, renovato prælio, ingentem terrorem, ac stragem intulere. Et jam Regiæ classi tela deesse cœperant, nec sagittariorum præterea is numerus, qui hostium erat; namque in Genuensi classe pene omnes manubalistis utebantur, quarum arte, & usu ea gens excellit. Ad hæc mala accedebat, quod regiæ navi cum triremibus succurri, ob circumfusas hostium naves, non licebat; a quibus propter injectas ferreas manus nulla vi dissolvi poterat. Et jam undique in eam transgressi hostes, Regem ad deditionem urgebant. Quod cum pertinaciter abnueret, nuntiatum est ei navim, carina fatiscente, aqua compleri, eamque statim pessum ituram, nec amplius ullo humano consilio servari posse. Quibus periculis adactus, Philippo, quamquam absenti, dedere se dixit. Maluit enim Philippo, quam Genuensibus, quos sibi infensos sciebat esse, salutem suam committere. Tarentinus, ac Suessanus, Reguli, qui una cum Rege eadem navi vehebantur, capti.

Deditione facta, mox victores conclamant Regiam navim cum ipso Rege captam: quæ protinus vox per omnes naves diffusa, ut hostes haud dubie pro victoribus, Regii pro victis haberentur, effecit. In eo tumultu Petrus frater, cum duabus modo oneratiis (nam cæteræ captæ fuerant) triremium beneficio,

Digitized by Google

atque interventu noctis vim hostium effugit. Pugnatum est ab hora fere quarta ad occasum solis continenter, multis utrinque cæsis, & vulneratis. Quo uno prælio bellum Neapolitanum haud dubie confectum esse videbatur: nam cum ipso Rege duo ejus fratres, multi Reguli, equestris præterea ordinis quamplurimi capti fuerunt. Ad hæc naves prope omnes magnitudine insignes, quas ab initio belli coegerat, eodem prælio amissæ. Ea vero clades, etsi committendum non fuit, ut inexercitatus maritimis bellis miles cum exercitato dimicaret, fortunæ tamen plurimum adscribi potest: nam & subeunda necessario dimicatio fuit, alioquin commeatus Cajetanis deferebantur, quorum importatio haud dubie spem omnem Regi auferebat Cajetæ potiundæ, & temporis angustiæ de sociis navalibus commode provideri non permiserant: & viros fortes ac strenuos, quorum permagnum numerum habebat Alphonsus, & in quibus sibi satis præsidii constitutum putabat, ubique bene pugnaturos credibile erat. Sed quis credat eam cladem tantum postea felicitatis Alphonso allaturam fuisse? Angimur miseri mortales, si quid nobis contingat adversi, exitus rerum ignari, quos summus Deus sibi uni prævisos esse voluit, cum omnia, quæ accidant, in potiorem partem accipienda sint. Siquidem ea clades, qua Alphonsus omni spe potiundi Regni sibi orbatus esse videbatur, ad postremum ejus victoriæ causa extitit. Cum Philippo enim, quo hoste voto, se suo potiri posse sperare vix poterat, amicitiam ac fœdus contrahit, quo postea fautore, & amico usus, Neapolitanum Regnum adeptus est. Ea clade subito clam in castra perlata, milites, qui in castris manserant, consternati cum sarcinis abire properabant, antequam oppidani victoriam sentirent; quos Cajetani, eruptione facta, subito adorti, castris captis & direptis, in fugam conjecerunt; magnaque præda parta: namque ibi regiæ supellectilis, & Principum bona pars relicta fuerat. Multi eorum capti sunt, reliquis in proxima quæque loca per devia, & occultos tramites dilapsis. Hostes deinde cum victrici classe Cajetam profecti, expositio commeatu, biduo ibidem substiterunt. Interim Blasius, cum accepisset id agi a ductoribus navium, uti, se comprehenso, quod omnia facturus videbatur, quæ Philippus imperaret, ac Franciscus Spinula (erat enim Genuensium Admiratus, ita imperatorem rerum maritimarum vocant) classis præfecturam arriperet, abire inde quam primum statuit. Hi enim cogitabant, Regem Genuam misso, præter Philippi voluntatem, atque imperium

(quan-

Digitized by Google

(quando is adverſaretur) Siciliam , & Sardiniam oppugnatum ire. Quove magis Blaſius conſilium ſuum tegeret , ſe Aenariam inſulam oppugnatum ire velle , mox reverſurum ſimulavit. Ad eam namque inſulam Petrus cum claſſis reliquiis ſe receperat. Velis itaque in altum datis , cum ab Aenaria vix mille paſſibus abeſſet , oborta ſubito mari tempeſtas, claſſem in diverſa pepulit: ipſe ad portum , quem Herculis vocant , nonnulli ad Pontiam inſulam , alii alio, quocumque venti vis impulit , delati ſunt. Sedato mari , quum omnes incolumes Pontiam conveniſſent, Blaſius præter ductorum opinionem , qui Ænariam repeti , deinde Cajetam credebant , Genuam curſum dirigi præcepit : proſperumque ventum nacti , paucis diebus Veneris portum in Liguriam , quod oppidum adhuc Regis præſidio tenebatur , pervenere. Appropinquantibus oppido lembus quidam citatim obviam venit: quo quidem a Philippo nuntius invehebatur. Philippus enim metuens, ne Genuenſes Regem Genuam perducerent, fretique victoria, ſibi urbis imperium adimerent, hunc cum literis confeſtim eo miſerat , claſſiſque adventum ibidem præſtolari juſſerat . Is navim ingreſſus , remotis arbitris, Blaſio literas tradidit , eumque monuit , ne Regem Genuam perduceret , neve illum Genuenſium poteſtati permitteret; ſed Savonam, quam veteres Sabatiam appellabant , deportaret: miſſurum Philippum, qui eum cum cæteris captivis Mediolanum ad ſe ducerent. Quo nuntio Blaſius confeſtim callidum pro tempore conſilium capit : Nam quo reliquas omnes naves a ſe dimitteret, prædam ſe partiri velle pronuntiat , atque ob eam rem omnes navium vectores poſtridie mane adeſſe , prædamque , quam egiſſent de hoſtibus , comportare jubet. Propoſito edicto, navium duces , ne eorum , quæ adepti fuerant , rationem reddere cogerentur, abeundi conſilium capiunt, confeſtimque, eo relicto, vela faciunt. Ipſe de induſtria aliquantum commoratus, ſublatis anchoris, ſubſequitur , jubetque gubernatorem navis curſum ita moderari , ut iis , quæ præibant , navibus ingrediendi Genuæ portum ſpatium eſſet , antequam navis prætoria in conſpectum urbis veniret. Quibus portum ingreſſis , cum jam cives, nihil tale ſuſpicantes , ejus ingreſſum læti expectarent, univerſa civitate tanti Regis videndi ſtudio ad portum effuſa, tranſmiſſa claſſe , omnium expectationem fruſtratus eſt: nec ullis Genuenſium juſſis ab inſtituto curſu inhiberi potuit , quo minus Regem , uti Philippus mandaverat , Savonam deportarit. Joannes vero Regis frater, alia navi vectus, Genuam perductus eſt , ibique

Digitized by Google

honeſte citra libertatem habitus. Alphonſus deinde in arcem perductus, non captivi modo, aut habitu, ſed veluti Rex peregre proficiſcens a Franciſco Barbavaria, qui tum prætor Savonam pro Philippo obtinebat, ſuſceptus eſt: nec quicquam de Regiæ priſtinæque dignitatis faſtigio ab eo, quo captus eſt, die in ea captivitate ſibi deeſſe, præter libertatem, ſenſit; ſiquidem, uti in priore fortuna, & ſalutabatur, & venerabatur. Paucis poſt diebus Berardinus Carda, & alii quidam copiarum duces a Philippo miſſi, eum Mediolanum deduxere, eique domus, in qua Philippi conjux habitare conſueverat, extra arcem ſita, pro diverſorio data eſt, ibique in omnium rerum copia triduum egit. Hunc deinde Philippus in arcem vocatum, in maxima Principum frequentia, & celebritate (perinde hoſpes, & amicus veniſſet) eo deduci juſſit. Conceſſerat autem Philippus in eam arcis partem, unde tranſeuntem Regem, videns ipſe a nullo videri poterat. Non abs re fuerit hoc loco de Philippi natura, ac moribus paucis dicere. Erat inprimis ingenio peracri, ac callido, in largiendo profuſus, in parcendo facilis, in colloquio mitis, cultus corporis, & munditiarum, omniſque lenocinii negligens, venandi cupidus; cæterum quietis impatiens, ac imperitandi avidus, in pace bellum, in bello pacem quærebat: ſimulandi, ac diſſimulandi egregius artifex; in milites, quam in cives indulgentior: copiarum duces maxime extollebat. Ad hæc ſive fortitudinis amore, ſive periculi metu, ſe ab omni omnium conſuetudine ſequeſtraverat, præter quam quorumdam paucorum, quos ille ſibi ſolitudinis ſocios delegerat. Legatos ad ſe miſſos per ſuos plurimum audiebat: quin & Sigiſmundum Imperatorem Romanum, Mediolanum aliquando profectum, ut inde Romam peteret, videre non ſuſtinuit: & tamen in tanta ſolitudine vitam agens omnem Italiam armis territabat, concutiebatque, ut non inſcite quidam dixerit: Philippus ſedendo vincit. Poſtquam in arcem ventum eſt, in domum regali cultu exornatam deductus perliberaliter eſt habitus. Deinde Philippus cum eum vellet inviſere, præmiſit, qui admoneret, ne quod omnino pro iis, quæ ceciderant, deprecandi gratia verbum faceret: non placere de re triſti ſermonem conferi: velleque ab eo exiſtimari, ſe non ut captivum, ſed ut hoſpitem, atque amicum ſua voluntate acceſſiſſe. Atque ubi ad eum profectus eſt, poſt mutuos complexus, de re venatoria ſermonem iniicit; nec quicquam, niſi lætum, ac jucundum, in omni colloquio dictum, reſponſumve eſt. Eadem quoque comitate

Digitized by Google

tate in Henricum fratrem, ac Regulos usus est. Post hæc digressus venaticas aves, & canes, cæteraque id genus, quibus Regem delectari cognorat, ad eum misit: ac ne quod omnino captivitatis vestigium in eo relictum videretur, venandi, cum vellet, in septis suis sub arcem, in queis varia ferarum genera incluserat, ei potestas facta, equisque, & comitibus datis, nonnumquam & ipse sese illi comitem venationis exhibebat. Joannem quoque Navariæ Regem, petente Alphonso fratre, e Genua Mediolanum adduci (quamquam Genuensibus id ægre ferentibus) jussit, atque æque liberaliter habuit. Post de amicitia, deque fœdere renovando agi cœptum. Philippus enim, cognita ejus singulari virtute, amicum illum, & socium habere cupiebat. Nec minus Alphonsus ad Philippi amicitiam animo aspirabat; simul ut sese in libertatem vindicaret, & ut eum fautorem Neapolitano bello postea haberet, quem rebus suis plurimum prodesse, atque obesse posse, periculo suo cognoverat. Nec multi dies interceſſere, quum fœdus hisce legibus sancitum est, ut scilicet Alphonso, fratribus, Regibusque & cæteris captivis, quos Mediolani, quos Genuæ in potestate haberet, sine pretio dimissis, societas eo jure staret, ut Philippus Alphonsum, Alphonsus Philippum pace ac bello adjuvaret, atque ut amicos eosdem, atque inimicos uterque haberet.

Deinde cum cogitaret Alphonsus repetendum Regnum esse, priusquam, accepta calamitate, consternati populi, quos ante amicos habuerat, ad hostes deficerent, Joannem, atque Henricum fratres, Philippo permittente, ad comparanda nova in bellum auxilia, in Hispaniam dimisit, Tarentino, ac Suessano Regulis, qui interim, dum ipse proficiscereturr, renovato bello adversarios lacesserent, abire domum jussis. Cumque ex fœderis formula Genuensium naves a Philippo postularet, quibus in Neapolitanum trajiciens, ad recuperandum Regnum uteretur, scripsit ad Ludovicum Crotum Philippus, quem Genuæ præfecerat, uti naves armari, atque instrui Regis sumptibus quamprimum curaret. Qui cum, Senatu convocato, imperatas naves armari juberet, reclamatum est ab universis rem periniquam postulari, protinusque legatos ad Philippum misere oratum, ne se cogeret pro inimico classem comparare, præsertim adversus eos, quos semper amicos habuissent. Sed cum Philippus nihilominus in proposito persisteret, Genuam reversi, Senatum docuere, classem omnino parari oportere: ita Philippum jubere. Quo audito, classis extemplo decreta, indignantibus omnibus, ac permoleste ferentibus: omnia tamen lente, & cunctanter,

ctanter, utpote ab invitis, adminiſtrabantur. Dum ea parantur, Alphonſus ſub Philippi nomine grandem pecuniæ ſummam in ſtipendium miſit: cumque optimum factu ſtatueret, eam ſe ad Veneris portum præſtolari, ſic enim majorem ſpem Regulis ejus amicitiam ſequutis afferri poſſe, quando eum propiorem Regni finibus factum audirent, approbante ejus conſilium Philippo, illi haud repugnanter abeundi poteſtas facta. Memorabilis profecto, atque omnium Scriptorum monumentis celebranda Philippi liberalitas fuit, & quæ omnium Regum, Populorum, ac Principum, qui unquam fuerunt, benignitatem conſtanti omnium judicio anteceſſerit, qui duos fratres excellentiſſimos Reges terrarum, atque eorum Henricum fratrem Regio faſtigio, ac dignitati proximum, tot præterea Principes, tot equeſtris ordinis viros gratuito dimiſerit. Abeunte in Liguriam Alphonſo, nonnulli clari copiarum Duces comites a Philippo adhibiti: a quibus per Placentinum, deinde per Parmenſem agrum Pontremulum, quod oppidum in radicibus Apennini ſitum eſt, atque inde Spediam (unde mihi origo eſt) emporium portu, ac mercatu nobile, deductus, poſtridie cum lembis ad ſe accerſitis Veneris portum mari petiit. At Genuenſes, ne claſſem pararent, captivoſque, quos reddi Philippus cogebat, dimitterent, conjuratione facta, interfecto Opicino Alzate, qui Prætor urbem Genuam obtinebat, & Ludovico, atque Eraſmo Trivultio, qui ipſi Opicino ſucceſſurus veniebat, in arcem receptis, aſſertore, ac duce Franciſco Spinula, Philippi injuriis laceſſito, ſeſe in libertatem vendicarunt, Hiſpanis omnibus captivis in cuſtodiam retentis, &, ut ſeſe auro redimerent, coactis. Cum Siculis mitius, quam cum cæteris actum, qui, prope omnes pro amicis habiti propter vetuſta hoſpitia, atque commercia, ſine pretio dimiſſi ſunt.

Digitized by Google

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER QUINTUS.

RErum ordo poſtulat, ut quæ poſt cladem ab Alphonſo mari acceptam, in Neapolitano Regno geſta ſunt, prioribus annectam. Jacobus Caudola, cui ſumma rei bellicæ demandata fuerat dum Cajetam verſus, cum exercitu contenderet, eo conſilio, uti Alphonſum cum copiis a terra diſtineret, nec claſſi hoſtili obviam ire pateretur; haud procul ab amne Liri certior factus, victum navali prælio Alphonſum, caſtraque inſuper capta, & direpta, quanta maxima celeritate potuit, cœptum iter perſequutus eſt, reliquiaſque exercitus fugientes nactus fudit, accepit, præter paucos, quibus equorum pernicitas, aut viarum anfractus ſaluti fuit. Inde Sueſſani Principis agrum ingreſſus, complures vicos, & caſtella una prope excurſione debellavit; ipſamque Sueſſam totius regionis caput, Principis ſui captivitate conſternatam, expugnaturus videbatur, ſi in obſidione permanſiſſet. Cæterum ſpe potiundæ Capuæ in tanta fortunæ mutatione obſidionem ſolvit, cauſatus ſe ab Otolino juſſum e Sueſſani Reguli agro exercitum deducere. Namque Otolinus, tum ſolus Philippi nomine Cajetam tenebat, & Sueſſani, atque omnis ea regio, quo tuti eſſent a Jacobi injuria, Philippi ſigna in mœnibus erexerant. Deductis igitur inde copiis ad obſidionem Capuæ profectus, cis amnem Vulturnum ad quingentos paſſus a Capua caſtra poſuit, pontemque in ipſo flumine adverſus caſtra, convectis ſcaphis compluribus, hunc in modum fabricatus eſt. Scaphas proris in adverſum flumen ſpectantibus, quæ impetum amnis exciperent, quantum ipſius fluminis alveus patebat, modico intervallo diſpoſuit: has contabulatas, & a lateribus adverſus hoſtium tela munitas, terra constravit, ne tranſeuntibus per tabulata equis, pedum ſonitus conſternationem incuteret. Ponte perfecto, præſidioque valido ad ejus extrema collocato, Michelettum Cottiniolam, & Antonium Pontadereum, qui ſe cum eo junxerant, cum aliquanto Neapolitanæ nobilitatis equitatu trans pontem, non longius a Capua mille paſſibus caſtra metari præcipit. Atque ita binis caſtris obſidere Capuam cœpit. Quod cum Joannes Vintimilius præfectus urbis

bis animadverteret, provisis, ut potuit, omnibus, quæ ad tuendam urbem, & ad obsidionem tolerandam valere cognosceret, in omnem rei bene gerendæ occasionem intentus stabat: prælio abstinendum propter suorum paucitatem existimans, præsertim cum ea pars civium, quæ Regi adversa erat, rerum novarum cupida ob acceptam calamitatem videretur. Summa tamen Jacobo tuendi pontis cura erat, ut iis, qui in alteris castris trans Vulturnum erant, si qua vis premeret, in ea castra transeundi libera facultas foret, simul utrisque utrique, cum res poscceret, mutuum auxilium ferre possent. Parva tamen interdum certamina succedentibus ad portas, & muros hostibus conserebantur. Multum vero adjuvit Alphonsi partes Nicolaus Datia Campanus, homo impiger, ac manu promptus, magnaque inter populares suos gratia.

In hoc rerum statu Isabella Renati conjux, hortantibus his, qui Neapolitanam Rempublicam gerebant, cum triremibus quatuor Neapolim petitura ex Massilia solvit. Namque Renatus per id temporis a Joanne Burgundiæ duce distinebatur. Is enim bello Britannico in eo prælio, quo omnis Gallia prope concidit, captus, in ipsius Joannis potestatem venerat; is enim Regiis copiis præerat: cumque ab eo postea dimitteretur, militari more, atque instituto fidem dedit, sese ad eum, cum vellet, & quo juberet, reversurum, quamque is sibi pecuniæ summam, redemptionis nomine imponeret, cum fide soluturum. Hunc igitur, cum Joannes sciret Neapolim proficisci statuisse, inter apparatum rerum, uti Alphonso gratificaretur, quicum sibi amicitia erat, ad sese revocavit. Qua spe legati destituti, ut Isabella interim, dum ipse dimitteretur, Neapolim peteret, postulavere, quam præter singularem modestiam, prudentia, & gravitate supra muliebre ingenium præditam acceperant. Cum duobus igitur parvis liberis naves ingressa, ad urbem Cajetam primum contendit, quam adhuc Ottolinus Prætor obtinebat. Et jam Philippi fides Cajetanis adversæ factionis suspecta esse cœperat. Quapropter Isabella hortatu eorum, qui Regnum ad Renatum deferri cupiebant, ipsum cum præsidii parte, sub honoris prætextu, quod ejus consilio in rebus gerendis uti vellet, Neapolim traducere constituit; urbeque ipsa novo præsidio firmata, extemplo Neapolim profecta, ingenti lætitia ab Andegavensi factione suscepta est. Adhuc Capua a Jacobo obsidebatur: nec tam cito finem ea obsidio habitura videbatur. Itaque cum essent, qui existimarent Campanos obsidionem diutius

non

Digitized by Google

non laturos, aut ſeditionem propter diverſa partium ſtudia facturos, ſi ipſa in caſtra proficiſceretur, aut in loca Capuæ vicina, confeſtim coactis, quas potuit, ex urbana juventute copiis, Capuam verſus profecta, ad ſex millia paſſuum ab urbe conſtitit. Cujus adventu cognito, Joannes Ventimillius, alios orando, alios terrendo, aliis præmia pollicendo, omnes illius conatus irritos fecit, totamque civitatem partim voluntate, partim metu in officio continuit. Iſabella, cum præter ſpem & opinionem eorum, qui profectionem ejus ſuaſerant, tempus ibi nequicquam teri animadverteret, Neapolim rediit, equitatu, quem ſecum adduxerat, ad Jacobum dimiſſo. Sed nulla res obſeſſos magis fatigabat, quam rei frumentariæ inopia, quæ in dies propter urbanam multitudinem arctior fiebat. Erat in Neapolitanorum exercitu, ut ſupra demonſtravi, Antonius Pontadereus copiarum Dux, vir & conſilio, & audacia ſingulari. Hunc Joannes Ventimillius promiſſis oneratum, miſſis ad eum clam nuntiis, ad transfugium ſolicitabat, ſperans multum hoſtibus illius diſceſſu detractum iri. Qua de cauſa cum ſuſpectus in caſtris trans Vulturnum divertereretur, a Jacobo in citeriora caſtra accerſitus eſt. Profectus objectum crimen pertinaciter negare inſtituit. Fuerunt, qui ſuaderent illum comprehendi, atque interfici, nec ſinendum ullo modo, irritatum hac quæſtione hominem in ulteriora caſtra regredi. Cæterum Jacobus ſeu veritus ne tumultum in caſtris incitaret, ſeu Micheletum offenderet, qui illi amicus, & ſocius erat, ſeu falſum exiſtimarit crimen, ipſum incolumem abire paſſus eſt. Tentatum etiam a Campanis eſt, ſi forte, ſublatis in muro (Sueſſanorum exemplo) Philippi ſignis, obſidione levari poſſent. Cæterum id fruſtra fuit. Reverſus deinde in caſtra Antonius, quod inchoaverat de transfugio, exequi perrexit: aliquanto liberius pactus ſe abiturum cum copiis, ſi ei tria millia aureorum exhiberentur. Quod ſentientes Neapolitani, qui iiſdem caſtris tendebant, veriti ne eruptione ex oppido facta, improviſo caperentur, ſeſe in citeriora caſtra ad Jacobum recepere: & jam res eo perducta erat, patiente Micheleto, cui id perſuadere non poterat, ut haud amplius Antonio manus injici, aut furor ejus coerceri poſſet. Denique & ipſe Micheletus, re comperta, in citeriora caſtra, eo relicto, tranſgreſſus eſt. Qua re animadverſa, Jacobus, qui intelligebat ſeſe, parte illa virium detracta, ibi tuto conſiſtere non poſſe, obſidionem ſolvit; protinuſque, partito exercitu, Micheletus in Calabros, & Brutios, ipſe in Pelignos profecti ſunt. Nam-

Digitized by Google

que eo tempore Soranus, & Lauretanus Reguli, qui pro Alphonso bellum gerebant, Jacobi oppida vexabant bello. Eo igitur profectus (namque equitatu plus poterat) hos non tantum e finibus suis pepulit, verum etiam in summum discrimen rerum suarum adduxit. Multis enim excursionibus in eorum agros factis, magnaque inde vi pecoris, atque hominum abducta, universam regionem illam tumultu, ac terrore involvit. Eadem quoque Micheleti expeditio in Brutiis fuit. Nam & Consentinos, qui a finitimis Regulis infestabantur, gravi bello liberavit, & Regulos illos, tota provincia pacata, in Isabellæ potestatem redegit. Inter hæc Antonius Pentadereus, accepta pecunia, uti pepigerat, e Regni finibus discessit. Hæc vero ad Tarentini, ac Suessani Regulorum reditum in Neapolitano Regno gesta. Quorum adventu Petrus Regius frater certior factus, Tarentini præsertim (qui triremi Panormum, ubi Petrus erat, vectus, per Messanæ fretum Apuliam petit) Alphonsum a Philippo liberatum, quod antea multorum ore acceperat, cum quinque navibus longis in Liguriam, ejus transportandi causa, trajicere quamprimum statuit; onerariaque frumento onusta, quod ad Veneris portum deferret, prosperum ventum nactus, e Sicilia solvit. Jamque in Ænariam insulam transmiserat, cum subita venti mutatione intumescens mare, sublatis in cœlum fluctibus, onerariam a rostratis dispulit. Sed ea re maxime patuit, quantum fortuna in rebus humanis possit. Namque ea tempestas, quam Petrus detestabatur, ei multo magis profuit, quam illa maris tranquillitas prodesse potuisset. Nam si eodem, quo uti cœperat vento, diutius usus esset, nec Cajeta tunc in ejus potestatem venisset, nec tam subito oneraria in Liguriam cum frumento pervenisset: siquidem & illa vehementiore vento impulsa, ante diem tertium ad portum Veneris, quo intenderat, delata est, frumentumque, quo & præsidium & oppidani maxime indigebant, tuto exposuit. Et cum ipse in Cajetæ sinum, qui ei in conspectu erat, procul ab urbe cum rostratis sese recepisset, nonnulli Cajetani inimicorum injuriis pulsi, clam ad eum venere, spemque fecerunt Cajetam subito ejus adventu per noctem capi posse, quod in ea urbe multi essent, ad quos suæ injuriæ pertinerent, quibusque præsens rerum status invisus esset. Et quod ab adversariis partim præsidio fretis, partim de hoste securis, urbis mœnia negligentius custodirentur, æque in id operam suam ultro polliciti sunt. Quibus collaudatis, & magnis insuper promissis oneratis, Petrus tantam fortunam minime negligendam ratus,

ac

Digitized by Google

ac ducibus iisdem usus, sub noctem inde solvit, ac præire jussis, qui rem cum suis ordirentur, ipse summo silentio molliter subsequutus est: illi statim Cajetam profecti, & cum quibusdam suorum tacite collocuti, uti Petrus reciperetur, facile persuaserunt. Occupata igitur repente ea urbis parte, cujus custodia negligebatur, complures navales socii subito per scalas intromissi sunt; captaque turri proxima, portaque patefacta, cætera multitudo uno impetu ingressa est. Quo casu quamquam attoniti adversarii, arma tamen cœpere, totius adhuc rei ignari. Cæterum ubi cognoverunt Petrum cum classe adesse, armis positis, cessere. Quod ubi Petrus accepit, præmisso ab his, qui se, urbemque dederent, ingressu, a præda & cædibus civium abstinere suos jussit; pulsoque adversariorum præsidio, novo eam ipse præsidio firmavit.

Consultare deinde cœpit de instituta in Liguriam profectione. Variæ erant sententiæ. Alii eundem ei propter pestilentiam, quæ Cajetam vexabat, relicto, qui urbi præesset, existimabant. Alii vero cum dicerent non se de salute sua, sed de profectione Regis & utilitate in præsentiarum consulere, & in primis Antonius Panormita, alium quempiam cum navibus mittendum, sibi vero manendum, ajebant, quod Rex non eo, sed navibus egeret: periculum enim esse, ubi is abscessisset, ne ea urbs propter civium discordiam rursum in Renati potestatem rediret, quam ejus præsentia tueretur: quorum consilio probato, Raimundum Pirilionem cum iisdem rostratis ad Alphonsum misit: isque secunda tempestate usus, ad Veneris portum quarto, postquam solverat, die pervenit. Ibi & onerariam, quæ frumentum oppidanis advexerat, & Regem Mediolano recens profectum reperit, Cajetamque captam nuntiavit. Quo nuntio lætus admodum, majore rursus animo in id bellum incubuit. Moxque Cajetam petiturus erat, ni moræ causam Philippus injecisset. Per eos namque dies Genuenses sese Philippi dominatu, ut dixi, liberaverant: cujus rei causa Philippus ad Alphonsum misit, qui rogaret, uti cum rostratis, quas haberet, Savonæ arci, quam adhuc suo præsidio teneri acceperat, quamprimum succurreret. Quod cum Alphonsus pro officio facere instituisset, subito in adversum coortus ventus, tantam vim procellæ concitavit, ut toto triduo e portu exire non potuerit. Interim ea arx amissa est. Quod ubi Philippus agnovit, ad Alphonsum misit, qui gratias ageret, diceretque licere sibi, cum vellet, abscedere. Itaque Alphonsus, illico ascensis navibus, primo portum Pisanum, atque inde Cajetam tranquillo mari vectus pe-

Digitized by Google

tiit : exceptus est autem ejus adventus summa lætitia , universa civitate gratulabunda illi obviam cum conjugibus , & liberis effusa : perpaucis diebus quieti datis, de renovando bello meditari intentus cœpit . Cajeta enim, præter ejus spem, capta illi haud dubie totius Regni possessionem portendere videbatur . Contractis itaque , quas potuit , per æstatem copiis , Tarentinoque , & cæteris partis suæ Regulis accersitis , ineunte hyeme , Capuam est profectus , eo videlicet consilio , ut inde hostes lacesseret . Hoc bell[illegible]ucipio [illegible] gerendæ spes illi ingens affulsit : namque ad eum venerat Joannes Antonius Tarentinus Princeps, Raimundum Nolanum Regulum , ex patruo natum , illi conciliavit: quæ quidem res magna victoriæ causa fuit . Abest enim Nola a Neapoli non plus duodevigintimillibus passuum , urbs antiqua , & Annibalis cladibus celebris , & ad vexandos Neapolitanos perquam opportuna . Deinde Nuceriam in Lucanis aggressus , eam , præter arcem , cum aliquot castellis circumjectis cœpit . Et quoniam Nucerinæ arcis expugnatio longæ obsidionis videbatur fore , his gestis ad Alphonsum abiit , cujus copiis auctus Alphonsus , primùm Marianissum , quod oppidum ab hostibus tenebatur , exercitum [illegible] ; idque oppugnare adortus , cum tormenta muris admovisset , uno modo jactu oppidanos adeo conterruit , ut continuo deditionem fecerint. Inde Scaphatum ducit , castellum in agri Campani confinio situm , idque in insulæ modum ambit amnis Sarnus, non tam aquarum magnitudine , quam ortu mirabilis : siquidem nullis adauctus aquis ex Apennino juxta Sarnum oppidum , cui nomen dedit , prope tantus oritur , quantus in mare effluit : [illegible] millia passuum a fonte provectus , hanc exiguam insulam , [illegible] arx sita est , efficit : ipse angustis coercitus ripis uno tantum ponte jungitur , nec plus dena passuum millia decurrit. Ad subitos casus incolæ sese in eam arcem recipere assolent. Itaque Alphonsus , quo sibi liber pateret in Lucaniam transitus , neque enim vado transiri potest , ut hostes ab ea parte annona , & commeatu reliquo intercluderet , Lucanosque , & Brutios infestaret , accersitis navalibus sociis , eo proficiscitur , incolasque in arcem primo impetu compellit . Hi , interciso ponte , præsidio freti sese primo egregie tuebantur : sed postquam è ponte , atque e ripa infestis se telis peti viderunt , tantæ multitudini resistere se posse diffisi , præsertim cum rei [illegible]mentariæ parvum copia illis esset , admisso præsidio deditionem fecerunt. Deinde Castrum Maris infestis signis petit , quod oppidum duodeviginti millibus passuum

ab

Digitized by Google

ab Neapoli abeſt: idque primo certamine, deturbatis muro propugnatoribus, præter arcem, cœpit. Ea vero arx in colle ſita difficilem habebat oppugnationem. Cum ea res obſidionis magis, quam oppugnationis eſſe videretur, machinas, & tormenta adhibuit; quibus magna muri parte diſcuſſa, oppidani, qui in eam confugerant, ſalutem pacti, deditionem fecere. Poſthæc Alphonſus ſimul, quod res proſpere ſuccedebant, ſimul quod eo tempore adverſariis copiæ non erant, quæ obſiſterent, fortunam ſequendam ratus, caſtra in Nolanum movit, atque inde per Caudinam vallem, factis in aliquot dies cum Marino Boffa, qui eam vallem tenebat, induciis, ad montem Sartium, ac Cepalonum, quæ caſtella in amicitiam ejus nuper venerant, profectus eſt. Cauſa vero profectionis fuit ſpes illi injecta, Trojanum Joannis Caratioli illius filium, qui magnus apud Reginam fuerat, cujus in ea regione magnæ opes erant, poſſe in ſuam amicitiam ſuo adventu illici: quo ſibi conciliato, intelligebat ſibi tutum poſtea, & expeditum iter in Beneventanum, atque in Apulum agrum fore. Compluribus igitur diebus in ea re agenda fruſtra conſumptis, relicto ad montem Tuſculum Joanne Antonio Urſino, quod per anni tempus res geri non poterat, & aliquid militum quieti dandum videbatur, eo conſilio, ut Capuam repeteret, inde movit. Rediens vero, in Apennini tranſitu non parum detrimenti accepit. Brumæ tempus erat, cum ſubito frigoris inſueta vis cœlum complexa eſt: tum coactis vento nubibus, ingens procella nivis effuſa terram alte operuit: tantuſque rigor milites invaſit, ut nec membris uti, nec arma ſuſtinere, obtorpente manu, poſſent, atque ut multi ob id in graves morbos inciderint. Augebat frigoris ſævitiam ventus nivi immixtus, qui oculos, atque ora diverberans, vix ſub tentoriis militem conſiſtere patiebatur. Hanc aeris immanitatem veteranorum nemo Alphonſo fortius tulit; quippe ita ab adoleſcentia per crebras venationes, & aſſiduos labores obduruerat, ut nec frigus, nec calorem pertimeſceret. Mitigato cœlo, nivibuſque Africo ſolutis, per Caudinam vallem, qua venerat, compoſito agmine iter faciens, Areolam, quod caſtellum in ipſa valle ſitum a Marino Boffa tenebatur, primo impetu arce expugnata, debellavit. Nec multo poſt Joannes in Apuliam in hyberna rediit.

Inter hæc Iſabella, cum Alphonſi opes in dies creſcere animadverteret, eumque e Regni finibus viribus ſuis arceri poſſe deſperaret, ad Eugenium Quartum, qui tum erat Pontifex Maximus, legatos opem poſtulatum miſit. Cujus laboribus permotus Joannem Vitelleſcum

Ieſcum Patriarcham Aquilegienſem, cujus libido, & avaritia, atque effrænata crudelitas humanum modum exceſſerat, cum tribus millibus æquitum, ac pari peditum numero, quæ ſequuta eſt, æſtate, ad eam miſit. Iſque in Campanum profectus, primo impetu aliquot caſtella vi cœpit. Cumque Capuam obſidere ſtatuiſſet, ad Iſabellam miſit, qui hortaretur, uti, quas poſſet, vires cogeret, & ad ſe mitteret. Quæ haud morata, ad octingentos equites raptim coactos in Averſanum ire juſſit, & haud procul a Vulturno ipſum opperiri. Alphonſus per id tempus tria millia paſſuum a Capua caſtra habebat: nec eas habebat copias, quibus poſſet tantis adverſariorum viribus obſiſtere. Namque & Joannes Antonius Urſinus, & alii nonulli Reguli, quos, cognito Patriarchæ adventu, accerſierat, nondum ad ſe pervenerant. Cæterum cum audiſſet Patriarcham appropinquare, cedendum interim fortunæ exiſtimavit, donec majores vires contraxiſſet. Varia erat ſuadentium ſententia. Hiſpani Cajetam eundum cenſebant, quod is locus ſitu munitior, & ab obſidionis periculo tutior foret: Italici Theanum potius, quod ejus longior ſeceſſus deſperationem quandam Principibus, ac Populis ſuarum partium eſſet allaturus. Plurimum enim ad nominis ſui exiſtimationem conducere quam minimum a ſuis abeſſe. Poſſe illum Theani tuto permanere, quod id oppidum mœnibus, & annona firmum eſſet. Si quidem longius abſcederet, non alia potius de cauſa, quam quod non haberet, ubi propius in tuto conſiſteret, tam ſuos, quam hoſtes factum exiſtimaturos. Capuam quidem validam & permunitam urbem, ſed parum in ea frumenti eſſe; ſeque in ea facile commeatibus intercludi poſſe, quod trans flumen omnia hoſtium incurſionibus quotidianis infeſta eſſent. Quorum ſententia comprobata, relicto, qui copiis præeſſet, Joanne Vintimillio, Theanum ſe recepit: quo digreſſo, Joannes, motis inde propere caſtris, Capuam copias reduxit. Neapolitani equites, quos ab Iſabella in Averſanum miſſos dixi, Sicinium, qui vicus in Averſano eſt, conceſſere, ibi Patriarchæ adventum præſtolantes. Quos cum Joannes per exploratores cognoviſſet, incautius in caſtris agere, nulloque munimento obducto, paſſim vagari, eos aggredi ſtatuit, exiſtimans, ſi hos fudiſſet, nec permitteret Patriarchæ conjungi, ejus vim facilius ferri poſſe. Neque enim, fuſis Neapolitanis, illum ad Capuam obſidendam profecturum; uno modo prælio, ſi fortuna adeſſet, ſeſe obſidionis periculo liberari poſſe. Non abfuit fortuna conſilio. Namque e Capua profectus, ſpeculatoribus

pra-

Digitized by Google

præmissis, prius pene in hostium castris conspectus est, quam ejus adventum cognorint; imparatosque & inermes aggressus, non sui colligendi, non arma capiendi, non gladios stringendi iis facultatem reliquit; captisque prope omnibus, sese confestim Capuam recepit. Hac clade audita, Patriarcha de obsidenda Capua consilium omisit, Vulturnumque circiter sex millia passuum vado transgressus, nullo obsistente, per Caudinam vallem montem Sartium petit, idque ex itinere oppugnare aggressus est. Quod ubi Joannes Antonius Ursinus, qui ad Alphonsum cum copiis proficiscebatur, agnovit, confestim ad montem Tusculum, quatuor fere millia passuum a monte Sartio contendit, ibique castris positis, auxilii spem obsessis afferebat. Cæterum cum se imparem Patriarchæ viribus sciret, sese in castris continebat. Et jam Alphonsus Capuam redierat. Itaque Joannis Antonii ad montem Tusculum adventu cognito, Joannem Ventimillium eo ire jussit cum parte copiarum, ut, si posset, se cum eo conjungeret. Ad quem cum tuto transire non posset, aliquanto procul inde, loco tuto, positis castris, constitit, ut hostibus fiduciam adimeret, & Joanni Antonio, atque obsessis spem daret. Patriarcha, per exploratores cognito in hostium castris custodias negligi, posseque opprimi incautos, eo celeriter profectus est, eosque inopinantes ex improviso adortus, primo impetu fudit: castrisque expugnatis, magnam partem, & in his Joannem Antonium cepit: cæteri receptus propinquitate freti, Patriarchæ vim effugerunt. Ea clade cognita, Joannes Ventimillius, cum nullam se obsessis opem afferre posse animadverteret, atque in iis locis cum summo periculo diutius immorari, confestim Capuam cum copiis se recepit: & jam Alphonsus cum parte copiarum Sulmonetam contenderat, eo videlicet consilio, ut Patriarcham a monti Sartii oppugnatione averteret, arbitratus hostem, injecto domi metu, ab amicorum vexatione deterreri posse; totamque eam regionem tumultu ac terrore compleverat. Quod cum Patriarchæ nuntiatum esset, omissa montis Sartii obsidione, iter in Campanum flexit, Varranumque, & Præsentianum, ad Venafrum sine certamine in deditionem accepit. Inter hæc simultate quadam inter illum, ac Jacobum Caudolam, qui una cum eo copias junxerat, exorta, cum ei haud satis fideret, diviso exercitu, Jacobo in Apuliam profecto, ipse ad vicum, quem Sanctum Petrum vocant, ad mille passus a Scaphato se recepit. Alphonsus, cognita calamitate ad Montem Fusculum accepta, ma-

gno

gno dolore, ob amici maxime captivitatem, affectus, prætermissa Sulmonetæ oppugnatione, confestim Capuam regressus est. Ibi cum accepisset de dissensione inter Patriarcham, & Jacobum orta, distractisque copiis Patriarcham apud Scaphatum consedisse, ejus opprimendi tempus idoneum ratus, celeriter in Nolanum profectus, primo ad Cancellum, deinde sub Nolam ad mille passus substitit. Forte eo die magna equitum manus de Patriarchæ exercitu Regis adventus nescia, prædandi causa, Nolam versus profecta, in Alphonsi castra incidit, impetuque in proximos quosque imparatos, & inopinantes facto, quosdam jam e Regiis cœperant. Quo cognito, Alphonsus illico arma expediri jubet, acieque celeriter pro tempore instructa, laborantibus suis occurrit. Cæterum ea vis pulveris fuit mutuo concursu excitata, ut vix armorum insignia, quæ in præliis accommodari solent, inter dimicandum discernerentur. Ad hæc æstus intolerabilis gravem armis militem exanimabat, nec reciprocare anhelitum defatigatos sinebat. Ad postremum hostes multitudine circumventi, in fugam vertuntur, quos Alphonsi equites consectati, plerisque vulneratis, complures cœperunt: nec quisquam omnium superfuisset, nisi, itinere atque æstu defatigatis militibus, Alphonsus receptui cani jussisset. Hac clade nuntiata, Patriarcha perterritus, cum eum locum haud satis idoneum castris putaret, nocte, quæ insequuta est, relictis præ festinatione equitibus, quos ad trecentos Neapolim miserat, inde in Sancti Severini agros, citato agmine, se recepit, modicoque spatio militibus ad quietem dato per vallem Serrinam sub Montem Fusculum, transmisso monte, profectus est. Quod ubi Alphonsus agnovit, ejus itinere per exploratores cognito (jam enim reliquias fusi ad montem Fusculum exercitus collegerat), cum propter locorum iniquitatem minime persequendum illum existimaret, converso itinere, Iserniam, ac Varranum, Patriarchæ metu liberata oppida, sine certamine recepit. Per id quoque temporis Franciscus Pandonius Venafro oppido, quod præfectus obtinebat, sibi ab Alphonso in ditionem, ut postulabat, tradito, deditionem fecit.

Inter hæc cum Patriarcha per amicos agi cœptum, uti Joannes Antonius Ursinus, quem in vinculis habebat, accepta cautione dimitteretur, sibique eum virum beneficio obstringeret, quem si allicere in suam amicitiam posset, plurimum esset opibus suis accessurum. Non displicuit Patriarchæ ejus rei mentio, seque eum dimissurum sine pretio est pollicitus,

modo

Digitized by Google

modo is ad ſeſe cum quingentis equitibus reverti vellet, Pontificis ſtipendia facturus. Eam vero conditionem, quamquam ei permoleſtam & gravem (quando ita neceſſitas urgebat), ut ſe in libertatem vindicaret, accepit, ea tamen lege, ut, dum is fratrem pro ſe mitteret, ſibi domi liceret permanere: idque ejus factum Alphonſus haud iniquo animo tulit, quamvis conditionem, ejus viri captivitate, cujus amicitiam ſibi fructuoſam ſenſerat, potiorem ducens. Poſt hæc Patriarcha, Alphonſi in Venafranum profectione cognita, cum omnibus copiis Salernum petiit, eo videlicet conſilio, ut illi obviam contenderet. Quod poſtquam Alphonſo nuntiatum eſt, ſubito in Nolanum contendit. Jam enim is ſibi Patriarchæ par factus Jacobi ſeceſſu videbatur. Cumque ad oppidum Sarnum perveniſſet, ſorte duo de Patriarchæ equitatu ad eum venere, hortatique ſunt, ut quempiam e ſuis ad Patriarcham mitteret; ſperare ſe, ſibi cum illo de pace, aut certe de induciis conventurum, quod eum belli ſatietas cepiſſet. Alphonſus eam rem haud aſpernandam ratus, quod, gravi adverſario ſublato, ſeſe hoſtibus ſuperiorem intelligebat fore, quoſdam e ſuis una cum iis ad eum miſit, qui de ea re illius animum explorarent. Ipſe nihilo ſegnius cœptum iter perſequutus, ad vicum, quem Aquemellam vocant, cum copiis eſt profectus, quo majorem pacis neceſſitatem Patriarchæ injiceret; ſimul quod verebatur, ne equites a Patriarcha, fallendi animo, ad ſe profecti eſſent: & ad ſex millia paſſuum a Salerno in tumulo quodam, natura munito, caſtra poſuit. Forte autem, eo proficiſcente, trecenti hoſtium equites, quibus præerat Paulus Alemanus e monte Tuſculo Salernum ad Patriarcham ibant; iique improviſo cum in hoſtes incidiſſent, parvo negotio fuſi, magnaque ex parte capti ſunt. Poſthæc, qui Salernum ad Patriarcham ierant, ad Alphonſum rediere. Hique inducias in duos menſes, ſi ita is vellet, Patriarchæ fieri placere retulerunt. Quod cum ille haud abnuiſſet, induciæ factæ, hac lege adjecta, ut, ſi qua urbs quatriduo, antequam ſibi induciæ denuntiatæ eſſent, alterutri parti ſeſe dederet, accipienti fraudi ne eſſet. Factis per hunc modum induciis, Alphonſus inde in Averſanum cum copiis rediit, & ad Julianum vicum tria millia paſſuum Averſa caſtris poſitis, ibi aliquot dies egit, ſtatueratque Puteolos petere, atque, accerſitis triremibus, quas tum Cajetæ habebat, id oppidum oppugnare, ut inde commeatuum Neapolim importandorum facultatem adimeret. Aberat is vicus non plus decem millibus paſſuum a Puteolis: atque idcirco eum locum interea, dum claſſis

Digitized by Google

accederet, ſtativis idoneum exiſtimabat. Cæterum Patriarchæ novum conſilium eum, ut ſententiam immutaret, compulit. Is enim per Archiepiſcopum Beneventanum, qui tum Renati partibus favebat, Jacobo Caudolæ reconciliatus, rurſus cum eo copias junxit, jurejurando ab equitibus, ac ductoribus ultro citroque exacto, ſeſe commune bellum cum fide geſturos, nec injuriam ducibus fieri paſſuros. Deinde quum ſciret Alphonſum ad Julianum vicum ſtativa habere, locum haud ſatis tutum, opprimi poſſe ratus, ſi antequam de reconciliatione ejus cum Jacobo reſciſſet, adverſus eum contenderet; omnis humani juris, ac divini oblitus, per omnes ſaltus, atque aditus cuſtodes diſponi juſſit, qui obſervarent, ne quis nuntius ad Alphonſum iret, a quo de ejus conſilio certior fieri poſſet. Quod cum Jacobus Lagoniſſæ, unus e Regni Regulis, fide in Alphonſum, & conſtantia ſingulari cognoviſſet, plures ad Alphonſum confeſtim nuntios per varias partes dimiſit. Cæterum ii omnes, excepti a cuſtodibus, præter unum, qui per tranſverſos, ac devios tramites ad Regem profectus, omnem ei rem pandit. Alphonſus primum admiratus, quod bona fide Patriarcham ſecum inducias feciſſe exiſtimaret, cum ſe loco haud ſatis tuto eſſe cognoſceret, hoſteſque copiis ſuperiores eſſe, confeſtim abeundi Capuam conſilium cepit: atque haud mora milites cogi, arma expediri, & impedimenta componi imperat. Sed dum hoſtes, qui apud Averſam erant, auxilii propinquitate freti, ferocius inſtant, atque inconſultius, eorum plerique capti. Nec dubium, quin intra urbem rejecti omnes, aut capti eo die fuiſſent, niſi Patriarcha, & Jacobus celatis equis advolantes, pavorem, ac trepidationem Regiis intuliſſent: qui cum apud Caivanum accepiſſent Alphonſum a Juliano vico jam moviſſe, quanta celeritate potuere, Averſam contenderunt, hoſteſque partim pugna implicitos, partim abeuntes conſpicati, effuſo curſu, petierunt. Quos ut Regii in ſeſe concite venientes conſpexere, cedendum rati, omnibus prope impedimentis amiſſis, ſaluti conſuluerunt. Palus erat propinqua, quam Clanius exiguus amnis efficit. Hæc hybernis aucta imbribus, ita coarctaverat iter, ut facile pauci adverſus multos locum tuarentur. Ea vero ponte peranguſto tranſmeabilis erat. Id ab initio cum a Juliano moviſſet, providerat Alphonſus. Itaque præmiſit, qui tranſitum occuparent, ne ab hoſtibus circumveniri, & Capua intercludi poſſent; ob eamque rem copias dividere neceſſe eſſet: quod ni eſſet factum, ingens fortaſſe eo die detrimentum hoſtes accepiſſent.

Digitized by Google

cepiſſent. Namque & vigiliis ſimul, & itinere feſſi, contempta hoſtium paucitate, incompoſiti pugnam inierant. Hoſtes, ut pontem inſeſſum, atque occupatum videre, primoſque jam longe progreſſos, ſigno receptui dato, Averſam redierunt. Quod ubi Alphonſus animadvertit, placide iter perſequutus, ſeſe cum copiis Capuam recepit. Hunc exitum habuit tumultuaria ad Averſam pugna: inde in aliquot dies ab utriſque quies fuit.

Poſt hæc rurſum inter Patriarcham, ac Jacobum diſſenſio exorta eſt, hac maxime de cauſa: Patriarcha, quo tutum aliquem receptum in Neapolitano Regno haberet, uti ſibi Averſa ab Iſabella traderetur, poſtulabat. Jacobus vero, cum intelligeret, quorſum ejus petitio tenderet, eum ſcilicet non tam pro Renato, quam pro Eugenio Pontifice Maximo bellum gerere, ejus poſtulatis maxime adverſabatur. Quod cum Patriarchæ permoleſtum accidiſſet, haud diſſimulatis inimicitiis, relicto Jacobo, ex Averſa abiit: nec multo poſt & ipſe Jacobus in Pelignos in oppida ſua conceſſit. Per idem fere tempus Tranenſes ad Alphonſum legatos miſere, qui, deditione facta, opem implorarent, dicerentque urbem in poteſtate civium eſſe. Cæterum arcem ab hoſtibus teneri, eamque nec expugnatu facilem, nec abſque navibus, propter mare circumfuſum, obſidioni obnoxiam. Cauſa vero deditionis fuit, quod vulgatum erat, Patriarcham eo ire ſtatuiſſe, uti a Judæis ad Chriſtianam legem recens profectis, qui multi in ea urbe erant, grandem pecuniam in belli ſumptum exigeret. Movit ea legatio maxime Alphonſum, plurimum conferre rebus ſuis ratum, ſi urbe tam opulenta potiretur. Itaque legatis benigne reſpondit, collaudatoſque, quod deditionem ſua voluntate feciſſent, ſpe plenos dimiſit: moxque Joannem Caraffam cum triremibus tribus Tranum petere, &, quæ ad arcis obſidionem neceſſaria cognoſceret, cum cura gerere imperavit. At Patriarcha, ejus urbis deditione cognita, Andrium, quæ civitas in Apulia eſt, ſubito profectus, copiarum Duces, ac Regulos, quos in fidem acceperat, cum omnibus copiis eodem convenire quamprimum jubet, quibus ad diem profectis, obſeſſæ arci opem ferre ſtatuerat. Inter hæc orta ſeditio, majore civium ac militum parte ad Alphonſum inclinante (quod Patriarchæ impotentem ſuperbiam, atque avaritiam ferre non poterant), eum in maximum metum, ac diſcrimen adduxit: nec eſſet temperatum cædibus, ni Joannes Antonius Urſinus eorum furorem interventu ſuo compreſſiſſet, qui ad fidem ſuam id pertinere exiſtimans, temerariis ſuorum conſiliis

Digitized by Google

ſeſe objecit. Itaque poſtquam tumultus conquievit, nihil mutato conſilio, contractiſque undique auxiliis, ex Andrio movere conſtituit. Ceperat eum ante ſuſpicio, Joannem Antonium rurſus cum Alphonſo ſentire. Hanc autem ſuſpicionem vel ea res maxime confirmavit, quod Joannes Antonius in valetudinem cauſatus Tranenſem expeditionem detrectabat. Accepta tamen ab eo copiarum parte, Tranum, quod haud plus decem millibus paſſuum aberat, repente profectus, caſtris poſitis, agrum circumjectum hoſtiliter populatus eſt. Interea Tranenſes, Paulo Pellicano auctore, ejus factionis principe, quæ Alphonſo urbem dediderat, foſſam, qua arx continenti, atque urbis ædificiis jungitur, arci obduxerant, ne qua ab obſeſſis eruptio in urbem fieri poſſet; eamque foſſam aggere, crebriſque turribus communierant: ob eamque cauſam, niſi ſuperatis munimentis, in arcem terra evadi, atque obſeſſis ſubveniri nullo modo poterat. Cœperat Joannis Antonii fides, ut ante dixi, Patriarchæ ſuſpecta eſſe: cum igitur oppugnare munimenta ſtatuiſſet, & ob eam rem equis deſilire equites imperaſſet, nec paruiſſet Joannis Antonii equitatus, ſuſpicionem confirmavit. Quod cum intueretur Laurentius Cottiniola, vir bellicis artibus clarus, minime dubia eſſe affirmans, quæ de illo ſuſpicatus eſſet, eum perpulit, ut, deſerta obſidione, Veſcilium, quod oppidum ejus ditionis erat, ſe receperit. Ibi cum cognoviſſet triremes ab Alphonſo mitti, quæ arcem obſiderent, veritus, ubi veniſſet, ne ſibi minus integrum foret, ex ea provincia, cum vellet, excedere, quod Joannis Antonii copiæ terreſtre iter occupaturæ eſſent, triremes autem mare clauſuræ, ſtatuit ante navium adventum, relictis copiis, dum liceret, abſcedere. Lembum igitur quendam nactus, paucis conſciis, is, qui paulo ante univerſum Neapolitanum Regnum terrore compleverat, quaſi ad contrahendas majores vires iturus, turpi fuga, intempeſta nocte digreſſus, primo in Picenum, mox terreſtri itinere ad Pontificem abiit. Poſtridie milites, atque equites, cognita Patriarchæ fuga, rebus ſuis diffidentes, cum nec ducem, nec pecuniam haberent, unde commeatus ſuppeditarent, ſeſe ad Jacobum Caudolam contulerunt, qui & Iſabellæ rogatu, poſita ſimultate, eodem acceſſerat: huic enim ſalutem ſuam credere, quam hoſti maluerunt. Dura erat obſeſſorum conditio. Namque Tranenſes, naviculis per varia ante urbem loca diſpoſitis, nec commeatus in arcem inferri, nec militem quemquam ingredi ſinebant. Inter hæc Joannes Caraffa triremibus duabus vectus, Barletam primo, mox Tranum

Digitized by Google

num venit. Causa longioris moræ fuit, quod is primum proficiſci in Siciliam ab Alphonſo juſſus fuerat, uti inde pecuniam in ſtipendium Ardironi copiarum Duci, qui tum Barletæ erat, deferret, cujus pecuniæ exactio ſerior fuerat. Hujus adventu Tranenſes vehementer confirmati ſunt, quod minime dubitabant, arce terra marique circumſeſſa, præſidium ad deditionem cogi poſſe. Ad centum quinquaginta milites erant iiſdem triremibus invecti. Ante omnia Joannes, colluſtratis munimentis, quæ cives arci objecerant, cum propter latitudinem hoſtes nunc quinos, nunc denos erumpere, & ſimulata fuga Regios ſub arcem illicere, incautiſque ſequentes a ſagittariis, qui pro arce occulti ſtabant, excipi animadverteret, jacto interiore vallo, ac foſſa, crebriſque turribus per intervalla excitatis, munimenta coarctavit. Hæc a terra proviſa, a mari autem naves longas, quibus advectus fuerat, contra arcem ſtatuit: & ne qua vis major ſuccedere ad arcem poſſet, quod ea maris altitudo erat, ut poſſent non incommode triremes arcem ſubire, ſcaphas complures præparavit. Eas vero ſaburra gravatas, tignis ſolidis inter ſe compactis, ante arcem extra teli jactum, in anchoris tenuit, ut, ſi qua forte major vis ingrueret, has continuo undis ſupprimeret. His operibus perfectis, cum animadvertiſſet hoſtes biremem in arce ſubductam habere, qua, furtim captata occaſione, ad commeatus deferendos uti poſſent, caſtellum a terra adverſus arcem ædificavit, tanta altitudine, ut muros ſuperaret: in quo caſtello complures milites collocati & infeſtabant telis obſeſſos, &, ne biremis clam emitti poſſet, obſtabant. Lembos præterea viginti tectos præparaverat, eoſque intra opera ac munimenta maritima collocarat, ut, ſi forte triremes hoſtilium navium impetum ferre non poſſent, interjecta munitione, ſagittis hoſtem arcerent. Per hunc maxime modum circumſeſſa arx, omni telorum ac tormentorum genere ſine intermiſſione quotidie oppugnabatur: quam tamen oppugnationem fortiter ferebant. Poſtquam vero res frumentaria arctior fieri cœpit, nec quicquam opis ſibi in Patriarcha relictum eſſe perſpexerunt, obſidionem diutius non tulere; impetratiſque triginta dierum induciis, quibus liceret ad Patriarcham mittere, qui doceret ad extremam inopiam ventum eſſe, dedituros ſe arcem pacti ſunt, niſi intra eam diem auxilium afferretur: quod cum ad tempus nullum veniſſet, deditione facta, arce exceſſerunt. Vix triduo poſt exacto, Janus Fregoſus (namque Iſabella a Genuenſibus auxilium poſtulabat)

Digitized by Google

labat) cum triremibus octo profectus, ad sex millia passuum a Crane pervenit. Ibi cum de arcis ipsius deditione accepisset, retro, converso itinere, rediit. Recepta Trani arce, & Patriarchæ copiis ad Jacobum profectis, Joannes Antonius Ursinus, cum sibi omni metu solutus videretur, ad Alphonsum, qui eum avide expectabat (nam Jacobus inde digressus fuerat), sese contulit.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER SEXTUS.

PEr eos dies, quibus hæc ad Tranum gesta sunt, Renatus, cujus summa erat apud hostes opinio, atque expectatio, a Joanne Burgundiæ Duce dimissus, triremibusque decem comparatis, e Massilia Neapolim profectus est. Ejus vero adventus Andegavensis factionis animos longe sustulit: siquidem magni animi vir Britannico bello cognitus fuerat. Ut primum venit, contrahere copias, & quæ ad bellum gerendum pertinere videbantur, parare cœpit; imprimisque Jacobum Caudolam sibi accersendum putavit, qui per id temporis in Apulia cum copiis hybernabat. Misit igitur ad eum, qui rogaret, cum copiis ad se venire ne cunctaretur, de tota belli ratione una consultaturus. Quo nuntio accepto, Jacobus, ut primum potuit, coactis copiis, sese itineri commisit; profectusque Neapolim, cum eo de summa belli colloquutus, primum hortatus est, uti Scaphatum oppugnatum iret, quo tuto in Lucanos, ac Brutios transire posset: atque inde necessaria advehere. Cujus consilio probato, confestim cum omnibus copiis Scaphatum petiit; acciisque navalibus sociis, arcem aggressus, oppidanos, qui in eam se receperant, adeo conterruit, ut, deditione facta, vix primam oppugnationem tulerint. Interim Alphonsus, Renati adventu cognito, confestim, quas potuerat, copias contraxerat. Itaque, ut primum factus est certior Renatum ad oppugnandum Scapham isse, citato agmine e Capua in Nolanum contendit. Ibi cum accepisset arcem jam in potestatem hostis venisse, cœpto itinere abstinuit; reversusque Capuam, in Pelignos ire constituit, eo consilio ut Jacobi oppida vexaret; si forte posset, solicitudine domi injecta, a Renato distrahi:

Digitized by Google

hi: conſtitueratque alio quodam breviori itinere proficiſci. Cæterum Sulmonenſes (urbs inter Pelignos, hoc etiam clarior, quod ex his Naſo poeta ortus eſt) uti per Sulmonenſem agrum iter faceret, pervicerunt: qui ſi alio itinere, quo ire inſtituerat, profectus eſſet, ipſa celeritate totam eam regionem depopulari, ac vaſtare potuiſſet. At Jacobus, ejus itinere comperto, de rebus ſuis ſolicitus, cum Renati venia, quam maximis itineribus potuit, per Beneventanum & ipſe in Pelignos eſt profectus, & ad Caſam Cantinellam (id ei caſtello eſt nomen) conſtituit. Haud procul hinc duo colles ſiti ſunt, inter quos anguſta valle exiguus amnis excurrit. Sed eorum collium alter altero eminentior eſt, ac multo munitior. Hunc ſibi cognitum Jacobus primo adventu occupavit, eoque multo peditatu firmato, ſub radicem caſtra poſuit. Cujus adventu cognito, Alphonſus haud multo poſt & ipſe eodem perrexit. Cumque eum collem, quem edoctus ab hominibus ejus regionis peritis occupare ſtatuerat, ab hoſte captum comperiſſet, altero colle, quem demonſtravi, occupato, & ipſe e regione ſub montem caſtra poſuit. Amnis modo utroſque dividebat: aquandi ex eodem utriſque æque poteſtas erat. Ea vero caſtrorum propinquitas utriuſque partis animos mutuo clamore provocantium, ac probra jactantium longe ad certamen acuebat. Inter hæc falſo in caſtra allatum eſt Franciſcum Sfortiam impigrum juvenem, quem Renatus accerſierat, magno cum equitatu ad Jacobum adventare, atque haud procul inde abeſſe. Quo rumore permoti, Regulorum, ac Ducum pars magna ſuadere Alphonſo cœperant, uti, priuſquam eæ copiæ cum Jacobo conjungerentur (quoniam his locus parum tutus eſſet) caſtra moveret, neve aut cum pluribus loco iniquo pugnare cogeretur, aut circumſeſſus commeatu intercluderetur. Quæ omnia cum Alphonſus circumſpiceret, etſi dimicare in animo erat, mutato repente conſilio, caſtra movit, atque in Celanum, & Albanum agrum profectus, totam regionem illam, adventus ſui fama tumultuantem, una prope excurſione debellavit. Qua re cognita, Jacobus inſequi non auſus (neque enim Franciſcus venerat), diverſo itinere Sulmonem contendit, ac non longe ab oppido caſtra poſuit, arbitratus Sulmonenſium diſcrimine Alphonſum a rerum ſuarum oppugnatione revocari poſſe: miſitque continuo ad Renatum, qui moneret, ſi bellum cito finire cuperet, uti, quas poſſet, ſubito contractis viribus, ipſe ad exercitum proficiſceretur. Regium nomen in bello præſertim, quod adverſus Regem

gere-

Digitized by Google

gereretur, plurimum valere. Aquilanis, qui Alphonſo maxime adverſi erant, ad quinque millia peditum, finitimiſque commeatus imperavit; a quibus omnia impigre, & obedienter præſtita. Renatus, approbato ejus conſilio, coacto extemplo ex urbana juventute, quem potuit, equitatu, Sulmonem petiit; eamque urbem oppugnare aggreſſus, irrito incœpto, abſtitit. Namque & oppidi ſitu, & rei frumentariæ copia, tum Alphonſi exercitu Sulmonenſes freti, haud ſegniter oppidum tutati ſunt. Quod cum Renatus animadverteret, excurſionem per Sulmonenſem factam, multis populationibus, & incendiis agros vaſtavit. Et jam Alphonſus, Albano, ac Celano agro ſubacto, ad caſtrum vetus pervenerat. Id autem ſitum eſt in valle, quam Subletiam appellant. Quod ubi Renatus agnovit, copiis fretus, quibus ſe ſuperiorem Alphonſo exiſtimabat, ad eum miſit, qui illum ad prælium oblata chirotheca militari provocaret. Cui Alphonſus, chirotheca ſtrenue accepta, pugnam ſe haud abnuere reſpondit: cæterum ſciri oportere, utrum Renati ſententia ſit, ſingulari certamine cum eo dimicare, & utriuſque congreſſu bellum finire, an, ſignis collatis, cum toto exercitu, totis viribus decertare: ſe in utrumque paratum eſſe. Ad hæc nuntius placere, ait, Renato, exercitum cum exercitu congredi, & univerſi certaminis fortunam ſubire. Quod cum audiſſet, Renato renuntiari juſſit, miſſo ad eum nuntio, non renuere ſe oblatam conditionem: cæterum quoniam ejus ſit, veteri more, qui provocetur, diem, ac locum prælii dicere, ſe cum exercitu inter Acerras, & Nolam proficiſci, qui campus lata planicie utriſque idoneus ad pugnam eſſet futurus: ibique eum ad diem octavam præſtolaturum. His Renato renuntiatis, continuo de loci optione diſceptatio exorta eſt. Ajebat enim loci, & temporis conſtitutionem ad provocantem, non ad eum, qui provocaretur, pertinere. Itaque ſe locum illum dicere, ubi ipſe Alphonſus in præſentia caſtra haberet; quem iccirco optare videbatur, quoniam is locus nec ſitu, nec opere munitus eſſet. Ita, re infecta, nuntius ad Alphonſum rediit, qui jam in Nolanum, ut dixerat, iter arripuerat, ibi hoſtium adventum ad denuntiatam diem expectaturus. At Renatus, ne non effeciſſe, quod dixerat, videretur, in eum locum, ubi Alphonſum caſtra habebat, exercitum traduxit. Ibi cum Alphonſum non reperiſſet, converſo itinere, Pelignos revertitur: ductoque primum ad Caſtrum vetus exercitu, non id modo caſtellum, verum etiam totam vallem parvo certamine ſubegit. Poſt hæc Aquiliam Pelignorum

Digitized by Google

gnorum caput, urbem prævalidam, ſibique amicam; & fidam profectus, Jacobum Caudolam in Celanum, atque Albanum agrum dimiſit. Iſque intra paucos dies, incolis ultro deditionem facientibus, amiſſa omnia recepit. Alphonſus, ut vidit Renatum ad dictum diem non veniſſe, in vallem Caudinam, quæ a Marino Boſſa tenebatur, exercitum duxit, idoneum tempus arbitratus, dum Renatus cum copiis procul abeſſet, ejus vallis invadendæ. Superatis itaque anguſtiis (ibi enim vallis in arctum coit) quas olim anguſtias Furculas Caudinas appellabant, Romanorum ignominia nobilitatas, ad Arpajam oppidum caſtra poſuit, navalibus ſociis, quod eos in oppugnationibus perutiles ſciebat eſſe, a navibus accitis. Quod cum oppidani animadverterent, ſubito armati in muris apparuerunt, & primum quidem impetum tulere. Sed mox, compluribus eorum vulneratis, cum remiſſius pugnarent, ſcalæ muris admotæ ſunt, dejectiſque propugnatoribus, irruptio in oppidum facta, Marinoque comprehenſo, oppidani arma ponere coacti ſunt. Qui præſidio arci erant, ut Marinum captum cognovere, continuo arcis deditionem fecerunt. Argentium quoque oppidum haud procul inde ſitum, Marino dedente, abſque certamine receptum. Namque Marinus, venia a Rege impetrata, confeſtim in id oppidum Alphonſi præſidium admiſit: quo facto, magnis poſt honoribus ab eodem affectus eſt, illi reſtitutis, quæ tenebat, finito bello, oppidis. Harum rerum ſucceſſu territus Caſertinus Regulus, cum accepiſſet Alphonſum ſtatuiſſe in ejus agrum copias ducere, præmiſſo nuntio, qui deditionis ſpem faceret, confeſtim ad eum profectus, ſeſe in ejus fidem dedit.

Renatus per id temporis in Pelignis, ac Marſis tempus terebat. Itaque Alphonſus non deſerendam, quæ ſe tam læta offerebat, fortunam arbitratus, in Lucaniam inde profectus eſt, atque ad Anglum oppidum caſtra poſuit. Tenebat id oppidum Joannes Zurlus: ubi cum aliquot dies, nunc agendo, nunc ſollicitando ipſius Joannis, & oppidanorum animos, fruſtra exegiſſet, ad poſtremum oppidanos in ſumma rerum omnium deſperationem adduxit, præſertim cum ſcirent Renatum Peligna expeditione occupatum, ſibi opitulari non poſſe. Inter hæc Franciſcus Joannis, quem dixi, frater, qui urbi Nuceriæ præerat, quo rebus fraternis, ſuiſque conſuleret, ad Alphonſum miſit, qui deditionem polliceretur, ubi ſibi Nuceriæ urbis imperium relinqueret. Alphonſus, quod magni exiſtimabat, urbem tam claram

Digitized by Google

in Lucanis adverſariis eripi, poſtulatis ejus haud cunctanter annuit, illique urbem conceſſit. Agere deinde Franciſcus cœpit de re fraterna. Cupiebat vero Alphonſus, ne ibi diutius tempus teri cogeretur, Joannem ad deditionem adigi, cui cum præter ſpem obſtinatius reſiſteret, duabus ei conditionibus propoſitis, videlicet ut, urbis imperio, & principatu retento, ſeſe in Alphonſi fidem daret, aut urbis poſſeſſione intra certam diem cederet, ſtudio partium repente oppidum deſtituit, quod oppidanos deſperatione correptos a belli conſiliis jam abhorrere intelligebat. Eo digreſſo, porta illico Alphonſo patefacta eſt, præſidiumque ejus intromiſſum. Nuceria, atque Anglo in fidem receptis, complura caſtella circumjecta nulla mora deditionem fecere. His tantis rebus proſperis elatus Alphonſus, ad Neapolim ipſam (belli caput) exercitum ducere inſtituit. Movebant hæc Regem primum, quod prope omnis juventus Neapolitana Renatum in Pelignos, & Marſos ſequuta erat; deinde quod Renatum reditu ad urbem intercludebat; tum quod eo tempore magnas copias navales, ac terreſtres habebat, quibus rebus in ſpem veniebat, ſeſe aut vi aut deditione ea urbe potiri poſſe. Namque eo tempore in Alphonſi caſtris ad quindecim millia hominum erant, & in Neapolitano ſinu triremes decem, quæ & commeatus caſtris ſubvehebant, & minoribus navigiis hoſtibus importari quicquam non ſinebant. His igitur convocatis, quorum conſilio utebatur, ſententiam ſuam aperuit, cumque omnes conſilium ejus approbaſſent, motis inde caſtris, Neapolim petiit, & ad Magdalenæ templum, quod in littore eſt ſitum, ad quingentos ab urbe paſſus, Petrum fratrem cum parte copiarum ſtatuit. Ipſe paulo ſupra eum locum cum reliquo exercitu caſtra poſuit, ita ut inter ſe utraque caſtra parvo admodum intervallo diſtarent. Quod ea videlicet ratione effecit, ut, ſi qua vis altera caſtra premeret, qui in alteris erant caſtris, ſubito adeſſe, atque opem ferre laborantibus poſſent. Neapolitani adverſæ factionis, ſubito & inopinato ejus adventu perculſi, poſtquam ſe collegerunt, tormenta, & machinas, ubi expedire viſum eſt, adhibuerunt, contabulatisque mœnibus opportunis, quibuſque locis vigiles diſpoſuere. Ingens autem deſperatio eorum animis obverſabatur, quod Renatus ab urbe cum copiis procul aberat, & per occaſionem adverſarios aliquid intus miſcere poſſe ſuſpicabantur. Cæterum omnia circumſpicientibus res una maxime ſalutaris viſa eſt. Quatuor ingentes Genuenſium naves, quæ commeatus

paulo

Digitized by Google

paulo ante vexerant, forte non dum e portu exceſſerant, in quibus ſexcenti, aut eo plures erant. Harum ductoribus Neapolitani magnis præmiis perſuaſere, ut, duabus veteribus navibus incenſis, reliquas, quoad carinæ paterentur, ſub mœnia ſubducerent, ſociisque navalibus in terram dimiſſis, urbem defenderent. Caſtris communitis, Alphonſus ſcalas, atque alia machinamenta bellica confeſtim parare cæpit, quibus brevi perfectis, cum urbem oppugnare ſtatuiſſet, uti hoſtes ab ejus partis, quæ ad caſtra vergebat, defenſione averteret, & pluribus, ac diverſis locis occupatos vehementius perturbaret: ad mille homines e claſſe in terram, ſub arcem regiam, jubet deſcendere, atque inter arcem Montanam, & urbis mœnia conſidere, templaque duo, quæ mœnibus imminebant, ne qua a fronte, aut a tergo vis fieret, occupare.

Dum hi proficiſcuntur, cæteraque ad prælium comparantur, Fortuna, quæ in humanis rebus ludere conſuevit, & proſperis adverſa confundere, cuncta Alphonſi conſilia uno momento evertit. Nam dum forte Petrus ejus frater paulum a caſtris, ſpeculandi gratia progreſſus, in littore vagaretur, e Mariæ Carmelitanæ templo caput tormento ictus, repente occubuit. Cujus interitu conſternato exercitu, oppugnationis conſilium omiſſum eſt. Gratioſus hic apud omnes ordines erat, homo ſane ad rem militarem natus, ſi animi, ſi corporis dotes aſpicias; ſiquidem ad omnia pericula ſubeunda impavidus; primus in acie, poſtremus prælio excedebat; animi magnitudini corporis robur reſpondebat; acer, & manu promptus, hoſtem ſemper in acie dimicans vicit. Ejus mortem Alphonſus, etſi graviter indoluit, non ut homo in caſtris, ſed potius in ſtudiis ſapientiæ ab adoleſcentia verſatus, tulit. Ad primum namque tam atrocis caſus nuntium, obortis lacrymis, quas vis humanitatis profudit, cum paulum dolori dediſſet, tabernaculo egreſſus, Magdalenæ templum, quo corpus elatum fuerat, petit; ejuſque pectus, disloricatis tunicis, exoſculatus, Frater, inquit, laborum, & gloriæ noſtræ particeps, æternum vale. Simul, his dictis, atque eo ampliſſimis verbis collaudato, equeſtris ordinis florem eo die extinctum dictitans, milites tanto caſu exanimatos, eos præſertim, qui ſub fratre militaverant, pluribus verbis conſolatus eſt, iiſque omnia, quæ frater poſſidebat, diſtribuit, hortatus ne quid unius viri interitu animos remitterent, ſed tantumd e finiendo bello cogitarent. Deinde fratris corpus loculo pice illito reconditum, in arcem maritimam, quam Ovi vocant, tranſportari juſſit, exequiis in aliud tempus dilatis, quo ſolutis o-

Digitized by Google

lim belli curis regali pompa funus faceret; quas ego poſtea exe-
quias vidi, univerſo Regno perdomito, magnificentiſſimo appara-
tu, ac ſumtu in urbe Neapoli perſolvi. Aliquanto poſt, cum
rurſus oppugnare Neapolim pararet, ea vis imbrium aliquot die-
bus fuit, ut nec rem gerere, nec extra tentoria prodire miles
poſſet. Quæ res cum in religionem, ac prodigium vulgo verſa
eſſet, neque is locus idoneus hybernis putaretur, & jam multi
hyemis impatientia domum abiiſſent, ſuadentibus Regulis, & co-
piarum Ducibus, trigeſimo fere, poſtquam venerat, die, ſoluta
obſidione, Capuam rediit. Vix triduum a deſtituta obſidione in-
terceſſerat, cum quædam non exigua muri pars, quæ tormen-
torum ictibus quaſſata ſubſtiterat, nulla vi adhibita, cum in-
genti fragore corruit, quo tempore ſi affuiſſent Alphonſi copiæ,
fortaſſe is dies belli finis extitiſſet. Renatus, receptis oppidis,
quæ in Pelignis, & Marſis Alphonſus ceperat, cum Neapo-
lim obſideri accepiſſet, flexo in Apuliam itinere, in Benevento-
tanum, ut ea Neapolim peteret, venit. Quod poſtquam Al-
phonſo nuntiatum eſt, Joannem Vintimillium cum iis copiis,
quæ ſibi reliquæ erant (nam Reguli hybernandi gratia cum co-
piis domum redierant) ei obviam ad Furculas Caudinas ire juſ-
ſit, qui aut eum tranſitu prohiberet, aut, ſi qua occaſio rei bene
gerendæ ſe offerret, fortunæ non deeſſet. Qua re cognita, Renatus
alio itinere in Nolanum deſcendit, atque ad hoſtes celeriter pro-
fectus, cum incautos offendiſſet, aliquot captis, eos intra mœ-
nia compulit; moxque compoſito agmine Neapolim petiit. Poſt
hæc Alphonſus id tempus, quo res geri cœli immanitate non
poterat, ad præparanda in æſtatem neceſſaria commodum ratus,
Cajetam ſeſe contulit; conſtitutiſque omnibus, quæ bello opus
eſſe videbantur, Capuam rediit aliquanto celerius, quod ei ſpes
allata fuerat, Cavianum oppidum, militis cujuſdam opera, qui
in præſidio erat, occupari poſſe; præmiſſoque cum copiis Joan-
ne Vintimillio, ipſe ſtatim ſubſequutus eſt. Ubi oppido appropin-
quatum eſt, delectos aliquot milites, noctu clam ad eam partem
miſit, quam miles demonſtraverat, qui, ſcalis muro admotis, in-
ſcenderent. Ipſe haud procul ab oppido cum copiis ſubſtitit.
Profecti continuo, ſentiente nemine, præter militem, quem di-
xi, mœnia tranſcendunt, vigileſque ſomno ſtratos obtruncant.
Quod ubi Rex agnovit, ſubito cum copiis advolans, ipſo impe-
tu effracta porta, in oppidum irrupit. Oppidani tanto, ac tam
repentino caſu exanimati, correptis armis, cum ſe tueri conaren-
tur,

Digitized by Google

tur, multitudine hoſtium oppreſſi, alii, abjectis armis, ſupplices ad Victoris fidem, alii in arcem confugerunt. Poſt hæc arx oppugnari cœpta eſt: ſed cum ea ferro expugnari non poſſe videretur, quod vallo, ac foſſa munita erat, & valido præſidio firmata, ad obſidionem ſpectare res cœpit. Quapropter Alphonſus confeſtim, quas potuit e Campano, & Sueſſano, copias contraxit; ſiquidem hyemem frigoris magnitudo exaſperaverat, nec facile erat eas copias, quæ in longinquis hybernis erant, per id anni tempus cogere: deinde, circumvallata arce, ne nocte quidem opere intermiſſo, adhibitiſque tormentis, pulſare muros cœpit. Oppugnabatur quotidie ſumma vi, magnaque muri pars paucis diebus disjecta eſt. Procedente vero obſidione, res frumentaria deeſſe obſeſſis cœpit. Nam plerique oppidani, ut dixi, in arcem confugerant. Quibus incommodis victi, cum nullam ſibi amplius in Renato ſpem ſitam cernerent; quippe qui ad eam diem nullam opem iis tuliſſet, ſalutem pacti, deditionem fecerunt. Alphonſus, oppido, atque arce præſidio firmatis, cum exercitu profectus, nulla aeris acerbitate reformidata, Pomilianum petit: idque oppidum, ac ſeptem caſtella circumjecta, Renato per id tempus quieſcente, quod Jacobus Caudola aberat, debellavit: reverſuſque Capuam, contractis propere majoribus copiis, miteſcente jam cœlo, ne quid hoſtile in agro Campano a tergo relinqueret, ad Pontem Corvum proficiſci conſtituit: cumque iter ingreſſus, jam ad divi Germani oppidum perveniſſet, Renatus Cavianenſium quorundam nuntiis perſuaſus, miſſis eo confeſtim equitibus quingentis ex Neapolitana juventute, oppidum præter arcem cepit. Quod ſimul ac ad Alphonſum perlatum eſt, mutato conſilio, reverti ſtatuit, præmiſſaque ſuorum manu, ipſe maximis itineribus ſubſequutus eſt: cumque jam primum agmen ad amnem Clanium non plus tria millia paſſuum a Caviano perveniſſet, territi hoſtes, deſerto oppido, quod ſe tueri poſſe diffidebant, abiere: quo recepto, & munito, Alphonſus, ſimulato ad Pontem Corvum reditu, iter ad mare flexit, & ſub rupem montis Draconis (ita incolæ vocant id oppidum) relicto exercitu, ipſe cum paucis Cajetam, brevi rediturus, petiit.

Interim Sacerdos quidam Puteolanus magnis præmiis a Renato perſuaſus, ſimulato exilio, ad hoſtes venit: iſque poſtquam dierum aliquot conſuetudine ſibi ſatis fidei haberi intellexit, ad arcem maritimam profectus cum Jacobo, quem cæcatum appellabant, eodem Puteolano, arcis præfecti genero, agere de proditione arcis cœpit; pretio

Digitized by Google

pretio maximo propoſito, ſi rem ipſam exequeretur. Ille continuo ſimulare ſeſe ejus ſermonem libenter accipere, atque in id ipſum operam pollicitus, de modo tradendæ arcis conſideraturum ſe inquit. Cum hac ſpe regreſſus Sacerdos, Renato, quid egerit, remotis arbitris, refert. At Jacobus, eo digreſſo, ſtatim, ut fidelem hominem decuit, Petro arcis præfecto ſocero ſuo rem pandit; & quidnam a ſe ſuper ea re agi velit, percontatur. Ille, re prius communicata cum Arnaldo arcis Regiæ præfecto, hortatur, uti, quam maxime poſſit, ſimulet rem ſibi cordi eſſe, ſimul, quidnam a ſe agi velit, edocet. Ille, cognita ſoceri voluntate, reverſo ad ſe poſtero die Sacerdoti operam ac ſtudium ſuum impenſius pollicetur. Atque ut ei fidem haberet, petit, uti duos nobiles Gallos rei ordiendæ gratia ad Petrum ſuum ſocerum per redimendorum captivorum ſpeciem Renatus mittat, quibuscum, captata occaſione, poſthac colloqui de ea re poſſit; ſic rem tutius multo, & tectius agi poſſe. Quæ cum Sacerdos Renato retuliſſet, duobus Gallis id negotii datum, iique ad arcem, accepta fide, profecti, cum Petro, ut illis mandatum fuerat, de redimendis captivis agere cœperunt. Seorſum vero, opportunitate data, cum Jacobo de arcis proditione colloquuti ſunt, ingentibus eum promiſſis, ſi rem ad exitum perduceret, onerantes. Reverſique ad Renatum, quid cum eo egerint, referunt. Quod ubi accepit, lætus eoſdem poſtridie ad arcem reverti imperat, ut, qua nocte, quoque tempore ad arcem ſuos proficiſci velit, conſtituant: venturum & ipſum, quo facilius res agatur. Profecti rurſum Galli, poſtquam cum Petro de captivorum pretio denuo loquuti ſunt, data iis de induſtria colloquendi occaſione, de tempore, atque ordine occupandæ arcis conſtituerunt. Quibus compoſitis, ad Renatum regreſſi, quæ egiſſent, docuere. His cognitis, Petrus Arnaldi conſilio, atque hortatu per fidum nuntium Alphonſo rem ſignificat, ut cum exercitu, ſi ita ei videretur, propius accederet. Cæterum Alphonſus, quod deſperabat, propter viæ longinquitatem, ſe in tempore adeſſe poſſe, uti, quemadmodum iis videretur, agerent, permiſit, dummodo caverent, ne quid per dolum detrimenti caperetur. Quod poſtquam iis renuntiatum eſt, rem exequi liberius parant: quoque minori diſcrimine res effici poſſet, Arnaldus ante conſtitutam diem ad quadraginta lectos ex omni præſidio arcis Regiæ viros per biremem ad Petrum miſit: qui per diem, inſpectantibus hoſtibus, in longius abeuntium ſpeciem, in mare provecti, nocte ad arcem reverſi, biremi ſub fornice

Digitized by Google

nice abdita, arcem intravere. Postero die Renatus ad constitutam noctu horam cum suorum plerisque sub arcem venit: eosque Gallos, per quos de proditione arcis egerat, tribus additis, qui primi omnium ingrederentur, cum duobus tubicinibus præmittit: convenerat autem cum Jacobo, uti tubicines duo cum Gallis quinque primo introducerentur; iique, postquam vidissent arcem in Gallorum potestate esse, tuba canerent. Jacobus in statione sua paratus adstabat, Petro socero cum omni præsidio interius abdito, ad quem profecti Galli, per portulam admissi sunt. Cæterum singuli, ut primum in arcem evadebant, a præsidiariis militibus comprehensi, in vincula conjiciebantur: sequuti tubicines, iique correpti, tuba signum dare coacti sunt. Quod ubi auditum est, confestim reliqua multitudo, rata arcem a suis occupatam, cum temere ad muros cucurrisset, lapidibus, & omni missilium genere, compluribus graviter vulneratis, repulsa est. Saluti plerisque fuit, quod ad primum lapidum dejectum arcis muros quam proxime subierunt; qui, primo jactu declinato, sese mox ad suos illæsi recepere. Quæ ubi Renatus animadvertit, cognito dolo, cum suis in urbem rediit.

Paucis diebus interjectis, ut sæpe contingit, ex levi causa ingens detrimentum acceptum est. Nam dum Nicolaus Fregosus, quem Genuenses cum onerariis quatuor Renato petenti miserant, ut frumentum Neapolim veheret, forte adhuc in portu esset, mox Brutios petiturus, quidam ex arce regia magni ponderis saxum in ejus navim tormento æneo contorsit; quo ictu, magno cum fragore malo, & magna puppis parte perfracta, rursum saxum in cubiculum, ubi forte pecuniam numerabat, cum ingenti terrore, ac trepidatione circumstantium incidisset, ira succensus, non abiturum se inde juravit, priusquam quinquagies sata in eam arcem balista conjecisset. Simul, his dictis, impetrata a Renato venia, balistam, quæ ad ædem Divi Nicolai pro arce stabat, componit, saxisque immanibus muros arcis pulsare cœpit. Elidebantur pluribus locis arcis tecta, nec minus introrsus omnia infesta erant. Plures enim & per graves lapides uno jactu emissi, quoniam inciderent, incertum faciebant: nec locus ullus, præter imos fornices, in tota arce tutus videbatur. Quod cum Arnaldus arcis præfectus animadverteret, Petrum arcis maritimæ præfectum oratum mittit, uti quinque illos Gallos, quos noctu arcem ingressos interceperat, ad se mittat: si forte, iis balistæ objectis, hostium furor compesci posset: quos haud cunctanter

ſtanter ad ſe perductos, cum baliſtæ ictibus oppoſuiſſet, Zampanias Renati dux, natione Gallus, indignatus ſuæ gentis homines tam fœde interfici, quid agimus, Nicolae, inquit? Cur noſtros perditum imus? Aut cur non potius cogitamus, quonammodo hoſtes honeſte ulciſci poſſimus? Oppugnetur turris Divi Vincentii, qua capta, arcem regiam frumento, atque omni commeatu intercluſam, brevi tempore in Renati poteſtatem redigemus. Cumque id ſe libens facturum Nicolaus reſpondiſſet, ſi ſe ſequi cum copiis vellet, non renuit conditionem Zampanias, eamque rem ad Renatum detulit. Renatus ea re lætus, æſtimatis eorum navibus, qui eas temere periculo exponere recuſabant, iiſque idonea cautione præſtita, quæ neceſſaria ad ipſius turris oppugnationem videbantur, parari quamprimum juſſit. Qua re cognita, Arnaldus, cujus cuſtodiæ ea quoque arx demandata ab Alphonſo fuerat, milites viginti, florem prælidii arcis Regiæ, in turrim ſubito traducit: iiſque omnibus (namque ad triginta erant) Martinum, ac Bernardum fratres præpoſuit: quibus longa oratione confirmatis, magnaque vi lapidum, ac miſſilium importata, cæteriſque omnibus proviſis, quæ a ſe tam exiguo temporis ſpatio provideri potuerunt, in arcem Regiam rediit. Arx Divi Vincentii undique mari abluitur ab ea parte, quæ ad mare vergit, murum latiſſimum ad elidendos fluctus habet, a terra nullo munimento clauditur. In extrema parte, qua propior eſt arci Regiæ, turris ſita erat, ab interiore parte muro cincta, paulo ſupra hominis magnitudinem: cæterum ipſa adeo humilis, ut ejus muri faſtigium majorum navium proræ æquarent. Ad hanc oppugnandam poſtridie Nicolaus, & Zampanias cum navibus, & lembis compluribus venere. Milites, Zampania duce, lembis invecti, ſine certamine in extremam molis partem deſcenderunt, atque hoſtes laceſſere cœperunt. Poſt ipſæ naves contra ictus tormentorum, & machinarum munitæ, uno agmine ad ipſam turrim contendere: e quibus una inter turrim, & arcem Regiam ſe injecit, ut a multis ſimul partibus laceſſiti hoſtes, facilius expugnarentur. Primoque appulſu, quæ magnitudine cæteris præſtabat, ad turrim adacta prora, pinnam, quæ adverſus majorum navium vim tecto ædificata fuerat, lignis aridis, pice circumlitis, tigno, qui in prora præfertur, circumpoſitis, primo impetu accendit: nec extingui incendium potuit, tanta ſimul ex omnibus navibus telorum, ac lapidum vis ingerebatur. Zampanias vero pedites in plures acies diviſerat, iique

per

Digitized by Google

per vices magno cum impetu, & alacritate exteriorem turris circulum ſubibant, piliſque, & manubaliſtis propugnantes ſubmovebant. At qui oppugnabantur, quamquam cremata turris pinna, magno erant munimento nudati, fortiter tamen reſiſtebant, multoſque audacius ſubeuntes vulnerabant. Cæterum una res eos aliquanto ſegniores faciebat, quod tormentis, ob inopiam pulveris, cujus vi id genus machinæ ſaxa jacit, ad vim propulſandam uti nequibant: nec ex arce Regia ob eandem cauſam adjuvari quicquam poterant. Namque Arnaldus, quantum ab obſidione urbis ſuperfuerat pulveris, duobus modo ictibus conſumſerat: ſiquidem dum Alphonſus ad Neapolim caſtra habuit, totum pene quicquid ad uſum tormentorum conſumtum eſt, ex ipſa arce Regia depromſerat. Hujuſcemodi caſus per id temporis ſecutus, Itaque hoc gravior oppugnatio iis erat.

Sed quoniam tormentorum, & pulveris, quo lapis emittitur, mentionem feci, non erit abs re de iis rebus pauca dicere, poſterorum gratia. Nam qui de re militari ſcripſere, de hujuſmodi machinamento nihil literis mandaverunt: ex quo opinio apud omnes excrebruit, antiquos hoc tormenti genere haud uſos eſſe. Tormentorum alia ex ære fiunt, alia ex ferro. Sed quæ ex ære, meliora ac præſtantiora habentur: conficitur autem ex duabus fiſtulis, quarum anterior latior, atque amplior multo eſt, eæque longitudine prope pares. Conflantur autem aliæ ſimul, aliæ ſeparatim: ſed quæ ſeorſum, poſtea compactæ, latiori anguſtæ inſeruntur ita, ne quid prorſus inde ſpiritus, ubi committuntur, emanet. Deinde trunco quercus cavato (quem cippum appellant), ut altius, ac longius lapidem jaciat, tormentum includitur. Hæc tormenti forma, atque uſus. Vis autem, qua tanto impetu ſaxum emittit, e pulvere impoſito proficiſcitur, qui e ſulphure, nitro, & ſaligno carbone conficitur; ejuſque inſtrumenti ratio ducta videtur a fulmine; quod ex humore, atque igne, rebus natura contrariis, generari a Phyſicis putatur. Is vero pulvis in anguſtiori fiſtula infuſus, vecte ferreo ad id facto condenſatur; quæ, ubi ampliori fiſtulæ committitur, ſaligno cuneo obturatur. Poſt hæc ſaxum rotundum, ad amplioris fiſtulæ latitudinem exciſum, in ea imponitur. Demum per foramen fabrefactum in anguſtiore fiſtula pulvis incenditur; atque ita violento igni interius colluctante, atque exitum quærente, in morem fulminis ſaxa contorquet. Nec eſt inventum ullum tormenti genus, quod vehementiori impetu, aut longius lapides jaciat: hoc ſolidiſſima mœnia, hoc amplas turres

Digitized by Google

ſolo æquat : hoc ad duo millia paſſuum , aut eo amplius , ſaxa projicit . Sed omnia jactu vicit unum illud Alphonſi , quod Generale appellabant . Nam ab inſula , quæ eſt contra Maſſiliam ſita , in ipſam urbem ingentia ſaxa jaciebat . Eſt item aliud hujus generis tormentum , quod vulgo Colubrinam (quia tenue ſit , & oblongulum) appellant , longe pernicioſius ſuperiore , quod ejus telum emiſſum oculis hominum non pateat : prius enim hominem extinguit , quam , quem feriat , ſcire poſſit. Ejus fiſtulæ perſimiles ſunt , aliæ minores . Inſeritur tormentum aſſeri pedum trium , eoque , tanquam manubaliſta , milites in prælis utuntur . Nullum armaturæ genus huic poteſt reſiſtere , ſiquidem armatum equitem , quamvis gravi armatura , trajicit ; execrabile profecto tormenti genus . Ejus tela e plumbo conflantur , nucis avellanæ craſſitudine . Sunt etiam hujuſmodi tormenta , quæ uno jactu quinque , & quæ plures lapides jaciant . Sed de tormentis hæc ſatis : nunc ad propoſitum redeo .

Oppugnabatur turris undique cominus , atque eminus ſimul e navibus , ſimul e ſolo inſulæ : nec præ ſagittarum multitudine quiſquam extra munimenta prodire , aut apparere poterat , quin continuo in ea corporis parte , quam nudaſſet , vulnus acciperet . Nec tamen quiſquam (tanta inerat animis virtus) locum , in quo conſtiterat , deſerebat : murumque ſubeuntes lapidibus , & pilis ſummovebant , complureſque vulnerabant . Procedente vero longius prælio , cum jam eorum nemo eſſet ſine vulnere , & ob id aliquanto remiſſius pugnare viderentur , hoc Zampanias majori nixu invadi jubet : afferibuſque ſolidis muro applicitis , ſub quibus conſiſtentes milites a ſuperno lapidum jactu protecti , dimicabant , magna ex parte vectibus ſubruit . Quo caſu territus Martinus , & qui cum eo erant , deſtituta ſtatione , ſe in turrim receperunt ; dumque per ſcalas ad portulam contendunt , nudatis ad vulnera corporibus , plures ex iis ſauciati ſunt : in quibus ipſe Martinus duobus vulneribus , altero in dextero femore , altero in cervice accepto . Nec tamen eorum quiſquam remiſit arma , uno excepto , qui , crure perfracto , ſtare non poterat . Sed omnes continuo , obligatis vulneribus , ne hoſtes turrim conſcenderent , ſummis viribus certabant . Maxime vero contendebant , ne quis ad portulam ſuccederet . Quove ſpem omnem ſalutis in una virtute poſitam ſcirent , claves in mare projectæ ſunt . Quæ quidem res , pugnandi neceſſitudine injecta , eos nonnihil fortiores ad reſiſtendum effecit . Hoſtes exteriori turris circulo potiti , atque ipſo

ſucceſſu

ſucceſſu acriores facti, tignis identidem muro turris admotis, pontulam incenderunt: turrimque ingreſſi, arma poni coegerunt. Pugnatum eſt ad horam circiter ſeptimam continenter, atque acriter. Poſt pugnam ob virtutem victis parſum, iique in urbem perducti, & curari juſſi. Ex hoſtibus nonnulli deſiderati, plures vulnerati ſunt. Poſt hæc victores læti, valido præſidio turre firmata, ac pro tempore refecta, abierunt. Haud multo poſt captivus quidam homo infimæ ſortis ex arce Regia per funem dilapſus, atque ad Renatum profectus, docuit, perpaucorum dierum frumentum in arce ſupereſſe: ſeque id certo ſcire e quibuſdam de præſidio ſociis, inter quos de ea re ſermonem conferri audiſſet: breviqne præſidium, ſi arx obſideretur, fame ad deditionem compelli poſſe. Ejus oratione motus Renatus, cum in expugnatione turris Divi Vincentii cognoviſſet tormentis æneis pulverem in arce defeciſſe, ipſam arcem obſidere quamprimum ſtatuit, priuſquam Tarentinus Regulus, cæterique, qui ad Alphonſum proficiſci ferebantur, adventarent. Militibus, & navalibus ſociis convocatis, magna ex Averſa, & aliunde accita manu, extra lapidis jactum ad arcem caſtra poſuit: eaque, occupatis Petri Apoſtoli, ac Mariæ Coronatæ ædibus, quæ arcem claudebant, ne aut impetus a tergo, ſi eo Alphonſus accederet, aut ab obſeſſis eruptio fieri poſſet, duplici foſſa, ac vallo communivit. A mari autem onerarias quinque, ac triremem unam majorem, æquo intervallo diſtinctas, inter arcem Divi Vincentii, ac molem urbis in anchoris ſtatuit tormentis, atque omni genere telorum inſtructas. Ac ne qua omnino ullius generis navis cum frumento, aut milite per portus fauces, quæ ſunt inter turrim Divi Vincentii, ac molem alteram, quam Provincialium vocant, penetrare ad arcem poſſet, repletos ſaxis lembos, quibus omnis ſepiretur ingreſſus, in imo fundo deſtituit: hoc maxime modo arx Regia omni tormentorum genere terra, marique obſideri cœpta, nullo ſpatio obſeſſis ad quietem dato. Arnaldus arcis præfectus, Alphonſo quamprimum ea de re certiore facto, diſpoſitis per muros militibus, in omnia intentus erat, ne quid hoſtes aut vi, aut dolo in arcem molirentur. Alphonſus, ubi agnovit, Divi Vincentii turre amiſſa, arcem Regiam obſideri cœptam, copias undique confeſtim accerſit: nec quicquam magis adventum ejus retardavit, quam Joannis Antonii Urſini cunctatio, quem cum equitatu expectabat. Quoad ſe, profecto in caſtra vetera pervenit eo conſilio, ut circumſeſſæ jam arci quamprimum

primum auxiliaretur. Sed cum inde moturus esset, fortuna aliam moræ causam injecit. Namque Marcus Persicus, homo obscuro genere ortus, simulato transfugio, ad eum profectus, se amici cujusdam opera in ejus potestatem traditurum Mariæ Carmelitanæ templum, quod aditum in urbem aperiebat, est pollicitus. Idque multis propugnaculis in arcis modum emunitum, magna tormentorum vi imposita, ingenti cura ab hostibus custodiebatur. Cumque id tempus expectari oportere diceret, quo Luna minime pernox esset, neu templum subeuntes procul proderet, in plures dies dolo industria rem traxit, vanisque ad extremum promissis Regem elusit. Interea Renatus, quæ inchoata erant, operibus absolutis, omnem a terra aditum obsessis clausit, arcemque circumvallavit. Simul ut a mari quoque omnis auxilii spes iis præcideretur, e solidis trabibus, inter se colligatis, catenam effecit, qua Divi Vincentii turrem, ac molem junxit; ac post eam onerarias dispositi. At Alphonsus, intellecta Persici fraude, propere inde movit; ac monte, in quo arx montana sita est, circummunito, inter ipsam arcem, & hostium castra cum exercitu consedit. Atque ita contigit, ut utrique & obsiderent pariter, & obsiderentur. Cæterum longe dispar utrorumque conditio erat. Namque Renati copiis tutus, ac liber in urbem accessus erat, & ex urbe absque periculo commeatus inferebantur, castraque violari munimenta interjecta prohibebant. Pugnabatur quotidie; non tamen ut in universam prælii fortunam deveniretur. Sed nihil erat infensius Alphonsi castris, quam tormentorum ictus, quæ eo partim e castris, partim ex montana arce die, noctuque saxa jactabant, multosque palatos perimebant. Perstabat tamen Alphonsus, si qua perrumpere hostium munitiones posset, circumspiciens.

Cum hic esset rerum status, hostes rati tormentum æneum, quod sub imam arcem positum erat, avelli posse, arcem repente subire cœperunt, dispositis in mole, qui illud comprehensum pertraherent. Quod cum Arnaldus animadverteret, tantam contumeliam minime ferendam ratus, ad centum homines manu promtos ex omni præsidio deligit: eosque per portulam occultam, quæ ad eam partem spectabat, magna vi lapidum superne prius dejecta, celeriter emittit, iique tanto impetu in hostes invecti sunt, ut non modo eos ab arce repulerint, verum etiam in molem transgressi, funem, quo tormentum alligatum erat, gladiis defectum in arcem reportaverint. Ad hæc tres hostium

Digitized by Google

ſtiunt naves ex iis quinque, quas dixi, e ſtationibus digreſſæ, trans molem conceſſerant. Quod cum Petrus arcis maritimæ præfectus animadverteret, occaſionem, ut ſibi videbatur, opportunam nactus, lembum cum triginta hominibus celeriter ex arce emittit: qui, ut ab Alphonſo juſſus fuerat, arcem Regiam peteret: iſque, concitato remorum pulſu, inter duas naves, quæ reliquæ erant, ſumma celeritate evectus, ad arcem, nullo obſiſtente, contendit: cujus audaciam admirati hoſtes, qui circa arcem in ſtationibus erant, correptis armis, repente obviam eunt, atque in arcem ſcandere conantibus obſiſtunt. Difficilis admodum erat aſcenſus; namque & ad portulam contendere, & cum hoſte pugnare uno tempore neceſſe erat: ii tamen deſuper a ſuis adjuti, uno dumtaxat excepto, ſeſe incolumes in arcem recepe-runt, & his quoque, licet graviter ſaucius, ad multam diem magno certamine receptus in arcem eſt. Qua re cognita Renatus, ad conſtitutum locum naves confeſtim reverti juſſit, ac, ne quis omnino lembus ad arcem penetraret, accuratius obſervare. Quæ cum in ordinem rediſſent, juſſit Alphonſus tormentum, quod ad mare ſub caſtris poſuerat, in eam, quæ propinquior erat, dirigi, ejuſque ictu malum effregit. Quo viſo, tanta conſternatio & ſtupor Renatum, & eos, qui circumſtabant, cepit, ut, ſi tum Alphonſus caſtra hoſtium adortus eſſet, in maximum diſcrimen eos fuiſſet adducturus. Poſt hæc Arnaldus ratus ſe poſſe catenam, quam dixi, perfringere, præſertim cum hoſtes nihil minus, quam tale aliquid metuerent, ad Alphonſum miſit nantem ſub aquis hominem cum literis cera circumlitis, quibus ei conſilium ſuum de catenæ ſectione ſignificabat. Quod poſtquam ab eo approbari cognovit, lintrem, quam ad eum uſum milites intra arcem cavaverant, extemplo emittit, & in eam duobus præſtrenuis viris impoſitis, quid eos facere velit, edocet: iique ante catenam ferreo harpagone devinxerunt, quam ab hoſtibus conſpecti ſint. Qui, cum eam ſub aquis trahi procul intuerentur, miraculo quidem res fuit; nec prius fraudem cognoverunt, quam funem pertendi ad arcem videre. Quod ubi conſpexerunt, certatim in ſcaphas deſilientes ad excidendum vinculum cum dolabris, & ſecuribus contendere; partimque retinacula cædere, partim, funibus injectis, catenam retrahere ad ſe conabantur: cumque utrique ex arce ſimul, & e ſcaphis ſummo certamine ad ſe traherent, catenæ ipſius, ſoluta compage, (neque enim harpagones reſcindi potuerant) bona pars ejus, iis duobus incolumibus,

in

Digitized by Google

in arcem pertracta eſt : nec poſt eum diem hoſtibus reficiendæ catenæ poteſtas , aut animus fuit. Verum tamen ea res obſeſſos nihil levavit : quin etiam ob eam ipſam cauſam omnes aditus terra, marique majore cura cuſtoditi ſunt. Gravis erat omni ex parte obſidio. Hinc arci circumfuſus hoſtis premebat , illinc naves mare claudebant. Tormentorum æneorum ob inopiam pulveris nullus uſus erat. Ad hæc tela , & miſſilia jam deerant ; lapidum modo copia , ac baliſtæ , qua caſtra hoſtium infeſta faciebant. Sed gravior , duriorque his omnibus erat famis impendentis metus , ſublata commeatuum ſpe , quod perpaucorum dierum frumentum ſupererat. In tantis tamen malis Arnaldus , ut forti animo obſidionem ferrent , hortabatur ; aliquam haud dubie viam inventurum Regem , qua eos tanto periculo liberaret ; quoque plus laboris & diſcriminis paterentur , hoc ſe plus laudis , & gloriæ apud Regem adepturos eſſe. Rurſusque ad Alphonſum eundem hominem mittit , quem paulo ante dixi , ſub aqua nantem ad illum profectum , qui eum de frumenti penuria , & cæteris incommodis doceat. Quo nuntio permotus , ut par erat , ſpe celeris auxilii , & annonæ facta , quo labantes ſuorum *animos* confirmaret , eundem mox remittit : ſed neque aperta *via* , neque dolo poterat jam obſeſſis opem ferre. Nam neque frumenti quicquam ex arce maritima , quo frumentum ex Cajeta convehi triremibus curaverat , clam vel propalam ad arcem ſummitti poterat ; nec hoſtium munimenta caſtris objecta penetrari. Itaque omnes ejus cogitationes , & conſilia de auxilio præbendo fruſtra erant. Poſtquam ad extrema ventum eſt , ſociis , deſperato auxilio , ſaluti conſulendum clamitantibus , Arnaldus eundem hominem tertio ad Alphonſum mittit , qui ſignificet ob rei frumentariæ inopiam obſidionem diutius ferri non poſſe. Qua re cognita , Alphonſus ad eum reſcribit , ut , quoad fieri poſſit , ſine ejus , ſociorumque pernicie arcem tueri pergat ; id cum minus poſſit , ſaluti ſuæ , præſidiique proſpiciat ; ſibi fraudi non fore , quam conditionem ab hoſte acceperit. Simul quod nec *hoſtes in* univerſum certamen illici poſſe expertus fuerat , fruſtra ibi diutius tempus teri , inanis operæ eſſe intuens , remenſo , per quem venerat , monte , ad Caſtrum Maris , eo videlicet conſilio , ut inde Salernum peteret , abiit. Cumque eo perveniſſet , mutato repente conſilio , ne quid omnino intentatum relinqueret , antequam arx in hoſtis poteſtatem deveniret , cum duabus triremibus ad arcem maritimam noctu regreſſus , procul a Neapoli ſublatis velis navi-

Digitized by Google

navigans, experiri ſtatuit, an poſſet inter hoſtium naves, ſi forte ejus diſceſſu aditus indiligentius cuſtodiretur, commeatus quicquam in arcem inferre. Cæterum & id fruſtra fuit. Namque hoſtes, cognito triremium adventu ad arcem maritimam, longe accuratius ad cuſtodiam intendere. Itaque, ibi relictis Guliel-mo Moncata, ac Raimundo Buillo, præſtantibus viris, iiſque tradita poteſtate de arcis deditione cum Renato agendi, ad Caſtrum maris reverſus, compoſitoque agmine Salernum profectus, non longe ab oppido caſtra poſuit.

Forte per id temporis Carolus Gallorum Rex legatos Neapolim miſerat componendæ diſcordiæ gratia, quæ inter Alphonſum, & Renatum erat; is enim Renato non amicitia modo, verum & conſanguinitate junctus, eum e Regno pelli ægre ferebat: ſed Alphonſi inimicitias ſuſcipere, præſertim cum bello Britannico adhuc implicitus foret, non audebat. Itaque, arbitris de ea re datis, his legibus convenit. Petebat autem Renatus in annum inducias. Itaque deditionis conditiones ſic dictæ. Si Alphonſus inducias in annum petenti Renato, intra certam diem, dederit, arx Alphonſi eſto. Sin eas dare recuſaverit, arcem liberam in Renati poteſtatem Alphonſus concedito. Interim arx ipſa in Galli Regis poteſtate eſto: ejuſdem arcis poſſeſſionem, ipſius Regis legatis præſentibus, Renatus finito. Præſidium omne Alphonſus inde emittito: ipſumque præſidium cum rebus privatis ſine fraude abire, quo velint, Renatus permittito. His compoſitis Arnaldus, tradita arce Gulielmo ac Raimundo, quos ſupra nominavi, ipſe cum omni præſidio, atque militum rebus in arcem maritimam, atque inde ad Alphonſum abiit. Gulielmus, ac Raimundus, traditis clavibus Galli Regis legatis, iiſque poteſtate arcis facta, ſe inde ad Alphonſum contulere. A quibus de conditione deditæ arcis edoctus Rex, negavit ſe cum Renato inducias velle facere, præſertim annuas, ſatius eſſe arbitratus arcem amittere, quam pati, ut ille jam prope belli ſumtibus exhauſtus, reſpiraret. Poſſe enim interea, novis amicitiis, & ſocietatibus comparatis, eas vires contrahere, quibus ipſe poſtea obſiſtere non poſſet. Itaque arcem liberam in Renati poteſtatem tradi permiſit. Dum hæc agebantur, Alphonſus, Salernum ducto exercitu, ipſam urbem, præter arcem, cepit: caſtelloque e regione excitato, quoniam vi capi poſſe non videbatur, Capatium petiit; idque paucis diebus, præda militi conceſſa, expugnavit. Poſt id Pucinum profectus, Georgii Alemani, cujus

Digitized by Google

cujus id oppidum erat, uxorem, filio obſide accepto, ad deditionem brevi compulit. Eo rerum ſucceſſu conterriti Lucaniæ Reguli omnes, ſeſe in Alphonſi fidem abſque certamine dederunt. Namque eo tempore Renatus illi equitatu par non erat: magna item Brutiorum pars metu perculſa, ultro deditionem fecit. His rebus geſtis, in Campaniam copias reducit, veritus, ne quæ novæ copiæ e Pelignis, Marſiſque ad Renatum accederent. Cumque accepiſſet in itinere Jacobum Caudolam cum copiis proficiſci ad oppidum, quod Sanctam Agatham appellant, atque inde Ducentam (id ei caſtello eſt nomen), qua tranſiturum Jacobum audierat, contendit, ne ille prius cis Vulturnum amnem copias traduceret. Vix eo pervenerat, cum Jacobus præſto adfuit, caſtraque e regione in adverſa ripa poſuit, iiſque in ſpeciem ibi diutius manſuri exercitus communitis, ſecundo flumine magnam ſuorum partem nocu ad quatuor millia paſſuum a caſtris miſit; qui, funibus ad utramque ripam deligatis, aſſeribuſque injectis, pontem extemplo fabricarentur, ut, eo traductis copiis, loca ad hoſtium impetum reprimendum opportuna occuparent. Qua re Alphonſus per ſpeculatores cognita, equitatus partem celeriter ad eum locum citra flumen mittit: iique trecentos pedites, qui jam tranſierant, nacti, in fugam conjiciunt, atque uſque Moroium, quod caſtellum iis proximum erat, inſequuntur: reliquos tranſgredi conantes, disjecto ponte, tranſitu prohibuerunt. Quod ubi Jacobus agnovit, paulo poſt Beneventum abiit, eo conſilio, ut, ſi poſſet ea, deceptis ſaltuum cuſtodibus, Neapolim trajiceret. Cujus itinere comperto Alphonſus, motis propere ab Ducenta caſtris, in Caudinam vallem celeriter advolat, ſaltumque, qua in vallem eſt aditus, occupat. Quo cognito Jacobus, ſive ut inde Regem averteret, ſive ne nihil rei gerere videretur, ad collem, quod caſtellum Jacobi Lagoniſſæ erat, copias ducit, caſtriſque poſitis, oppugnare cœpit, idque, non parva muri parte diruta, expugnaturus videbatur; cum repente catharri profluvio correptus, in magno militum ſuorum luctu defecit. Fuit hic certe præſtanti vir ingenio, a literarum ſtudiis haud abhorrens, & in primis rei militaris peritus. Is enim ſub Bracio ſtipendia fecerat, atque iis artibus natura præditus, quæ ad conciliandos militum animos valent; ſiquidem facundus, & prudens exiſtimatus, etſi conſtantia uſus eſſet, inter illuſtres ſui temporis Duces numerandus. Ejus deceſſu, ſoluta obſidione, Antonius ejus filius, qui tum in magna apud paternos milites gratia erat, Ducibus copiarum convocatis,

Digitized by Google

vocatis, ut in fide permanerent, seque Ducem sequi vellent, exhortatus, cum annuissent, elato patre, confestim in Pelignos abiit, veritus ne quid ii populi, audita patris morte, innovarent, præsertim cum sciret Alphonso copias paratas esse. At Alphonsus, Jacobi obitu, gravi adversario sublato, summam in spem victoriæ adductus, postquam Antonium cum copiis abiisse in Pelignos agnovit, copias in hyberna, quod brumæ tempus instabat, Capuam reduxit. Non multo post Acerranus quidam ad eum venit, pollicitusque est, se, quorundam popularium suorum opera, Acerras in ejus potestatem traditurum, si quamprimum exercitum mitteret. Sed cum neque sibi, neque cæteris idoneum tempus rei aggrediendæ videretur, ob dimissas jam in hyberna copias, in aliud tempus commodius rem ipsam deferri jusserat. Cumque Cajetam profectus esset, nuntius citatissime ab Acerris venit, nuntiavitque Joanni Vintimillio præsidii, atque urbis Præfecto, Acerranos, cum longiorem moram pati non possent, a Renato defecisse, oppidumque in eorum potestate esse. Oportere igitur absque cunctatione, ne a Renato opprimerentur, auxilium mitti. Quod ubi accepit, misso confestim ad Alphonsum ea de re nuntio, ad fidem suam pertinere ratus Acerranos, de Rege optime meritos, in tanto discrimine non deserere, neque pati, ut tam opportunum ad obsidionem Neapolitanæ urbis oppidum e manu laberetur, absque mora succurrendum censuit. Itaque inermis, ut erat, e vestigio cum admodum paucis, qui tum circa illum aderant, cæteris sequi jussis, Acerras contendit; ingressusque oppidum, obsidere arcem aggreditur: in primis, ne quid auxilii ab exteriore oppidi parte hostes obsessis afferre possent, fossam, ac vallum ad teli jactum, crebris turribus interjectis, perduxit; ibique copiarum partem collocat: tormentis deinde adhibitis arcem ipsam acrius oppugnare incipit. Renato per id tempo-ris, copiæ non erant, quæ subvenire obsessis possent: itaque nec subsidii, nec commeatus quicquam accipere poterant. Namque, Antonio Caudola absente, in cujus equitatu Renati spes sita erat, in Pelignos profecto, Renatus, quas copias mitteret, non habebat. Tracta vera in aliquot dies obsidione, tormentis quotidie percussa turris, magna ex parte corruerat, ingentemque metum obsessis inferebat: cui tamen malo suffectis interius munimentis, ut poterant, occurrebant. Alphonsus, confectis Cajetæ, quas voluerat, rebus, confestim Capuam reversus est; cognitoque rerum Acerranarum statu, eo cum copiis reliquis se contulit. Ejus

vero profectio majorem aliquanto desperationem obsessis attulit. Ut vero præter quotidianam oppugnationem, & muri stragem, etiam fames urgere cœpit, cum nullum ad se ad eam diem a Renato auxilium venisset, salutem pacti tertio, postquam obsidio cœpta est, mense, deditione facta, arce excesserunt. Receptis Acerris, iisque valido præsidio firmatis, Alphonsus copias ad Aversam ducere statuit, quod eam urbem maxime opportunam ad Neapolim coarctandam, propter propinquitatem, esse intelligebat. Nulla enim ferme alia urbs in agro Campano est ad alendos exercitus aptior; siquidem ager frumenti, pabuli, atque omnis generis frugum maxime ferax est. Ejus vero urbis potiundæ duplex ei spes offerebatur. Una, quod in ea urbe exiguam frumenti copiam supersesse ex Aversanis quibusdam cognoverat. Idque verisimile videbatur propter diutinum bellum. Nam propter quotidianas hostium procursiones oppidani sementem facere suo tempore non potuerant; & quod antea magna annonæ vis Neapolim missa, eam urbem prope exhausserat. Altera spes erat, quod nonnulli cives a Renato abalienati, ejus urbis imperium ad illum deferri cupiebant. Eo igitur profectus, castris bifariam divisis, utraque sub urbem ad mille passus posuit. Ad primum ejus adventum trepidari, ac tumultuari intus cœptum. Nec multo post quidam ex his, quibus præsens rerum status invisus erat, de admittendo ejus præsidio agere cum factionis suæ popularibus cœpit. Cæterum ubi dies perficiendæ rei advenit, vigilum metu, qui urbis mœnia per noctem lustrabant, quod instituerat, exequi non est ausus. Et quamquam ejusmodi motus nonnihil suspicionis apud adversarios concitaverant, tamen magna jam parte civitatis ad Alphonsum inclinante, id ille factum impune tulit; quod ei paratum auxilium ad portas, remque seditioni proximam videbant. Quin & ipsi aliquanto post, cum ab Renato nullum iis auxilium ferretur, premente inopia rei frumentariæ, obsidionem diutius non tulere: emissisque de deditione ad Regem legatis, æquis conditionibus acceptis, duodecimo die deditionem fecerunt. Arx tamen in Renati fide perstitit. Hæc vero, ut cætera urbis pars, plano, & campestri loco sita, cæterum lata, & prealta fossa circumsepta, difficilem habebat oppugnationem. Ad hæc murorum crassitudo tormentorum ictibus haud obnoxia, prælatum interius solum, turresque crebræ ipsam arcem multo munitiorem faciebant. Præterea annonæ, & præsidii affatim in ea erat. Ad centum enim, & quinquaginta milites inerant;

Digitized by Google

inerant ; queis præerat Xantus Matelonenſis rei militaris peritus Antonio Caudolæ , quod is ſub patre meruerat, peramicus. Quibus de rebus, cum obſidenda potius, quam oppugnanda videretur, lenta obſidione id agere inſtituit ; demonſtratiſque operibus, quibus arcem obſideri, & circumvallari volebat, relictoque Joanne Vintimillio , ac Raimundo Buillo , qui iis rebus præeſſent, ipſe Capuam reverſus eſt. Sed Joannes, modicæ latitudinis foſſa ſub arcem perducta, mox Capuam repetens, reliquum opus Raimundo perficiendum reliquit. Qui extemplo, magna agreſtium manu comparata, primum lato aggere extra teli jactum extructo, uti Alphonſus præceperat , foſſam circumducit pedum in latitudinem decem, in altitudinem duodecim, ipſumque aggerem crebris turribus communit. Is vero ab utroque cornu oppidi murum contingebat, modicoque ſpatio interjecto, vallum jacit, foſſamque alteram perducit, pedum in latitudinem circiter triginta, pari in altitudinem numero, ut ii , qui aggerem tuebantur , ab impetu hoſtium , ſi forte ii obſeſſis auxilium ferre conarentur, tuti eſſent. Et in ipſo quoque vallo frequentes turres excitat , valido præſidio in iis impoſito. Valli extrema cum aggeris cornibus in lunæ ſemiplenæ modum jungebantur. Media valli pars longius ab aggere , atque ab oppido recedebat ; ipſumque aggerem ab interiore parte militi pervium facit , ut abſque militum periculo munimenta circumiri poſſent : atque hæc ipſa munimenta paulo humiliora de induſtria effecit , quo tormentorum ictibus minus paterent. Intra urbem vero adverſus ipſam arcem murum ædificat, quo muro arx ab urbe ſeparabatur , eumque ſtationibus militum complet. His rebus cognitis , Renatus vehementer anxius , rurſus ad Antonium Caudolam , ad quem prius frequentes nuntios miſerat, ſcribit , Averſanam arcem , amiſſo oppido , circumſeſſam eſſe, eamque brevi, niſi is celeriter cum copiis advolet , in hoſtis poteſtatem perventuram. Itaque Antonius, conſtitutis primum domi rebus, in Apuliam contendit. Cumque tranſitum in Campanum agrum, ob paucitatem copiarum , haud ſatis tutum exiſtimaret , ad Renatum ſcribit ſatius ſibi videri , dum majores copias pararet, ſe in Apuliam , clam hoſte , proficiſci : quo facto, alterum e duobus eventurum : ſcilicet, aut Alphonſum obſidionem ſoluturum , ne, quæ in Apulia adeptus erat, amitteret : aut, ſi in obſidione perſiſteret, amiſſa a ſe facile recuperari poſſe. Cum his literis , ac mandatis Raimundum Anichinium in equitatu primos ordines Ducentam mittit ; quove tu-

Digitized by Google

tius iter faciat, jubet hunc primo ad Alphonſum proficiſci; ſeque ob eam cauſam mitti fingere ut tentet, an poſſit, ſua opera inter Alphonſum ac Renatum pax aliqua componi. Iſque quamprimum Antonii mandata exequi cupiens, primo ad Raimundum Buillum, acceptâ fide, profectus, inde ad Alphonſum ſeſe contulit. Quicum poſtquam egit, quæ voluit, confeſtim ad Renatum profectus, quodnam ſit Antonii conſilium, edocet; ſimulque, uti maturet, exhortatur. Cujus conſilio, utpote neceſſario, comprobato (ſiquidem ei in adeundis periculis non deerat animus) paucis comitibus, per occultos tramites ad eum in Apuliam contendit: contractiſque inde majoribus copiis, per Apuliam excurrendo, &, quæ reſiſtebant oppida, ad deditionem cogendo, multos populos, ac Regulos, partim voluntate, partim metu ad ſe retraxit: atque in his agendis complures dies conſumti ſunt. Nec tamen ob hæc Averſanæ arcis obſidio ab Alphonſo omittebatur; quod intelligebat, Averſa capta, nihil ni agro Campano reſtare, unde Neapolitani commeatus quicquam acciperent. Namque ex altera parte ab Averſa, Capua, Sueſſa, Cajeta; ex altera ab Acerris, ac Nola Neapolis clauditur. Poſtquam Renatus animadvertit Alphonſum ab obſidione Averſanæ arcis nullis ſuorum incommodis abſtrahi poſſe, ſtatuit, priuſquam arx amitteretur, aſſentiente tamen haud ſatis Antonio, in Campaniam cum exercitu deſcendere; ſi forte poſſet, oppugnando ea oppida, quæ ſeſe Alphonſo dediderant, arcem obſidione liberare. Nam munimenta aggredi, aut attentare propter eorum magnitudinem, ac firmitatem, nequaquam ſani conſilii eſſe videbatur. Itaque Beneventum rurſus movere cœpit, uti per Caudinam vallem in Averſanum tranſiret. Qua re cognita Alphonſus, relicto, quod ſatis eſſe videbatur ad ipſius arcis obſidionem, ac munimentorum cuſtodiam, præſidio, ipſe cum reliquis copiis in Caudinam vallem celeriter profectus, ejus vallis fauces, quæ in Beneventanum ferunt, quas Tiſaræ pontem incolæ vocant, cum exercitu occupat. Quem ſaltum ubi Renatus ab hoſte, præter opinionem, inſeſſum reperit, in conſpectu hoſtium caſtra ponit; nocteque modo quieti data, poſtquam illuxit dies, eductis in aciem copiis, tranſgredi contendit. Quo viſo Alphonſus, producto & ipſe in aciem exercitu, propius ad fauces ſaltus accedit, totumque equitatus robur hoſti opponit. Pugnatum eſt diu, atque acriter, his locum tueri, illis tranſire omni nixu contendentibus. Denique multis & illatis ſimul & acceptis vulneribus,

cum

Digitized by Google

cum Renatus intueretur a ſe ſaltum ſuperari non poſſe, irrito incœpto, receptui cecinit; motiſque inde caſtris, per montes tranſverſos in Nolanum deſcendit. Quem ut Alphonſus digreſſum agnovit, veritus, ne breviore itinere Averſam præcurreret, quanta maxime celeritate potuit, per ipſam vallem, qua venerat, Averſam rediit. Renatus nihilo ſegnius ab incœpto itinere haud abſiſtebat. Cæterum, diffidente Antonio iis viribus auxilium obſeſſis ferri poſſe, mutato repente conſilio, omni prope ſpe ſervandæ arcis abjecta, Neapolim petiit, ut diverſo itinere Capuæ agros infeſtaret, ſi forte eo conſilio hoſtes ab arcis obſidione amovere poſſet. Quod poſtquam Alphonſo nuntiatum eſt, Averſam, quo iter intenderat, copias reduxit. Poſt hæc Renatus Antonii fidem ſuſpectam habere cœpit, ne cum Alphonſo occulta agitaret conſilia, veritus. Itaque accerſitum ad ſe, ſuadentibus amicis, comprehendi, & in cuſtodiam tradi juſſit. Quod quidem ad poſtremum rebus illius exitio fuit: periculum certe adiit, ne eo ipſo die & urbis poſſeſſione, & omni ſpe Regni privaretur. Caſtra enim ſub urbem poſita erant; ordinumque Principes Ducis captivitate permoti, re cognita, tumultuari, & minis repoſcere Ducem cœpere; qui, ſi ſe Alphonſo junxiſſent, erat is dies haud dubie finis belli futurus. Quæ cum Renatus animadverteret, placandos potius, quam exaſperandos iratorum militum animos arbitratus, Antonium incolumem iis reddidit, pactum ſe cum copiis in Apuliam quamprimum abiturum. Is vero, ut primum dimiſſus eſt, acceptam contumeliam perinîquo animo ferens, caſtris inde ad quatuor millia paſſuum motis, de contrahenda cum Alphonſo amicitia clam agere per fidum nuntium cœpit. Locus in ſilva quadam, haud procul ab Acerris, colloquio utriuſque delectus eſt. Quo cum eſſet profectus, & Alphonſus in tempore (ſimulata venatione) acceſſit. Qui Regem, quique Antonium ſequuti erant, pari ferme intervallo ab utroque diſtabant. Antonius, Rege conſpecto, cum prope ſtupefactus magnitudine gloriæ, rerumque ab eo geſtarum paulum ſiluiſſet, lætari ſe vehementer, inquit, fortunam ita dediſſe, uti ſibi liceret amicitiam ejus, nulla ſua infamia, petere, cujus virtutes eximias jam pridem admiratus eſſet. Renatum poſt multos labores, & pericula a ſe adita, ejus Regni conſervandi, atque amplificandi gratia, quorum ipſe ſibi graviſſimus teſtis eſſet, ſe gravi, atque intolerabili ignominia affeciſſe: at contra ſperare ſe ſuam amicitiam illi & honeſtam, & fructuoſam fore. Quem Alphonſus ampliſſimis

Digitized by Google

pliſſimis verbis collaudatum, uti in ſententia permaneret, multa, ac magna pollicendo, hortatus eſt. Jam vero Averſana arx ad extremam rei frumentariæ inopiam redacta erat. Itaque Antonius, cum cuperet hoc initio contractæ amicitiæ Regem ſibi beneficio devincire, Xantum arcis præfectum, quo amico utebatur, ad ipſius arcis deditionem per literas exhortatus eſt. Ille vero, cum rem eo perductam videret, ob frumenti inopiam, ut obſidionem diutius ferre nullo modo poſſet, ut Antonio gratificaretur, haud multo poſt arcem Alphonſo dedidit: iſque fuit obſidionis initio menſis ſeptimus.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER SEPTIMUS.

ALphonſius, recepta Averſana arce, tantis rerum ſucceſſibus ſublatus, dimiſſis in hyberna copiis, ut de pecunia in ſtipendium militi proſpiceret, Cajetam profectus eſt. Poſthæc Capuam reverſus, ineunte vere, copiis eo convenire juſſis, Puteolos petere decrevit, ſi forte poſſet, terrore illato, oppidanos ad deditionem compellere. Nullum enim hoſtile oppidum in Campania, præter Puteolos, & Turrim, quam Octavii vocant, relictum erat. Itaque ut omne ſubſidium rei frumentariæ, & commeatuum hoſti a terra eriperetur, Puteolos primum ducere inſtituit, cujus quidem rei agendæ commodiſſimum tempus eſſe exiſtimabat, quod hoſtium non erant per id tempus eæ copiæ, quibus poſſent ejus conatibus obviam ire. Itaque eo profectus, caſtra oppido, paululum extra teli jactum, admovet: & quoniam oppugnatio periculoſa, atque irrita propter naturalem ſitum videbatur, deterrendo oppidanos magis, quam oppugnando, tempus terebat. Eſt enim ſitum id oppidum in rupe excelſa, atque undique præcipiti, cujus tres ferme partes ambit. Reliquam partem tum ipſa maris altitudo, tum murus circumductus inexpugnabilem efficit. Unus modo aditus, & is quidem anguſtus, per pontem in oppidum erat: nec abſque claſſe, propter facultatem importandorum mari commeatuum, obſideri poterat, qui cum Genuenſium onerariis eo importari, contemtis hoſtium triremibus,

Digitized by Google

bus, poterant. Cumque aliquot dies moratus, oppidanos a deditionis consiliis abhorrere animadverteret, ut eos populationis metu a pertinacia revocaret, vites, atque arbores, quæ circa oppidum erant, succidit, motisque inde castris, Neapolim transgressus, ad Vesævum montem, haud procul ab oppido Turri, castra ponit; mittitque ad eum, qui id oppidum præfectus obtinebat, Thomam Caraffam, in id operam suam pollicentem, propter necessitudinem, quæ ei cum præfecto erat, quem cum ad deditionem inducere non posset, Alphonsus, vastato jam agro circumjecto, inde abiit: neque enim tormenta, quibus muros quateret, advexerat. Deinde cum accepisset Antonium Caudolam haud sincera fide secum agere, per vallem, quam Vitulanam vocant, in Pelignos proficisci statuit. Quum autem proficiscens in febrim incidisset, ad oppidum, quod Sanctam Agatham appellant, valetudinis curandæ causa substitit; ibique aliquot dies commoratus est. Cæterum ubi convaluit, mutato consilio, Capuam reversus est. Namque hyemis magnitudo cœlum exasperaverat, obrutis nive collibus, per quos illi iter faciundum erat. Inter hæc spe sibi allata Carpenonum oppidum occupari posse, Franciscum Pandonium, ac Palermum Centurionem præmittit, qui scalis aditum noctu in oppidum prætentent, ipse prima luce cum copiis reliquis subsequutus, Vulturnum amnem longe supra Capuam, quo brevius iter faceret, vado trajicit. Cumque in adversa ripa staret, quoad omnes copiæ flumen trajecissent, quidam ex equitibus Rodulphi Perusini copiarum Ducis, ab impetu fluminis rapto equo, cum ob vestitum aquis gravatum, ex equo lapsus, in conspectu ejus periclitaretur, indigna hominis morte permotus, suos primum hortatus est, uti morienti opem ferrent, cumque ejusdem periculi metu nemo accurreret, crudeles, & timidos appellans, continuo subditis equo calcaribus, flumen ingreditur. Quod cum ii, qui aderant, equites intuerentur, nonnulli ob verecundiam sequuti, semianimem ex amni sustulerunt. Isque ad ignem subito delatus, ac refectus, pedibusque suspensus, ut, quam ebiberat, aquam rejectaret, ut primum se collegit, Aragoniam clamitans, primam vocem emisit. Isque postea a Rege perliberaliter est habitus. Profectus ad Carpenoni muros Palermus cum sua cohorte noctu, non sentientibus oppidanis, ingressus, oppido, præter arcem, est potitus. Sed mox cum audisset Antonium adesse, perterritus (nec dum enim apparebant Regis copiæ) sive metu, sive avaritia, ne quæ diripuerat, amitteret,

Digitized by Google

teret, oppidum repente deseruit. Quod ubi Alphonso jam appropinquanti nuntiatum est, divisis in finitima oppida, hybernandi gratia, copiis, ipse Venafrum se contulit. Indignatusque Carpenonum sibi e manu esse ereptum, Palermum ad oppidum, quod Sanctum Germanum nuncupant, arcis Janulæ Præfecto in custodiam misit: quasi annuentibus fatis, ut is in eam arcem custodiendus mitteretur, quam esset aliquando sua virtute servaturus.

Per id ferme temporis Gartias Cabanellus, Hispanus eques, vir, præter rei militaris scientiam, moderatione insignis, quem ad montem Fusculum cum parte equitatus Alphonsus reliquerat, ne quid commeatus ex Beneventano agro ad hostes deferri posset, consilio, atque opera Petri Squacquari Beneventana arce per hunc modum potitus est. Erat ejus arcis Præfectus Petri, quem dixi, vitricus. Isque, quod hunc sibi fidelem matris causa, futurum arbitrabatur, clam per internuntium agere de arce ipsa Regi tradenda cœpit; idque illi magnis præmiis persuasit. Re igitur, dieque constituta, in tempore ad arcem affuere, qui a Gartia mittebantur; iique per summum silentium a Petro per scalas admissi sunt: oppressisque mox vitrico, & custodibus cæteris, arcem occupavere. Quod ubi Gartias, qui haud procul in insidiis aberat, agnovit, repente cum omnibus copiis profectus sub arcem constitit, mox in urbem, nisi deditio fieret, per arcem ipsam irrupturus. Quo casu oppidani consternati, cum nullam jam in armis spem reponerent, absque certamine deditionem fecerunt, præsidiumque intromisere. Alphonsus, rei feliciter conficiendæ spe haud mediocriter aucta, cum copiis Beneventum contendit: finitimisque castellis, oppidisque compluribus debellatis, cum nonnullæ etiam sua voluntate in deditionem venissent, reliquam hyemem in iis locis egit. Ea namque urbs & peropportuna visa est ad belli sedem, siquidem triginta modo millibus a Neapoli distans, agro Campano, & Picentibus imminet. In colle sita, circumquaque despectum habet. Ad hæc flumina duo proxima, ut nulla prope hostium vi oppidani ab aquatione prohiberi possint. His rebus cognitis, Antonius Caudola res secundas Alphonsi pertimescens, quem sibi ob suspectam fidem infensum sciebat, misit ad eum, qui de reconciliatione ageret, filiumque in id fidei pignus, atque obsidem offerret. Alphonsus, simul ut ea sese cura liberaret, simul ut suam clementiam, humanitatemque testaretur, petenti erroris veniam dedit; eoque rursus in gratiam recepto, filium ad se missum Ferdinando filio comitem,

atque

Digitized by Google

atque aſſectatorem datum, in æquo prope honore habere voluit: conſtitueratque adoleſcenti majorem natu filiam uxorem dare, ſi is in propoſito, & fide permanſiſſet. Poſt hæc Alphonſus Capuam regreſſus, ad Calatiam, nullo jam obſiſtente, exercitum ducit: cumque oppidanos aliquot dies obſeſſos ad deditionem cogere non poſſet, Antonium Panormitam, accepta fide, ad eos miſit, qui iis perſuaderet, uti deditionem facerent, ſuamque potius clementiam, quam vim experirentur. Sed cum illi nihilominus in propoſito permanerent, vi agendum ratus, tormento ingenti æneo, per adverſum montem ſummo labore ſubvecto, eos ad deditionem compulit, urbeque præſidio firmata, Beneventum rediit: atque ad Padulam, caſtellum non longe a Benevento ſitum, caſtris poſitis, parvo negotio id ad deditionem compulit: inde ad Apicium ducit, terroreque finitimis late injecto, complura caſtella circumjecta, ad deditionem adacta, in fidem recepit. His rebus geſtis, Urſariam iter intendit, qui locus eſt in Apulia, eo conſilio, ut iis copiis, quas ab Antonio Caudola expectabat, præſidio eſſet, veritus ne Franciſcus Sfortia, qui equitatu multum poterat, ſeſe objiceret, quominus ad ſe proficiſcerentur. Namque Franciſcus, Renato amicus, Arianum, Trojam, Manfredoniam, Nuceriam, atque alia nonnulla oppida in Apulia tenebat, quæ Pater partim armis occupaverat, partim a Joanna Regina acceperat. Is tum in Piceno agens, quam Provinciam armis occupaverat, ad Victorem Rangonum, præſtantem equitem, quem ſummæ rerum ſuarum in Apulia præpoſuerat, partem copiarum, in quibus Cæſarem Martinengum, virum fortem, illum magis quam fortunatum, miſerat, qui & oppida ſua tuerentur, & Renatum, quoad tuto poſſent, adjuvarent. Caſtris ad Urſariam poſitis, Paulus Sangrus, unus e copiarum Ducibus Antonii, vir rei militaris peritiſſimus, cum quingentis equitibus ab Antonio miſſis ad Alphonſum venit. Aberat autem oppidum Troja ab Urſaria haud plus quatuor millibus paſſuum: eo Franciſci copiæ convenerant: deinde Alphonſus magnam equitum manum ſub Trojam mittit, qui hoſtes ad pugnam provocent, quantæque ſint eorum copiæ, cognoſcant. Quod hoſtes procul conſpicati, correptis armis, magno numero obviam eunt. Natura loci hæc erat: clivus eſt in altitudinem paſſuum circiter quingentorum, cæterum leni aſcenſu: ante hunc vaſta camporum planicies jacet, parvis quibuſdam tumulis interjectis; uberrimo ac præpingui ſolo, ſed nudo eodem atque arboribus

infrequenti. In ejus, quem dixi, clivi faſtigio ſita eſt Troja, circaque eam rurſum ſe pandit vaſta altera camporum facies. Ipſa urbs foſſa eſt, & mœnibus munita. Ad ejus, quem dixi, clivi radicem profecti hoſtes, Alphonſi equitatum adorti ſunt, pugnaque inſignis pro numero equitum edita. Neutris aliquandiu pedem referentibus, ad poſtremum, cum diutius reſiſtere non poſſent, in fugam conjecti, ſeſe in urbem recepere. Quo facto, Alphonſus, ſatis cognito, ut ſibi videbatur, quantum viribus hoſtis & virtute poſſet, receptui cani juſſit. Poſt hanc pugnam quatriduo ceſſatum, hoſtibus ſeſe intra muros continentibus. Deinde cum plerique de Alphonſi equitatu Trojam verſus contenderent, ut urbis ſitum ſpecularentur, Cæſar confeſtim, eductis copiis, primum ſub urbe in clivo conſtitit. Quod ubi Alphonſus agnovit, revocatis propere, qui frumentatum ierant, omnem exercitum in acies novem dividit, peditatuque in medium collocato, lævo cornu Joannem Vintimillium præficit: ipſe dextrum regebat. Principio antecurſores, ac levis armaturæ homines, qui ad certamen hoſtes illicerent, præmittit. Erat Victoris, quem ſupra memoravi, conſilium non decertare omnibus copiis, ſed ut in clivo ſtantes, non paterentur hoſtem ad urbem ſuccedere. Cæterum Catus, unus e ductoribus, & alii quidam dimicandi avidi, conſilium immutari coegerunt. Hi enim ſimul Regios propius accedere conſpexere ad anguſtias quaſdam clivo propinquas, illico progreſſi ſunt, ut hos aſcenſu prohiberent. Quibus repulſis, inſtante atque adhortante Rege, clivum tranſcenderunt. Nonnulli hoſtium effuſo curſu in medias Regiorum acies invecti, redeundi, facultate ademta, intercepti ſunt. Cumque Cæſar hoſtes circumveniri poſſe arbitraretur, quod eorum cornua anguſtiora erant, equitatum, quem in lævo cornu ſtatuerat, dextrum Alphonſi cornu, quod eam partem infirmiorem exiſtimabat, circumire, & a latere ferire jubet: ipſe dextrum cornu invadit, & jam ab ea parte, variante fortuna, Regios premere, atque urgere cœperat. Quod poſtquam Alphonſus animadvertit, confeſtim adverſus clivum cum dextra ala, & peditatus robore contendit, eo videlicet conſilio, ut hoſtes ab urbe excluderet: quo facto, & prælium, quod jam ab ea parte profligari cœperat, reſtitutum eſt: & hoſtes, uti Alphonſus cogitaverat, veriti, ne reditu intercluderentur, ſenſim cedendo, terga verterunt. Fugientes confectati Regii, pleriſque captis, ſub urbis mœnia præcipites egere. Hic Franciſcus Severinus vir acer, veritus, ne una

cum

Digitized by Google

cum civibus, qui armati auxilio suis in pugnam exierant, hostes in urbem irrumperent, cum sua cohorte tamdiu hostium impetum sustinuit, dum oppidani sese in oppidum reciperent; quos ubi urbem ingressos vidit, calcaribus equo subditis, non modica latitudinis fossa strenuo saltu transmissa, in oppidum se recepit. Insequenti hostes Alphonso quidam de equitatu hostium infesto telo sub urbem occurrit; quærentique quisnam esset, nam paludamento insigni præter cæteros utebatur, cum Regem se esse respondisset, perspecta Regis siducia adeo conterritus est, ut telo, quo eum petiturus venerat, abjecto, sese ad ejus pedes projecerit, atque ei ultro dediderit. Multi hostium, quod, clausis portis, non recipiebantur, metu instantium tergo Regiorum, non prius finem fugiendi fecere, quam Nuceriam pervenerunt. Sunt etiam, qui miraculi loco referant, strenuum quendam equitem (nomen obscurum est) cum hostem in oppidum fugientem insequeretur, per patentem urbis portam concitato equo invectum, per adversam portam stupentibus cunctis incolumem evasisse. Ad duas horas acerrime decertatum est. Post hæc Alphonsus, signo receptui dato, Ursariam in castra copias reduxit: exinde Vicarum movit: octo millia passuum is locus abest a Troja: primoque impetu, vallo ereto, fossam transgressi milites, alii muros missilibus oppugnare, alii scalas applicare aggressi. Oppidani quamquam repentino Regis adventu perculsi, nihilo tamen segnius armati, subito in muris apparuere, ac transilire conantes lapidibus repellebant. Cum autem Regii acrius instarent, nec a muro repelli possent, complura apum alvearia, quæ forte paulo ante ex agris metu hostium intra castellum congesserant, in muros arrepta, in hostes devoluerunt. Quorum ingere irritatæ apes cum circumvolarent, non solum os, atque oculos oppugnantium incessebant, verum etiam sese armis, & interioribus tunicis inferentes, hos majore quadam molestia, & malo afficiebant. Perturbatis rei novitate, qui ab ea parte rem gerebant, militibus, eorumque plerisque retro cedentibus, Ludovicus Podius (quem vulgo Putium appellabant) majore, quam pro corporis statura, animo, ac viribus, unus e Regiis purpuratis, quamvis superne omni missilium genere peteretur, fortiter tamen substitit, nec quem ceperat, locum deseruit, donec, majore hostium concursu in eam partem facto, in fossam rejectus est. Nec ob id tamen prælio abstitit: sed rursum, ac sæpius eumdem locum, unde dejectus fuerat, occupavit. Erat vero is lo-

eus adeo proclivis, ut in eo vestigium haud [illegible] firmari, sistique posset. Itaque ab iis, qui circumstabant, hastis sese subrigi, ac sustentari jussit. Atque ita eorum adminiculo suffultus, nunc hasta, nunc gladio propugnatores petebat. Cæterum dum pertinaciter pugnat, vulnus sub dextrum oculum, mucrone ictus, accepit; ac ne sic quoque saucius pugnare desiit. Interim haud procul inde vectibus subrutus murus, cum expectatione omnium celerius cecidisset, nonnullos, qui avidius subierant, oppressit. Tum per muri stragem irruptione facta, cum tamen & ruinis innixi oppidani fortiter resisterent, castellum captum, prædaque militi permissa. Fæminarum decus, Regio jussu, pro sua consuetudine, servatum, dato negotio quibusdam senioribus, uti eas in sacram ædem compulsas ab injuria militum defenderent. Vicarensium calamitate cognita, aliquot castella finitima, metu perculsa, sua sponte legatos de deditione ad Alphonsum misere; eaque ab eo perbenigne in fidem recepta.

Per idem fere tempus Raymundus Caudola Antonii patruus, qui & ipse post reconciliatum Alphonso Antonium, Renati partes deseruerat, ad Alphonsum cum parte equitatus veniebat, & cum eo Josias, ac Ricius: quos cum Franciscus Sforcia copias cogere audisset, Joannem fratrem cum magno equitum numero e Piceno, qui hos distineret, &, si qua occasio rei bene gerendæ se offerret, adoriretur, iis obviam misit, eosque sub urbem Thetim incautos nactus, levi certamine fudit, ac fugavit, capto Raymundo, atque aliis compluribus equitibus. Josias, ac Ricius inter tumultum elapsi sibi salutem fuga quæsierunt. Antonius, Raymundi captivitate comperta, confestim animo immutari cœpit, sive quod Joannem Sfortiam, qui in propinquo cum copiis aderat, timeret, sive alia ratio subesset. Ac ne quid nova consilia agitantem retineret, causatus quod mater ægra filii desiderio conficeretur, ab Alphonso petere contendit, uti filium per aliquot dies reverti ad suos pateretur. Alphonsus, etsi intelligebat quo animo filium poscoret, tamen cogitans Antonii magis interesse, quam sua, amicitiam suam sequi, ejus postulatis haudquaquam refragari statuit, moxque adolescentulum ad illum remitti permisit. Cumque in Pelignos proficisci decrevisset, ut labantes Populorum animos Joannis Sfortiæ adventu confirmaret, postquam suam profectionem gravem, ac suspectam Antonio fore cognovit, ne quid ei occasionis ad rebellandum daret, converso itinere in Campaniam rediit. Deinde certior factus, Eugenii Pontificis copias adversus

Digitized by Google

verſus Franciſcum Aquinianum ad Strangulagallum (id ei oppido eſt nomen) profectas eſſe, Renato per id tempus quieſcente ob copiarum paucitatem, maximis eo itineribus conſeſtim contendit, ut hominem ſibi amicum, cujus fidem, & conſtantiam in omni bello expertus fuerat, periculo levaret; primoque ſuo adventu, ſummotis hoſtibus, obſidionem irritam fecit. Protinus ad Pontem Corvum retro flexit. Quod cum propter loci naturam, & præſidium abſque tormentis expugnare ſe poſſe diffideret, motis inde caſtris, caſtella quædam finitima expugnavit. Cumque ad caſtellum, quod Rupem Gulielmam vocant, duceret, vicos, qui circa ipſum caſtellum erant, vi cepit; ipſum vero caſtellum loci natura vi capi prohibebat: eſt enim ſitum in altiſſimi montis cacumine, undique abrupto, & ab una tantum parte pervio, eodemque aditu difficillimo. Cæterum vicorum expugnatio, & famis impendentis metus incolas ad deditionem compulit. Rebus ubique proſpere geſtis, Alphonſus, quod in iis locis nihil aliud geri, per anni tempus, poſſe intelligebat, Capuam reverſus eſt. Poſt hæc animo reputans omnem Campanum agrum, præter Puteolos, in ſuam poteſtatem, fortunæ benignitate, redactum eſſe, & Superos, quocumque iret, cœptis favere, de Neapoli rurſus obſidenda conſilium cepit, præſertim cum Renatus exiguum equitatum, ut ante dixi, haberet. Atque inter apparatum rerum, Capreas oppidum in inſula ejuſdem nominis ſitum, oppidanorum quibuſdam tradentibus, cepit: quo capto, reliqua inſula, miſſis eo triremibus, quas tum habebat, abſque certamine potius eſt. Ad hanc inſulam quum forte roſtrata, qua pecunia ex Gallia Renato afferebatur, paulo poſt appuliſſet, facti neſcia, comprehenſa, atque direpta eſt, omnia jam Alphonſi felicitati permittente fortuna. Protinuſque Neapolim cum exercitu profectus, ad caſtra vetera conſedit: is enim locus viſus eſt caſtris maxime idoneus, tum propter pabuli, & aquarum copiam, tum quod in collem molliter aſſurgens, facile muniri poterat. Hunc a Septentrione, atque a Meridie eminentem ſimplici vallo, ac foſſa, ab Oriente, quod ea pars plana, & ob id minus tuta videbatur, duplici foſſa, ac vallo, crebriſque turribus in caſtelli modum communivit, magno tormentorum numero idoneis quibuſque locis impoſito. His munimentis perfectis, Ferdinando filio, admodum puero, recens cum navibus ex Hiſpania ad ſe profecto, magna jam tum, atque præclara indole, quem omnino Corellæ regendum dederat, cum parte

te

Digitized by Google

te copiarum in castris relicto, ipse Puteolos cum reliquo exercitu profectus est. Prius enim id oppidum sibi expugnandum videbatur, ne quid omnino circa Urbem Neapolim relinqueretur, quod obsessorum spem aliquo modo aleret; castrisque prope oppidum positis, rostratas accersit, quæ mari commeatus importari non sinerent, tormentisque eodem convectis, infestare oppidanos cœpit. Hi vero naturali situ freti, quandiu iis copia fuit rei frumentariæ, obsidionem tulere, nec ullis terroribus injectis ad deditionem compelli potuerunt. Postquam vero res frumentaria deesse cœpit, subsidiique desperatio animos subiit, missis, qui cum Rege de deditione agerent, atque iis, quæ postulabant, impetratis, confestim Alphonso portas aperuerunt. Inde ad oppidum Turrim motis castris, oppidanos perculsos, quod omnia ad Alphonsum deferri videbant, ad deditionem sine certamine coegit. Toto agro Neapoli circumjecto in potestatem redacto, Alphonsus Neapolim haud cunctanter ducit; transmissaque montana arce, in monte oppositio arci regiæ, ubi inerat modica planicies, ad mille passus castra ponit, ipsumque collem occupat, qui maritimæ arci imminebat. His duobus castellis, altero, in quo Ferdinandus consederat, altero sub urbem excitatis, validoque præsidio firmatis, Neapolitanam urbem obsidere arctius cœpit. Renatus, præter urbanas copias, quæ exiguæ erant, ad DCCC sagittarios habebat, quos Genuenses, Duce Arunte Cibonio viro forti, ad eum navibus miserant. Is est Aruns Cibonius, cujus forti fidelique opera bello perfecto, Alphonsus Rex victor multis maximisque in rebus postea est usus. Nam cum per belli tempora Andegavensis factionis Dux Renato Regi egregiam operam navasset, præesse Neapolitanis jussus, ita illos Prorex, abstinenter & summa cum integritate jure dicundo, sibi devinxit, ut, parta victoria, Alphonsus illum, Neapolitanorum precibus adductus, & in gratiam receperit, & Proregem eundem iis præesse jusserit. His navibus advecta & non exigua frumenti vis, famis metum in aliquot dies sustulit. Nam Genuenses eum Regno pelli, imperiumque ad Alphonsum deferri ægre ferebant, & ob id illum enixe, quoad poterant, adjuvabant. Ædificarat Renatus adversus arcem maritimam castellum in ejus collis fastigio, in quo Alphonsus castra fecerat: idque adhuc in ejus potestate erat; quod cum Alphonsus in primis tollendum censeret, eo confestim copias admovit. Custodes tum levi loci munimento diffisi, tum annonæ inopia adacti, quarto die deditionem fecerunt.

Digitized by Google

cerunt. Jam enim Neapoli parva admodum copia frumenti reliqua erat. Postridie vero ejus diei, quo id castellum in deditionem venit, forte duæ ingentes Genuensium onerariæ frumento, & cætero commeatu onustæ Neapolim appulerunt. Quarum adventu in aliquod tempus recreati Neapolitani aliquanto fortius obsidionem pertulerunt. Id vero castellum Alphonsus, latiori muro, ac fossa continuo circumdatum, valido præsidio firmavit. Levia deinde quotidie certamina, utpote ex propinquo, ex utrisque castris vario eventu conferebantur. Procedente vero in dies obsidione, fames, omnium malorum obsessis gravissimum (jam enim prope consumtum erat, quicquid frumenti naves convexerant), urgere Neapolitanos cœpit, ingentique pretio tritici modius comparabatur. Neque enim ulla pars in eo Regno relicta erat, unde quicquam ad illos frumenti, aut ullum genus commeatuum deportari posset, clauso omni terra, marique aditu: Hæc tantum, quæ ex Gallia petebantur, & difficulter cum ingentibus Genuensium onerariis, & immenso præterea pretio comparabantur. Qua necessitate coacta urbana multitudo, sæpe urbe excedebat; plurefque discessissent, ni hos pro hostibus haberi, & capi Alphonsus jussisset, quod videlicet ab illo optima ratione est factum; nam quo plures abire contingebat, hoc diutius reliqui obsidionem tolerare poterant. Fuere autem qui in publico Consilio (tantum licentiæ faciebat fames) Renato suaderent, ut legatos ad Alphonsum mitteret, qui de tolerabili aliqua pace agerent.

In hoc rerum statu decrevit Alphonsus Vicum oppidum petere, quod in Minervæ promontorio situm a Renato tenebatur: eoque cum rostratis profectus, oppidanos intra paucos dies, subsidii spe abjecta, ad deditionem compulit. Deinde Massam progressus, id oppidum dedentibus se oppidanis, cepit. Post hæc Surrentum adiit, quod cum ad deditionem nullis terroribus, aut minis compelli posset, late populato agro, Puteolos rediit. Haud multo post nuntiatum est Alphonso, oppidum, quod Sanctum Germanum vocant, a Ricio occupatum. Erat hic Ricius obscuris ortus parentibus, homo levissimus & modo harum, modo illarum partium: nam ex milite gregario ductor factus, magna latronum manu comparata, aliquot Romani Pontificatus oppida armis oppresserat. Is, quo facilius Alphonsum falleret, se ei amicum per id temporis simulabat: subornatus autem a Romanæ arcis Præfecto, quicum affinitatem contraxerat,

Digitized by Google

traxerat, per dolum id oppidum cepit. Erant in eo oppido complures, qui ejus regionis principatum ad Eugenium Pontificem trahi cupiebant. Oppido tum præerat Arnaldus, qui arcis Regiæ Præfectus fuerat. Hic, ut primum Ricium per oppidum iter facere constituisse accepit, id illico ad Regem scribit, simul quid se agere velit, percontatur. Fecerat quidem ea affinitas, quam dixi, nonnihil suspectum Alphonso Ricium. Itaque primum Arnaldo mandat, ut illi transeunti, si absque periculo possit, manus injiciat. Mox cum vulgatum esset, eum ad se ire cum copiis (sic enim Ricius Regi scripserat), simulans velle se sub eo stipendia facere, mutato consilio jubet, ni Ricius novi quicquam moliatur, uti eum incolumem transire patiatur, quod scierit eum ad se proficisci statuisse; sed quoad fieri possit, operam det, ne quid ab illo per negligentiam detrimenti capiatur. Quibus literis acceptis, Arnaldus, pleroſque factionis Regiæ seorsum alloquutus, in tempore secum adesse jubet. Nam peditatum, quo resistere Ricii conatibus posset, non habebat. Profectus ad oppidum Ricius cum paucis primum, ne suspicionem multitudo pareret, per patentem portam ingressus est; tractoque de industria cum portæ custodibus sermone, substitit, donec qui sequebantur, affuere: quem simul atque Arnaldus prospexit, obviam cum paucis ad portam progressus, illum venientem in forum deducit. Tum adversæ factionis homines, ejus consilii conscii, ad eum frequentes convenere: quorum studio cognito, ad quemdam ex his conjurationis principem conversus, & num omnia parata forent percontatus, ut parata audivit, illico Arnaldum comprehendi, atque in custodiam tradi jussit: simul excursione per oppidum facta, & adversa factione perterrita, oppido sine certamine potitus est. Inde ad arcem Janulam, (sic enim appellant) oppugnandam profectus, Arnaldum vinctum eodem perducit, si forte posset, fraternæ mortis terrore injecto, Martinum arcis Præfectum ad deditionem adigere. Sed cum ille pertinaciter affirmaret, non passurum se ulla privata calamitate arcem in cujuspiam, præterquam in Regis sui, potestatem pervenire, oppugnare arcem aggreditur: quæ cum acriter oppugnaretur, aliquot jam de præsidio vulneratis, Palermus ille centurio, quem, amisso Carpenono, in hanc arcem in custodiam traditum supra demonstravimus a Præfecto arcis, uti solveretur, & communi periculo succurrere permitteretur, requirit. Quo impetrato, illico murum conscendit, hostesque jam scalas admovere conantes,

tanta

cinta lapidum vi eruit, ut nemo amplius arcem ſubire auderet; erat enim ut ingenti corpore, ita & ingentibus viribus: quo facto, & ſuam in Alphonſum fidem teſtatus eſt, & priſtinæ virtutis fama recuperata, dignus habitus eſt, cui Rex & veniam errati dederit, & in ampliorem ordinem evexerit. Poſtquam Alphonſo renuntiatum eſt Ricium eo oppido potitum, omnem ejus recuperandi ſpem in una celeritate poſitam arbitratus, nihil ſibi ad feſtinationem reliquum fecit; citatoque equo, paucis, qui tum forte cum eo erant, ſequentibus (nam tum forte venatum ierat), ne nocte quidem intermiſſo itinere, Theanum advolat; cæteriſque, propoſito edicto, ſe abſque mora ſequi juſſis, poſtridie mane, plus LX. millibus confectis, ad oppidum pervenit. Ea vero celeritas Ricium in primis conſternavit; neque enim Regem tam cito affuturum crediderat: exiſtimabat illum, priuſquam moveret, cogendis copiis tempus conſumturum, ſibique interea expugnandæ arcis facultatem fore: caſtris ante oppidum poſitis, Alphonſus, antequam vim experiretur, donec copiæ reliquæ convenirent, ad Ricium miſit, qui hortaretur, uti ab incœpto abſiſteret, oppidoque cederet: quod ſi faceret, errori ſe ejus parſurum. Qui cum in propoſito perſtaret, ut primum copiis ſe ſatis inſtructum putavit (namque ad illum interim pedites, atque equites e diverſis locis confluebant), ſtatuit Alphonſus oppidum totis viribus oppugnare, ne oppidum tam opportune ſitum, & Neapolitani Regni firmiſſimum clauſtrum, in inimicorum poteſtatem deveniret. Cumque naturam regionis diligentius intueretur, animadvertit montem, quem Ricius inſederat, facile circumiri, ac deſuper hoſtem opportune peti poſſe. Itaque Mendociam Hiſpanum, impigrum virum cum peditibus ducentis trans montem, clam hoſtibus, continuo ire præcepit, &, ſi qui occurrant, e Ricii peditatu ſe eſſe ſimulare. Id oppidum ad montis Caſinatis, quem dixi, radices ſitum eſt; idque exiguus amnis interluit. Arx ab oppido aliquantum diſtat, eminenti loco ſita: ſupra arcem ad mille ferme paſſus Templum eſt, de quo diximus, opus vetuſtate, religione, præcipue Divi Benedicti corpore, percelebre, caſtelli cujuſdam inſtar, duplici muro circumdatum: per cujus Templi exteriorem murum (nam & is quoque ab hoſtibus cuſtodiebatur) Mendocias cum ſociis tranſitum faciens (nam alios expectabat) cuſtodes fefellit. Ricius, cognito Regis de oppugnatione conſilio, ex oppido prodit, ubi ſe haud ſatis tutum exiſtimabat, diſpoſitis per muros partim ex ſuis, partim ex oppida-

Digitized by Google

nis, qui reſiſterent; eoſque tumulos, qui Regiis caſtris imminebant, inſidet, quos tamen prius occupatos præſidiis firmaverat. Alphonſus interea copias inſtruxerat; nihilque aliud oppugnationem differebat, quam eorum, qui circummiſſi erant, adventus. Jamque ab omni parte Ricius ſibi ſatis proſpexiſſe videbatur, cum illi extemplo ſupra caput, veluti procella quædam, Mendocias apparuit. Namque ii, qui pro Templo ſtabant, opinati hunc eſſe reliquum Ricii peditatum (ut diximus), atque eum cum ſuis ad Ricium deſcendere: Ricius quoque Mendociam Ricio tum eſſe, quem præſtolabatur, ſuſpicatus, parumper ſubſtitit. Sed mox, fraude cognita, advenienti Mendociæ ſeſe objecit. Quod ut Alphonſus animadvertit, omnes ſuos, quos in armis, ut diximus, paratos, atque inſtructos habebat, partim in hoſtem pugnare, partim oppidum adoriri imperat. At Ricius ancipiti malo circumventus, ſeſe confeſtim in fugam conjicit; viaque per medios hoſtes ferro facta, amiſſis pluribus, deſtitutoque oppido, primo in templum, mox per devios ſaltus in oppida, quæ propinqua erant, evaſit. Quo fugato, Alphonſus confeſtim oppidum abſque certamine recepit: ibique Arnaldi fratre cum valido præſidio relicto, ipſe Capuam reverſus eſt. Qua in re profecto neſcio, virtus ne magis, an celeritas ejus laudanda ſit. Neapolis interea arctiſſime obſidebatur: nec re frumentaria modo, verum etiam aqua, reciſo extra urbem aquæductu, oppidani laborabant. Quo circa ingens triſtitia oppidanorum animos ceperat. Angebantur, res adeo mutatas eſſe, ut qui prius Eugenii Pontificis, & Jacobi Caudolæ auxiliis inſtructi, ſibi pares Alphonſi viribus videbantur, nunc omnibus deſtituti ſubſidiis, eum ante portas, binis caſtris poſitis, victorem viderent, quem navali prælio ſuperatum, & captum, nunquam amplius id Regnum petere auſurum putarent. Eſſe in illius ditione Siciliam, commeatus, ac cætera bello neceſſaria ſuppeditantem: eſſe Sardiniam, Baleares Inſulas, Barchinonenſium, atque Aragonum Regna ampliſſima, unde illi pecunia, ac milites in bellum ſubminiſtrari poſſent. Angebantur quoque vehementius frumenti, ac pecuniæ inopia, non ærario modo, verum etiam privatorum civium facultatibus diuturno bello exhauſtis. Duplex modo ſpes ſupererat. Sed altera quidem minus firma. Nam Genuenſes, etſi ſe libenti animo adjuvari ab illis ſciebant, tamen gravari tantis, ac tam crebris ſumptibus exiſtimabant. Altera erat in Franciſco Sfortia, & Antonio Caudola. Sed alterius cunctationem videbant, alteri non ſatis credebant. Omnia

tamen

Digitized by Google

tandem tentanda, priusquam ultima experirentur, vociferabantur: Quorum vocibus permotus, ut par erat, Renatus, ad Genuenſes, & ad Antonium Caudolam, qui cum eo poſt receptum filium in gratiam redierat, ſimul & ad Franciſcum Sfortiam in Picenum crebro nuntios dimittebat, qui docerent quas in angustias res ſuæ redactæ eſſent, binis circa urbem caſtris hoſtium poſitis, & ut cum copiis celeriter advolarent, ſi ſe ſalvum vellent, hortarentur. Cæterum hæ ſpes omnes vanæ, atque irritæ evaſere. Nam & inter Genuenſes, cum jam decreta claſſis eſſet, pecuniaque in ſtipendium imperata, de præfectura inter Joannem Fregoſum, Thomæ fratrem, qui per id temporis Genuenſis urbis Principatum obtinebat, & Joannem Antonium Fliſcum Nobilitatis Principem orta contentio, ne claſſis perficeretur, impedimento fuit: & a Franciſco, atque Antonio aut nulla, aut ſero auxilia venere.

Quum hæc eſſet rerum ſtatus, nec ſperaret Alphonſus Neapolim aliter, quam fame, aut proditione capi poſſe, aperuit ei fortuna inopinatum quendam ad victoriam viam. Namque Anellus, faber quidam carmentarius, quem fames Neapolim exire compulerat, ad eum profectus, docuit urbem haud magno militum periculo, ſi rei præmium eſſet, capi poſſe; atque in id operam ſuam atque ſtudium eſt pollicitus. Hunc Rex collaudatum, & majoribus, quam ejus fortuna caperet, promiſſis oneratum, de ratione rei agendæ percontatus (omnibus, quibus opus erat, celeriter præparatis) ad ducentos viros fortes deligit, qui cum Anello, ac fratre nocte aquæductum ingrediantur, & in iis Mazeum Januarium, ac Diomedem Caraffam, & alios quoſdam Neapolitanos, qui patria exules multos annos eum ſequuti fuerant, quibus urbis loca nota erant; omnesque paratos in armis eſſe jubet, cauſamque ſupprimit. Sub mediam noctem quum vocati omnes conveniſſent, Ducibus rem aperit, hortaturque ut intrepido animo rem aggrediantur, quæ ſe iis ingentem utilitatem, & decus allatura. Quove uno, atque eodem tempore & illi mœnia occupare, & ipſe cum copiis adeſſe poſſit, mandat, ut, cum in demonſtratum locum ex aquæductu emerſerint, id ſibi per eos, qui reliqui in aquæductu fuerint, ſignificari conſeſtim curent, rem a primis ad noviſſimos perferendo. Erat autem ingreſſus in aquæductum per puteum alterum extra urbem ad lapidis jactum in horto quodam poſitum, in quem per funem ſeptem & viginti cubitorum demitti oportebat: datoque uni ex

his negotio, ut, cum ſciret primum eos e puteo intra tectum evaſiſſe, ad ſe referret, ſcaliſque, & vectibus traditis, eos dimiſit. Adjecit præterea, uti quarta noctis vigilia, poſtquam e puteo emerſiſſent, facto impetu mœnia aggrederentur, oppreſſiſque illico cuſtodibus, turrim vicinam occuparent. Cæteris vero, uti imperata facerent, duceſque ſequerentur, præcepit. Cum his mandatis profecti leviter armati, ducibus Anello, ac fratre in puteum, per quem deſcenſus erat, ſeſe tacite per funem demittunt, accenſaque intus funalia præſeferentes, cum per cæcam teſtudinem ſinguli progrederentur, ad foramen, per quod aqua in urbem illabebatur, abſque labore perveniunt; aggreſſique murum perfodere, aliquanto plus temporis in eo excidendo, quam Anellus putaverat, propter ejus craſſitudinem poſuere: eoque clauſtro perfoſſo, ulterius progreſſi per canalem, qui ab aquæductu in puteum ferebatur, non abſque difficultate in ipſum puteum deſcendunt. Reſtabat ſecundus labor, ut ſcilicet e puteo in domum evaderent. Anellus igitur, & frater primi, ſubjicientibus humeros ſociis, pedibus ſimul, ac manibus per murum niti cœperunt, donec ad foramina quædam, per quæ erat in puteum deſcenſus, paulo ſupra hominis magnitudinem, pervenere: ad quæ ſtatim appulſi, ad ſummum evaſerunt. Forte autem pridie ejus diei Neapolitani magnum lapidum acervum, propter hujuſmodi ſuſpicionem, ut in puteum injicerent ex operculo, dejecerant: nec poſtea ſive oblivione, ſive negligentia lapides impoſuerant; quod ſi eſſet factum, irrito haud dubie incœpto, puteum ingreſſos reverti oportebat. Eo igitur operculo facile, ac ſine ſtrepitu ſublato, Anellus, ac frater primi in domum exiliunt; omnibuſque exploratis, ne quid inſidiarum ſubeſſet, poſtquam neminem adeſſe cognoverunt, per funiculum e puteo delatas ſecum ſcalas attrahunt, quibus, qui in puteo erant, ſcandere cœperunt. Difficilis erat præſertim armato aſcenſus per navales ſcalas; quæ cum ab imo vagæ, atque inſtabiles eſſent, nemo erat, qui ſubſiſtere auderet, ne aut homines, aut armorum caſus periculum afferret. Inter hæc mulierecula, cujus ea domus erat, primum gravi odore, quem e puteo limus exhalabat, tum lumine inſpecto, exanimata celeriter accurrit; iiſque viſis, qui jam emerſerant, continuo exclamat; fueratque haud dubie proditura inſidias, ni celeriter oppreſſa, vocem emittere inhibita eſſet: filia quoque jam adulta matrem orare vehementius cœpit, ne fortunæ adverſaretur. Ad hæc terrori immixtæ

pre-

Digitized by Google

preces, magnaque ſilentii præmia mulierem inter ſpem, metumque dubiam placaverunt. Jam ſol exortus erat, cum vix quadraginta ex omni numero puteum evaſerant; & qui ingreſſum nuntiare Regi debuerat, ſive negligentia, ſive quod is metu, erumpente luce, a deſtinato loco diſceſſiſſet, nihil Regi ſignificaverat: qui rei eventum opperiens, paratus cum copiis erat; cumque accepiſſet neminem ſuorum in muro apparere, nihilque tumultus ex urbe audiri, putavit omnes aut cæſos eſſe, aut metu exilire non auſos: itaque propius ad urbem profectus, ab ea parte, quæ occupanda erat, ad muros ſuccedit. Id vero conſilium ut primo in diſcrimen ingreſſos adduxit, ita victoriæ cauſa ad poſtremum fuit. Namque, ejus adventu cognito, Renatus cum ea manu, quam ad ſubitos caſus paraverat, citato equo ad muros contendit, hoſteſque procul amovit. Ingens vero pavor, & conſternatio hos, qui jam e puteo emerſerant, cepit. Nec regredi in puteum, ne ſe armorum ſtrepitus propinquis hoſtibus proderet, nec propter paucitatem erumpere audebant, ſed mortem taciti continuo expectabant. Alphonſus, ut vidit intus a ſuis nihil miſceri, deſperatis rebus, ſigno receptui dato, caſtra verſus proficiſci cœpit. Quod poſtquam Renatus animadvertit, periculum omne depulſum arbitratus, relictis cuſtodibus, & ipſe in Regiam rediit. Forte quidam ad puteum, unde erat in aquæductum ingreſſus, profectus erat, rei ipſius neſcius; iſque, re cognita, ad Alphonſum nuntiatum cucurrit multos e puteo prodiſſe, atque in domo tacitos ob metum latere. Eo nuntio accepto, celeriter converſo equo urbem repetit, atque ad mœnia ſuccedit, quo eorum animos acueret. Inter hæc mulieris, quam dixi, filius a ſtatione ſua domum venit, pulſatiſque foribus, quum nemo aperiret, inſidias illico ſubeſſe ſuſpicatus, cœpit inſeſtius pulſare, & fores perfringere. Mater, & qui intus erant exanimati, quid agerent neſciebant. Alii, ſubito patefacta janua, petendum, atque interficiendum hominem. Alii ob matris, ac ſororis beneficium capiendum modo, nec ulterius in eum ſæviendum cenſebant. Quam ſententiam quum omnes probarent, reſeratis paulum foribus, cum niterentur manus injicere, repente ut hoſtes vidit, trepidus refugit, hoſteſque intra urbem eſſe vociferans, ad Renatum ſubito pervolat, quæque viderit, refert. At qui intus erant, ut inſidias palam factas eſſe conſpexere, nec reditus a lateribus locum dari, uno agmine repente e domo proſiliunt; primoque impetu mœnia pro-

Digitized by Google

propinqua (uno tantum vigile ibi reperto), turrimque occupant; nam cæteri custodes, tanquam eo die nihil discriminis restaret, in diversa abierant. Renatus eo nuntio primum, deinde tumultu excitatus (ut adhuc erat armatus), ad mœnia celeriter reversus, impetum in hostes facit. Quibus visis Alphonsus ad muros cum copiis advolat; quoque suis animos adderet, scalas admoveri imperat. Cœterum oppidani eam muri partem facile tuebantur, & ne quis per scalas in captam turrim evaderet, gravium saxorum dejectu obsistebant, eosque, qui turrim occuparent, manubalistis incessebant. Dum pugnatur, obequitans mœnia Alphonsus, animadvertit paulo supra eam partem, quæ oppugnabatur, locum quendam neglectum esse (namque ejus custodes, deserta statione, ad propinquum tumultum se contulerant). Itaque scalas celeriter admoveri, eumque locum occupari jubet, sperans eo facto aut urbem inde capi posse, haut certe hostes ab oppugnatione eorum, qui turrim occupaverant, averti. Is vero locus hoc facilius occupari posse videbatur, quod veluti in arcum curvatus a Renato, & iis, qui cum eo pugnabant, conspici non poterat. Jam vero ex iis, qui turrim occupaverant, cum tormentis, atque omni telorum genere peterentur, partim graviter sauciati fuerant, partim, ne in hostium potestatem venirent, sese e muro præcipites dederant. Cumque unus ex iis, Joannes Michael Calatovillus, eques Valentinus, desperata salute, in hostes delatus, sese aliquandiu defendisset, a Renato confossus, mortem honestam ac gloriosam obiit: eratque Renatus eam turrim recepturus, nisi a tergo subito, atque improviso cum ingenti clamore, & alacritate hostes invecti terrorem intulissent. Potissima vero causa trepidationis fuit (quod plerumque, ludente fortuna, in bello accidere consuevit) res utique parvi momenti. Nam equus quidam forte captus, & infessus a Petro Martino, vel (ut aliis placet) Sancio Barilio Alphonsi milite, per mœnia urbem ingresso, in hostes invectus, opinionem præbuit captæ, & refractæ portæ proximæ. Is vero equus Sarni Brancatii fuerat, prestantis equitis, & Renato percari, qui, dum forte per ea loca excurrens, in hostes incidisset (ademta ei ob viæ angustias fugiendi facultate) captus fuerat. At Renatus primum cohortatus, qui aderant, in hostes fortiter invectus, eorum impetum paulum repressit. Mox vero, ut, crescente hostium numero, suos exterritos animadvertit, nec posse diutius impetum sustineri, sensim referre pedem cœpit. Alphonsus interea ad Divi Januarii portam, quæ erat aliquanto re-

mo-

Digitized by Google

motior, quibusdam oppidanorum, quos belli ſatietas ceperat, ſuadentibus, contendere partem ſuorum, & appulſis ſcalis eam portam effringere imperat. E quibus Lupus Ximenes, Raimundus Burillus, atque Eximenus Corella, cujus potiſſimum opera in ea re uſus Rex fuerat, ſuperatis mœnibus, primi omnium urbem ingreſſi, pleriſque aliis, ut intrarent, animos dedere. Quæ ut Renatus ſenſit, cui potiſſimum parti, aut loco ſuccurreret incertus (omni ſpe defendendæ urbis abjecta) in prælio omnia expertus, eam victori conceſſit. Tum & a Fori Boarii porta, quæ ad Caſtrum Maris fert, & ab aliis diverſis muri partibus irruptio in urbem facta, omnibus ſtationes præ metu deſerentibus; atque ad prædam diſcurſum: a cædibus tamen temperatum: mox vero ingreſſo Rege, & prædæ quoque finis factus. Poſtridie ejus diei, duæ ingentes Genuenſium onerariæ, quibus commeatus deferebantur, ignaræ urbis captæ, ſupra portum apparuere, propiuſque profectæ, ut viderunt ſolitos lætitiæ clamores a civibus non edi, illico ſuſpicati res immutatas eſſe, ſub arcem conceſſerunt, frumentoque expoſito, vini & commeatuum cauſa Surrentum (quæ una civitas in Renati fide permanſerat) petiere; atque octavo ferme die Neapolim reverſæ, quam proxime potuere, ſub arcem anchoras jecerunt, quæ, ſi pridie ante captam urbem adventaſſent, navaleſque ſocios in terram expoſuiſſent, dubiam facere victoriam poterant.

Per hunc modum Alphonſus Neapoli, urbe nobiliſſima ac vetuſtiſſima, anno ab initio belli uno & vigeſimo, potitus eſt: in quo neſcias profecto magis ne ejus fortitudinem, & conſtantiam, an clementiam, cæteraſque virtutis laudes, an felicitatem admirere. Namque in aggrediendis rebus impiger, nec labore ullo defatigabatur, nec periculo cedebat ulli, tantamque animi fiduciam in his agendis præſeferebat, ut ſæpe ejus milites cum pluribus, ipſi pauciores, dimicare non dubitaverint. In bello gerendo adeo conſtans, ut eum nec calamitas ulla accepta, nec pecuniæ inopia, nec belli diuturnitas, nec commeatuum penuria, nec hyemis magnitudo ab incæpto revocaverit. In victoria adeo clemens, & moderatus, ut de ea laude poſſit cum quovis antiquorum Principum decertare. Clementiæ par facilitas, ac liberalitas erat: famis, ſitis, frigoris, caloriſque inaudita patientia, ad quam per aſſiduos venandi labores obduruerat, adjuncta erat. Ad hæc literarum amor, (is enim unicus doctorum hominum cultor ſuæ tempeſtatis fuit), &

vini

vini abſtinentia accedebat, quod aqua infuſum vix quicquam vini ſimile referret. Has tantas Regis virtutes conſilii magnitudo rebus belli, ac pacis pariter perſpecta æquabat. Ita porro felix, fortunatuſque, ut perraro unquam, ulla accepta clade, ipſe unus omnium Regum fortunam in poteſtate habuiſſe videatur. Sed hæc alterius ſint loci: nunc ad rem geſtam redeo.

Ingreſsus urbem Alphonſus, præconibus paulo poſt per urbem dimiſſis, ut populationibus modus ſtatueretur, edixit; ac pleriſque civibus, qui ad ſe ſupplices confugerant, bona jam a militibus occupata, cum ædibus libere reſtitui juſſit. Nec poſt id temporis hoſtile quicquam in tota urbe perpetrari permiſit: quippe exiſtimavit, & preſtantis Regis eſſe victis ignoſcere, & ſapientis integræ, quam everſæ civitati dominari malle; quo quidem facto vel inimicorum animos ſibi maxime placavit. Unus ſupererat expugnandarum arcium labor: hæ autem tres erant Capuana, Montana, & Regia; in quam ſe Renatus, amiſſa urbe, receperat; hæque omnes tum ſitu, tum valido præſidio munitæ erant. Cæterum rei frumentariæ inopia laborabant, præſertim Montana, & Capuana. Itaque eas obſidere ſtatuit, & in primis Capuam, utpote infirmiorem, & Regiæ junctam: vixque quartus ab obſidione interceſſerat dies, cum Joannes Coxa, unus ex iis, qui in Regiam cum Renato confugerant, a Renato petiit, ut ſibi liceret cum Joanne Caraffa de arcis ipſius deditione agere. Is enim Capuanæ arcis præfectus, in eam uxorem, ac liberos habebat, nec ignorabat arcem ipſam ob commeatus inopiam defendi non poſſe. Cui Renatus, cum jam arci ſubvenire non poſſet, ut ſaluti ſuorum conſuleret, permiſit: atque, ut paucorum quorundam dierum inducias peteret, juſſit: quas cum primo Alphonſus abnueret, ne Renatus ea occaſione novi quippiam in urbe moliretur, mox mutato conſilio, miſſis Lupo Urreo, ac Raimundo Buillo ad Mariæ Coronatæ Templum, quo Coxa convenerat, inducias conceſſit. Poſt hæc Joannes, uxore, ac liberis cum omni præſidio, atque omnibus rebus eductis, haud cunctanter arcem dedidit. Recepta arce Capuana, totaque urbe in poteſtatem redacta, Alphonſus, uti omnes arma ponerent, edixit. Haud multo poſt Renatus, quum pecuniam non haberet, unde aream teneretur, & amiſſam urbem recuperare ſe poſſe diffideret, ſummaque jam rerum omnium deſperatio animo obverſaretur, abeundi conſilium cœpit; potiſſimum quum haud ſciret, an poſtea navium poteſtatem, quibus ſe tuto mari committeret, eſſet habiturus.

Quum

Digitized by Google

Cum igitur ita ſtatuiſſet, Antonium Calvum, a quo grandi pecunia adjutus fuerat, arci præfecit: Montanæ arcis cuſtodia Mazario Gallo commiſſa. Deinde navem ingreſſus eſt, urbem, quam amiſerat, cum gemitu ſæpe reſpiciens, ac fortunæ iniquitatem incuſans, Octino Caratiolo, Georgio Alemanno, ac Joanne Coxa, tam mœſti diſceſſus comitibus. Iſque ſecunda tempeſtate uſus, ad portum Piſanum, inde terreſtri itinere Florentiam ad Eugenium Pontificem, quo amico utebatur, profectus eſt. Poſt cujus diſceſſum Alphonſus belli reliquias confeſtim perſequi ſtatuit. Itaque cum accepiſſet Antonium Caudolam cum Joanne Sfortia Franciſci fratre copias contrahere, adverſus eum proficiſci inſtituit, debellatum prorſus exiſtimans, ſi illos uno modo prælio viciſſet; retinebat enim adhuc Franciſcus complura in Apulia oppida. Urbe igitur primum præſidio firmata, atque ejus cuſtodiæ relictis Neapolitanis compluribus, quorum præcipuam erga ſe fidem in eo bello cognoverat, primum ad Capuam in campos profectus, mox, coactis majoribus copiis, poſtquam ſe ſatis firmum atque inſtructum exiſtimavit, inde ad Populi Fontem movit; ac poſtridie Iſerniam, quæ adhuc in partibus Antonii erat, petiit. Cujus adventu conterriti oppidani, admiſſo ejus præſidio, oppugnationem non tulere. Inde Carpenonum belli caput ducit, ibique caſtra ponit. Quod ubi Antonius accepit, confeſtim cum omnibus copiis proficiſci ſtatuit, priuſquam Joannes Sfortia, quem Franciſcus frater in Picenum revocabat, copias a ſe abduceret. Namque Franciſcus (cognita rerum Neapolitanarum immutatione) de rebus ſuis ſollicitus, retinendum fratrem, ſuaque potius defendenda, quam aliena oppugnanda cenſebat.

Inter hæc Paulus Sangrus, deſerto Antonio, cum equitatus parte ad Alphonſum in caſtra tranſgreſſus, quantæ hoſtium copiæ eſſent, docuit. Alphonſus eum collem ante omnia occupandum putavit, per quem Antonium iter facere oportere cognovit. Ita confeſtim caſtra in eam partem tranſfert, trecentiſque peditibus Saxanum (quod caſtellum in propinquo erat) miſſis, eum collem per quem ad Carpenonum iter erat, valido peditatu firmavit. Quem ut Antonius ab hoſtibus captum, & inſeſſum comperit, ad Peſculantianum (ita id caſtellum incolæ vocant) cum copiis ſubſtitit, qui locus a Carpenono haud multum aberat. Carpenonum oppidum, in colle poſitum, deſpectum undique proclivem habet, ab eo colle exiguo intervallo alter ſeſe attollit mons pari ferme altitudine, per quem, ut oſtendi, ad

Digitized by Google

oppidum iter erat: haud procul inde a dextra ſitus eſt mons alius, in quo Alphonſus caſtra poſuerat. Poſtridie Antonius, ut fiduciam oſtenderet, copias in aciem educit, quod ut Alphonſus animadvertit, & ipſe pro caſtris acies inſtruxit, multis vero haud dimicandum cenſentibus, quod majores eſſent hoſtium copiæ; quum Joannes Vintimillius rogatus ſententiam diceret, ſi, abſente Rege, penes ſe unum ſumma rerum eſſet, ſeſe intrepide hoſtes aggreſſurum: cæterum non audere ſe tale quidpiam Regi ſuadere, quod in ejus capitis ſalute tot Populorum ſalus contineretur. Converſus ad eum Alphonſus, per me igitur, inquit, quo minus fiat tam memorabile facinus, ſteterit: avertant id Superi a genere noſtro dedecus, ut metu pugnam detrectaſſe videamur. Simul his dictis, galeam capiti induit, acieſque producit. Exiguus amnis inter utraque caſtra excurrebat: iſque curſus tarditate intra convallem pluribus locis ſtagnabat. Hic Antonius de induſtria expectabat, ſi forte prior Rex initium tranſeundi faceret, quod is locus aliquantum acclivis trans flumen erat. At Alphonſus paulum a caſtris cum paucis digreſſus, ut hoſtium aciem, & loci ſitum diligentius ſpecularetur, poſtquam cuncta cognovit, reverſus, ut vidit hoſtes citra flumen illici non poſſe confeſtim tres acies trans flumen mittit: quibus Petrus, atque Alphonſus Cardonæ, ac Guilielmus Raimundus Moncata, viri fortes præerant, hique celeriter, amne tranſmiſſo, magno impetu in hoſtes invecti, inſignem pugnam ediderunt. Sed cum plures hoſtium acies his ſeſe circumfudiſſent, nec viderentur diutius eorum vim ſuſtinere poſſe, quarta Alphonſi juſſu ſucceſſit acies, quam Raimundus Buillus ducebat: & item quinta, cujus Princeps erat Lupus Urreus, vir, præter bellicas artes, eximiis naturæ, ac fortunæ dotibus præditus. Hos Alphonſus paulo infra eum locum, ubi pugnabatur, circumducere acies, atque hoſtium latera jubet invadere: quorum interventu, eorum, qui jam ceſſuri videbantur, confirmatis animis, prælium redintegratum eſt. Inter hæc pedites, quos ad Saxanum conſtitiſſe dixi, impedimenta hoſtium aggreſſi, prædam agebant. Quod cum Antonius animadverteret, confeſtim aciem unam iis ſubſidio mittit. Tum Alphonſus cum reliquis aciebus in hoſtes fertur, militeſque alios exhortando, alios caſtigando in pugnam accendit. In eo quoque prælii ardore Inici Ghevaræ, viri acris atque impigri, tum commilitones animando, tum manu cum hoſtibus fortiter rem gerendo, virtus ſpectata, & laudata eſt. Pugnatum eſt aliquan-

diu

Digitized by Google

diu æquo Marte, nec incremento, cum neutri cederent. Demum hostes terga dant, quos Regii consectati, direptis impedimentis, magnam eorum partem, in queis Antonium inter primos dimicantem, ceperunt: reliqui copiarum Duces, abjectis armis, sibi salutem fuga quæsierunt. Castris captis, impedimentisque direptis, cum hostes nullum fugiendi finem facerent, Alphonsus receptui cani jussit. Post hæc cum clementia sua in captivos uti statuisset, perducto ad se Antonio, veniamque erroris postulanti non modo ignovit, verum etiam oppida, quæ a patre accepta hæreditario jure possidebat, reliquit, cæteris captivis perhumaniter habitis. Nec quicquam ex Antonii supellectile, quæ erat exigua, præter christallinum calicem cepit. Secundum hoc prælium Alphonsus per Peligros, ac Marsos, gentem bellicosam, victricia arma circumtulit, totamque eam Regionem brevi subegit. Deinde in Apuliam se convertit, ut belli reliquias conficeret, (nondum enim Apuli, qui Francisco Sfortiæ dominatu tenebantur, arma posuerant), castrisque primo ad Manfredoniam oppidum ad mare sitam motis, eam urbem, præter arcem, oppidanorum quorumdam opera statim recepit: in ea Victor Rangonius quum sese aliquot menses tenuisset, desperato ad extremum auxilio, deditione facta, rebus suis consuluit, Troja interim, & cæteris oppidis Francisci receptis.

Dum hæc aguntur, Renatus, quem profectum ad Eugenium dixeram, cum sese arcem Regiam tueri posse diffideret (nam Montana, ob frumenti inopiam, jam ante recepta per deditionem fuerat), quod ipsius Regiæ tutela magno sumptu indigebat, nec absque Genuensium navibus frumento, ac rebus necessariis provideri poterat, ejus dedendæ potestatem Joanni Coxæ permisit; ipse mari in Galliam rediit. In deditionis vero conditionibus cum esset postulatum, ut Georgio Alemano, Otino Caratiolo, Joannique, & cæteris, qui Renatum secuti essent, ignosceretur, in eos sese facilem, & perhumanum Alphonsus exhibuit. Hoc tam gravi, & tam diuturno bello confecto, omnique demum Regno pacato, Alphonsus Beneventum concessit, ibique Conventum agere instituit. Quod postquam vulgatum est, Neapolitani cives, Regnique Optimates honestius arbitrati, Conventum Neapoli agi, que urbs esset Regni totius caput, ibique Regem honorificentius, quam usquam alibi excipi posse, Legatos ad eum misere oratum, uti apud se mallet Conventum agi. Fuit ea legatio Alphonso perjucunda;

quod quam grata ſua victoria Neapolitanis eſſet, ex eo maxime judicabat: itaque Neapolim Conventum edixit. Poſt hæc ex Benevento digreſſus, Neapolim ad Divi Antonii templum ſub urbem, ad quingentos ferme paſſus, conceſſit: ibique moratus eſt, donec, quæ ad triumphi magnificentiam pertinebant, parata eſſent. Quibus compoſitis, ad eam partem, quæ Salernum fert, acceſſit. Neapolitani primum indignum exiſtimantes, tam celebrem tot victoriis Regem portam urbis ſubire, quandam muri partem, qua triumphans introiret, novo Romanorum Imperatorum more, disjecere. Huc ductus eſt currus inauratus, quem veſtes purpura, atque auro diſtinctæ longe illuſtrabant, & in eo ſella eburnis æque exornata. Currui alligati erat quatuor eximii candoris equi, quos unus æque albus præcedebat, iique omnes frænati auro, pictiſque ſericis inſtrati. A dextra, lævaque currus incedebant bis deni e Nobilitate Neapolitana lecti viri, ſingula manibus haſtilia gerentes, quibus illigatum velamen erat auro diſtinctum, quod ſupra currum deferebatur. Alphonſus, ut Regem decuit, antequam in currum tolleretur, habendam rationem hominum de ſe benemeritorum, quorum opera fideli, ac forti in bello uſus fuerat, arbitratus, hos pro meritis variis honoribus, & præmiis affecit: deinde currum inſcendit, regali cultu, ornatuque decorus, ac longe conſpicuus. Lauream coronam, triumphantium veterum more, quamvis amici ſuaderent, renuit, id honoris Superis tantum tribuendum inquiens. Circumſtabat infinita hominum multitudo ejus viſendi ſtudio, præſertim triumphi ex longa antiquitate repetiti ſpectaculo, vel ex longinquis profecta. Moveri deinde agmen cœpit, cujus ordo hujuſmodi fuit. Primi omnium Sacerdotes divinum carmen canentes, altariaque, & ſacra corpora geſtantes ibant. Sequebatur e diverſis ordinibus ingens tum civium, tum externorum numerus. Proximi ibant complures partim Florentini, partim Hiſpani Punico habitu, hique varia ſpectacula edentes, alii moralium, alii ſacrarum virtutum, cum titulis, atque inſignibus, ex quibus dignoſcerentur; alii Cæſaris, & aliorum quorundam, qui floruere, Principum perſonam referebant; Regemque pro dignitate alloquentes, ac laudibus in cœlum certatim extollentes, cum incredibili circumſtantium voluptate, hunc pro ſe quiſque ad virtutum ſtudia, ad gloriæ cupiditatem, ad divinæ Religionis cultum accendebant. Poſt hos aliquanto intervallo Rex procedebat, tum habitus magnificentia, ac nitore admirabilis, tum re-

Digitized by Google

rerum a se gestarum magnitudine longe admirabilior, atque illustrior. Currum pedibus sequebantur totius Regni Reguli, & Optimates. Voluit enim, quos vicerat, hos triumphi sui participes efficere, non de his, veteri Romanorum more, triumphare: nulli ante currum captivi ducti, nulla spolia prælata. Noverat enim Regna, ut fortitudine comparari, sic mansuetudine, & humanitate conservari. Nihil vero a Neapolitanis prætermissum est ad vicorum ornatum, per quos iter facturus esset. Omnia floribus constrata, varia odorum, ac vaporum suavitate fragrabant. Hoc modo lætis salutantium, & congratulantium vocibus, omnes urbanas sessiones, curru triumphans, prætervectus est. Namque omnis Neapolitana Nobilitas, quæ longe clarior, & potentior olim fuit, in quinque illustres Sessiones, sive consessus appellare quis malit, divisa est. Erant enim hæ Sessiones tum pulcherrimis aulæisque, pictisque stragulis ornatæ, tum cultissimarum virginum, & nuptarum choris ornatiores, quæ pulsu pedum tibiæ sonum modulantes, Rege conspecto, hunc, ut communem patrem, ut decoris, ac pudicitiæ suæ tutorem veneratæ sunt. Demum in arcem Capuanam, die jam in vesperam inclinante, se recepit.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER OCTAVUS.

Composito Regni statu, incolisque bello fessis quiete reddita; omnes uno ore Alphonsum miris in cœlum laudibus ferebant, se per eum intolerandis laboribus, periculis, miseriis liberatos prædicantes. Qui arva colere consueverant, sese ad agrorum culturam contulerant. Mercatura, quam bellum sustulerat, advenarum concursu, atque commercio, in usum revocari cœperat. Eratque earum rerum jucunda recordatio, quas graves, atque asperas perpessi fuerant. Regum, Civitatum, Nationum Legati ad eum gratulandi gratia frequentes ventitabant. Illa modo cura Regi fere reliqua erat; namque Eugenius Pontifex Maximus, de quo superioribus libris mentionem fecimus, ægre ferens Renatum Regno pulsum, adhuc cum eo inimicitias gerebat; cujus opes quamvis Rex parum timeret, tamen ne contra Roma-

nam

Digitized by Google

nam Eccleſiam, cujus erat maxime obſervans, bellum gerere videretur, ei reconciliari optabat. Quare data occaſione, non deſtitit, quoad diſſenſio, ac bellum omne ſublatum eſt. Namque Eugenius, quum videret fruſtra a ſe ſuſcepta arma retineri, nec jam amplius Renatum, qui poſtea Regni ſpe abjecta in Galliam abierat, reſtitui poſſe, Ludovicum Cardinalem Aquilejenſem appellatum, magno animo & conſilio virum (cui admodum fidebat, cuique rerum ſuarum ſummam commiſerat), qui cum eo de pace ageret, legatum ad Alphonſum miſit. Fuit autem hic annus a natali Chriſti Domini noſtri quadrageſimus tertius, & quadringenteſimus ſupra milleſimum. Legatus, ubi Privernum pervenit, miſſis, qui ſuam profectionem Regi ſignificarent, ſubſtitit. Quod poſtquam Rex agnovit, Alphonſum Borgiam Epiſcopum Valentinum, nonnulloſque alios viros claros, quorum conſilio utebatur, qui eum ſalutarent, continuo ad eum miſit. Orta vero inter eos controverſia, quod Ludovicus ſe pro Legato a Rege ſuſcipi peteret, & Alphonſus Epiſcopus, ac cæteri Regii negarent id æquum eſſe, ne jam tunc Rex ſeſe Eugenii authoritati, ſibi adhuc adverſarii, ſubjeciſſe videretur: continuo Rex, ubi id reſcivit, eam controverſiam tolli juſſit, atque, ut cum Legati inſignibus ad ſe iret, permiſit; multiſque Principibus viris ad quatuor millia paſſuum a Terracina obviam adventanti præmiſſis, ipſe quoque, ubi eum appropinquare accepit, ad mille paſſus proceſſit, comiterque ac benigne accepit. Interim oſtendit placere ſibi, quæ de pace agenda eſſent, ea (nullo interprete) per ſe ipſos agi, nec cum ſuorum præterea quoquam communicari; ſic ea cautius, meliuſque confici poſſe. Cujus conſilio approbato Legatus, id quoque ſibi placere reſpondit. Eoque ipſo die ad eum, ne quid temporis fruſtra laberetur, quum eſſet profectus, priuſquam de pace colloqueretur, Rex pro ſua humanitate prius loqui orſus, oſtendit ſeſe juris ſui tuendi gratia, quod aliter tueri non poſſet, contra Eugenium bellum ſuſcepiſſe, quem cum a Joanna Regina filium, ac Regni ſucceſſorem inſtitutum ſciret, ac pro ſtatu ſuo conſervando infinitos labores, ac pericula adiiſſe, Renato poſthabuiſſet, cui & aperte faviſſet, & opitulatus eſſet. Quæ ideo ſe gravius tuliſſe, quod nulla ſua injuria laceſſitus Pontifex ipſum adeo pertinaciter oppugnaſſet. Neque enim meminiſſe ſe, a ſe quidpiam, cujus rei cauſa is ſibi infenſus eſſe debuerit, admiſſum. Non perſonam, ſed cauſæ æquitatem ab illo ſpectandam fuiſſe, qui communis omnium, æquo jure, ſit

pa-

Digitized by Google

parens, nec magis hunc, quam illum aut amare, aut odiſſe debeat. Multa præterea majorum ſuorum exempla retulit, qui pro Eccleſiæ dignitate, & auctoritate conſervanda multa diſcrimina obire non dubitaſſent. Sui vero erga ſacroſanctam Chriſti Eccleſiam animi Gerbiniam expeditionem, quam pro Chriſtiani generis gloria ſuſcepiſſet, in primis teſtem eſſe. Quapropter quæ egiſſet, non voluntati, ſed neceſſitati attribui oportere. Pacem ſe libenter & accipere, & dare, ſi modo æqua poſtularentur, concedanturque: hanc ſuæ voluntatis, atque conſilii ſummam eſſe. Poſtquam dicendi finem fecit, Legatus, quibus potuit, verbis bellum a Pontifice geſtum excuſavit, docens non odio, ſed humanitate compulſum, adverſus eum bellum geſſiſſe: neque potuiſſe Renati a ſe auxilium implorantis preces averſari. Sed poſtquam ille Regno extruſus eſſet, remota belli cauſa, Pontificem ad pacem mentem convertiſſe; ſeque ejus rei auctorem in primis apud Eugenium fuiſſe. Admiratum jampridem tum animi, tum conſilii, tum rerum ab eo geſtarum magnitudinem, ſummam præterea in bello conſtantiam, amicitiam illius ultro expetiſſe, qua quidem per pacem ſibi perfrui liceat. Poſt hæc cum de pace aliquandiu colloquuti eſſent, ab eo ſermone uterque ſpe plenus diſceſſit. Cepit autem utrinque ex eo ſermone mutuæ virtutis, atque prudentiæ ingens opinio, atque admiratio: idque ad ſuos reverſi, alter alterum magnificis, atque ampliſſimis verbis extulerunt. Poſtridie autem Rex ad Legatum profectus, quum non concederentur poſtulata, ita ab eo diſceſſit, ut omnes intelligerent ſpem pacis nullam eſſe. Et jam uterque, quaſi deſperata pace, abire ſe inde velle pronuntiaverat, jamque ad diſceſſum parabantur omnia; quum mox Legatus fruſtra a ſe ſuſceptum iter dolens per interpretem rem componi poſſe arbitraretur, Alphonſum Protonotarium (ea dignitas apud Pontificem haud contemnenda exiſtimatur), cujus fidem erga ſe norat, peridoneum cenſuit, per quem inchoata, ac jam deſperata pacis mentio revocaretur. Norat quippe in eo viro haud minus prudentiæ, quam fidei rebus gerendis ineſſe; & quod erat genere Hiſpanus, propter linguæ peritiam, quæ ſibi obſcura erat, hoc illi magis cum Rege conventurum putavit. Vocato igitur ad ſe Alphonſo, mandat, uti Regem adeat, eumque, facta loquendi poteſtate, a quibuſdam poſtulatis, quæ minus æqua cenſebat, avertere conetur: ſcripſitque ad Regem orans, ne gravaretur ſecum, de iis, quæ ad pacem pertinerent, rurſus agi; Alphonſi fidei quævis magna,

& arca-

Digitized by Google

& arcana committi posse. Multa sæpe, quæ inter ipsos rerum authores effici non potuerunt, per internuntios composita, atque confecta esse. Acceptis mandatis, Protonotarius e vestigio ad Regem profectus, primum ne quid Rex miraretur, quod, quum is genere Hispanus esset, adversus eum superiore anno arma cepisset, id factum excusavit. Deinde edocuit, quantum nomini, gloriæque ejus Pontificis pacem, & gratiam conducere existimaret: namque ut turpe ad famam videretur tantum Regem cum Pontifice bellum gerere, etiam si esset fortasse justum, ita posita contentione, ejus authoritati parere, & adversus Romanum Pontificem minime contumacem esse, glorioſum haberi. Post hæc quum rursum de pacis conditione agi cœptum esset, in alias rursus difficultates inciderunt. Atque cum nihilominus pacem effici posse alia quadam via demonstrasset, assensus Rex, Alphonsum Episcopum ad Legatum misit, qui rogaret, ne eo die discederet, quod pacem componi posse rursus in spem venisset. Quod cum illi placuisset, consilium manendi cepit, posteroque die ad Regem profectus, Alphonsum una secum sermoni, quem cum Rege esset habiturus, interesse voluit. Rex itidem Franciscum Ursinum (Romæ Præfectus perpetuus is erat, qui honor in Italia amplissimus habebatur) ad se vocavit: iisque multa inter se de pace colloquutis, post longam disceptationem pax ad postremum his verbis dicta, atque conscripta est: Eugenius Pontifex Alphonsum Neapolitanorum Regem constituat, appellatque de more ipsum Regem, & Regni jura omnia ei, liberis, posterisque libera in perpetuum tradat, quemadmodum prioribus Regibus a Pontificibus tradi consuevissent. Ferdinando Regis filio, cui Rex post mortem Regnum destinaverat, succedendi potestatem faciat. Alphonsus contra Eugenii authoritati se subiiciat, atque opituletur ad agrum Picenum, quem Franciscus Sfortia armis occupaverat, vindicandum. Si quando Pontifex adversus Turcas, aut Afros bellum suscipiat, Rex cum classe adjuvet. Sacerdotio præditos, sub Concilii prætextu Basileam profectos, revocet, nec patiatur tres e suis, qui Cardinales ab Amadeo Sabaudiensi creati fuerant, revertentes, pro Cardinalibus suscipi, haberive, si posito ejus honoris titulo venire renuant, ipse Pontificis edictum cum cura in eos exequatur.

Erat hic Amadeus Sabaudiensis Dux, sane inter Principes sui temporis existimatione, atque extra hanc immoderatam Pontificatus cupiditatem, omnino clarissimus. Is enim sua industria,

Digitized by Google

ſtria, ſine armis, ac ſine exercitu prope ullo, paternum imperium plurimum auxerat: in tantam porro dignitatem, ac potentiam evectus, ut ampliſſimorum Regum filias liberis deſponderit, ipſe filias maximis Regibus collocaverit. Pontificatus titulum per ſacerdotum, ac Principum diſcordiam adeptus, Eugenii authoritatem penitus contempſit. Quo mortuo, Nicolao, qui Eugenio ſucceſſit, facti penitus, poſito Pontificio nomine, & Cardinalis recepto, paruit, pauloque poſt cum laude mortem obiit. Poſtulabat Rex præterea, uti Terracina, urbs in confinio Regni ſita, firmiſſimum ipſius Regni clauſtrum, itemque Beneventum urbs in Samnitibus clara, ac potens ſibi, poſteriſque traderetur. Legato quidem ea oppida Regi tradi placebat, quoad ei vita contingeret, ſed in hæredes transferri, inconſulto Pontifice, nolebat. Hac igitur re una ſuſpenſa, quum de cæteris conveniſſet, Privernum Legatus rediit, Alphonſo apud Regem relicto, qui id ageret, curaretque, ut quæ de pace acta erant, publicis monumentis mandarentur. Qui cum utriuſque gratiam promereri cuperet, ne id unum obſtaret, quominus pax conficeretur, æquum ſtatuit, ſi Rex ea oppida recepta in hæredes quoque transferri vellet, uti pro iis ipſe Matricem Civitatem, atque Accumulum, in Marſis oppida, Romanæ ditionis faceret. Quæ conditio cum Regi placuiſſet, jubente Pontifice, a Legato recepta, atque comprobata eſt.

Poſtridie ejus diei, quo hæc effecta ſunt, Nicolaus Piccininus Regis vocatu Terracinam venit, triremibus Regiis advectus. Hic eſt ille Nicolaus, de quo prioribus libris mentionem fecimus, qui Bracii præſtantis copiarum Ducis artibus, ac præceptis militaribus inſtitutus, ipſum etiam Bracium rerum geſtarum magnitudine gloriaque poſtremo ſuperavit. Cum eo de rei militaris Principatu, qui poſſet concertare, unus ex omnibus copiarum Ducibus ſuæ tempeſtatis inventus eſt Franciſcus Sfortia, vir in armis plurimum excellens, fecitque dubium uter alteri anteponendus eſſet. Nam cum ſcientia rei militaris, atque auctoritate pares putarentur, diverſa tamen utriuſque conſilia in bello erant. Nicolaus utique dimicare paratior, prælium ex occaſione protinus ſumere, hoſtem celeritate prævenire, excurſione fatigare, levis armaturæ equite, magis quam pedite uti, fortes modo, atque aſperos milites amare, hoſtium numero non terreri. Franciſcus vero arte, ac ſolertia magis nitens, raro, nili ex deſtinato, confligere, ſedendo, atque obſidendo hoſtem frangere: peditatum

Digitized by Google

multifacere, argento, atque auro cultos milites habere, potentiorem se hostem non temere aggredi. Denique Nicolaus in milites indulgentior, Franciscus sævior habebatur. Erat inter eos non æmulatio modo ob rei militaris gloriam, cujus primas partes sibi uterque arrogabat, verum & simultas ingens ob veteres inimicitias, quæ olim inter Bracium, ac Sfortiam fuerant; quorum alter, ut ostendimus, Francisco pater, alter Nicolao magister, & dux fuerat. Atque idcirco non tantum ut hostes, sed ut inimici inter se bellum gerebant, nec sub uno, eodemque Principe, ut militarent, adduci poterant: de quibus hoc loco hæc effari libuit, quoniam ii duo omnes memoriæ nostræ copiarum Duces virtute, ac rebus gestis, consensu omnium, vicerunt. Erat autem Nicolaus Philippi copiarum Dux, quibus multos annos cum imperio præfuerat. Cum autem Franciscus, præter agrum Picenum, pleraque Romanæ ditionis oppida occupasset, per finiti stipendii speciem a Philippo dimissum, ac Romam profectum, copiis eum Pontifex præfecerat. Is vero, eo tempore, ad Tuscanellam (quod oppidum Franciscí præsidio tenebatur) castra habebat. Expectabat Rex ejus adventum, ut una secum de Picena expeditione, quam jam animo instituerat, consultaret. Profecto Terracinam, ingens ad eum, videndi desiderio, concursus fuit. Multi enim virum illum fama cognitum, ob res ab illo gestas, videre cupiebant. Triduo de ratione belli adversus Franciscum gerendi, quantisque copiis opus foret, consultatum est. Quibus constitutis, inde digressus, primum ad Civitatem Veterem (quam Centumcellas quidam olim appellatam putant) atque inde Tuscanellam, in castra rediit. Post hæc Alphonsus Cajetam se recepit, dimisso a se Protonotario cum pacis fœderibus obsignatis, ut ea quoque a Legato, qui apud Privernates constiterat, confirmarentur. Qui, re quam primum absoluta, celeriter ad Regem reversus, ea rite obsignata tradidit. Per id temporis Simon Guilinus, ac Gunifortis Bergomensis bonarum artium peritia clarus, legati a Philippo ad Alphonsum profecti sunt. Hique pro amicitia ea, qua Alphonsus, ac Philippus devincti erant, Regem oratum venere, uti Picenam expeditionem vel sua causa haud gravate aggrederetur. Placere Philippo Franciscum, qui, mutato animo, alienas partes sequi videbatur, e Piceno summovere. Dederat ei uxorem Philippus Blancam filiam, quæ illi unica erat, & quamquam illa haud ex uxore suscepta, at quam unice amaret. Postquam vero eum a se abalienatum cognovit, rursus inter eos graves inimicitiæ exortæ sunt. Maxima vero abalie-

alienationis ejus causa putabatur, quod Philippus Nicolaum, quem universis copiis præfecerat, in magno honore habebat. Usque adeo vero illius processit indignatio, ut non ante Nicolai mortem, quamvis rogantibus amicis, Philippo reconciliari potuerit; Rex Legatis respondit, se, quod ad fidem suam pertinere id sciret, bellum susceperum; & quoniam id illi quoque placere cognosceret, hoc se impensiore cura persequuturum: id modo se rogare, uti Philippus in proposito permaneret. Turpe enim postea fore inchoatam expeditionem deserere, ne id factum metu, aut minus honesta causa putaretur. Sperare se Dei Optimi Maximi ope, qui sanctissimam Christi Religionem impune violari non sinat, Romani Pontificatus opes restitutum iri. Ad ea Legati, hanc esse immutabilem Philippi sententiam: pergeret modo, & copias in Picenum mitteret. Quibus compositis, Arnaldum Urgelensem Episcopum, excellentem virum, Franciscum Ursinum, Berengarium Harilium Legatos ad Pontificem misit: qui ei de pace congratulantes, seque ejus auctoritati submittentes suo nomine officium præstarent: iique benigne a Pontifice suscepti sunt. Post hæc Protonotario ad Legatum, atque inde ad Pontificem reverti jusso, qui, quæ acta de pace fuerant, comprobari, atque ad se afferri curaret in bellum Picenum, toto jam animo incumbens, Neapolim rediit. Cæterum quo magis suam voluntatem & studium erga Romanum Pontificem testatum apud omnes faceret, licet per pacis conditiones haudquaquam teneretur, ipse in eam expeditionem proficisci statuit, nec per vicarium, sed per se ipsum bellum gerere, cumque universis copiis in Picenum contendere. Atque ita, nulla interposita mora, in prata Campana, copiis omnibus celeriter coactis, primo quoque tempore per Pelignos, ac Marsos iter faciens, quinque milia passuum ab Aquila castra fecit. Erat ea urbs armis, virisque in primis pollens, prævalebatque in illa ea factio, quæ Renati partes in bello sequuta fuerat: ea Campaniſca appellabatur; cujus Princeps dignitate atque auctoritate erat Antonutius, vir rei militaris, sed jam senior, peritissimus: atque ob id ejus fides nonnullis, qui apud Regem erant, suspecta habebatur. Cumque in castris Rex esset, non contemnendi quidam adversæ factionis homines ad eum clam profecti monuerunt, ne urbem intraret; comparatam enim esse ab Antonutio magnam clientium manum, qui eum urbem ingressum obtruncarent. Quæ Rex tanquam vana aspernatus, nihilo secius postero die, uti constituerat, nullo suspicionis signo edito,

Digitized by Google

ingreſſus urbem eſt. Nec quiſquam omnium fuit (ſive eos Regis fiducia deteruerit, ſive is nuntius, quod quidem plures exiſtimarunt, vanus fuerit); qui non obedientiſſime Regi officium præſtiterit, nullo prorſus honore erga eum ab Antonutio, illiuſque factionis hominibus prætermiſſo. Urbe tranſmiſſa, quina millia paſſuum inde caſtra poſuit.

Inter hæc Protonotarius, quem ad Pontificem profectum diximus, Senas (ibi enim per id temporis Eugenius agebat) profectus, nonnullos Cardinales partim Italos, partim Gallos omni ſtudio, ne pax rata haberetur, apud Pontificem intercedentes reperit. Cæterum ubi Protonotarium audivit, iis rejectis, paci & ipſe annuit, quæque Legatus egerat, rata habuit, comprobavitque. Poſtquam Regii Legati ad Pontificem profecti mandata expoſuere, Regem ſeſe ſubiicere ejus auctoritati pronuntiarunt. Quibus benigno reſponſo dato, Eugenius rurſus Protonotarium ad Regem miſit, qui & pacis, & confirmati Regni diplomata ad eum deferret: quorum alterum, quo pacis, & fœderis comprobatio continebatur, accepit; alterum de Regni confirmatione, quod in eo nonnulla addita erant, quæ ſibi haud ſatis placebant, reſpuit, quanquam ea ſuperiores Reges Pontificibus præſtare mos eſſet. Et quoniam Regi nonnulla ſuſpicio injecta fuerat, Pontificis, ac Philippi conſpiratione ſibi in Piceno inſidias parari, cum jam Picininus Picenum verſus cum exercitu contendiſſet, aucta eſt ei nonnihil ſuſpicio, ne non ſatis ſincera fide Eugenius ſecum ageret, qui ea in eo fœdere comprehendi voluiſſet, quæ ſe haudquaquam præſtiturum ſciret. In primis vero Joannes Antonius Tarentinus Princeps, aliique nonnulli Regni Proceres, quos in eam expeditionem ducebat, ne ulterius progrederetur, ſuadebant; quæ quidem res illum nonnihil conſilii incertum reddidit. Tandem omnibus circumſpectis, quum ſibi reditum turpem fore exiſtimaret, ne unum Piciniuum in diſcrimen miſiſſe videretur, qui jam ad Biſium caſtra poſuerat, nec par copiis Franciſco erat, adverſus eum (ita enim fama erat) adventanti progrediendi conſilium cepit, Joanne Liria, claro equite, cum peditibus mille ad eum præmiſſo, quem virum non fide tantum, morumque elegantia, verum etiam ob gravia ſæpe adita pericula dignitatis ſuæ tuendæ cauſa, valde diligebat: qui cum Picinino conjunctus permagnum caſtris momentum acceſſit. Cumque Rex e Protonotario ſuſpiciones, in quas inciderat, falſas eſſe cognoviſſet, conſtituit fallax potius

con-

Digitized by Google

conſilium ſubire, quam a ſuſcepto ſemel conſilio diſcedere. Atque ita caſtris motis, continuato itinere, Nurſiam verſus profectus eſt, eo conſilio, ut Biſium, qui locus a Picinino obſidebatur, peteret. Ibi eum Nicolaus cupide expectabat, propterea quod vulgo increbruerat, ut diximus, Franciſcum eo cum omnibus copiis, ut obſeſſis opem ferret, propediem venturum. Nec dubitabat, poſtquam ſe cum Rege conjunxiſſet, fore, ut Franciſcus conſilium mutaret. Cumque ad ſeptem millia paſſuum a Nurſia caſtra poſuiſſet, venit ad eum Picininus, qui tantiſper copiis præeſſent, in caſtris relictis. Ad viginti equites, magni & clari in armis viri, cum eo acceſſere. Aberant autem caſtra Regia a Biſio haud amplius ſexdecim millibus paſſuum. Fuit illius adventus Regi perquam gratus, præſertim quod tam libere, ac paucis comitatus equitibus ad eum veniſſet, multumque ex ea animi fiducia, quam ille in omni ſermone præſeferebat, jam omni ſuſpicione poſita, confirmatus eſt. Neque enim videbatur dubitare Nicolaus, quin, ubi vires in unum contraxiſſent, hoſtibus ſuperiores forent. Animadvertebat enim egregiam bello manum cum Rege adventaſſe. Florem namque totius Regni, ac præterea Hiſpanos, Siculos complures, fortes viros, in eam expeditionem Rex aſſumpſerat, quod ſciret ſibi cum Duce haudquaquam contemnendo, cumque validiſſimis copiis rem futuram. Poſtero die motis inde caſtris, Rex una cum Nicolao Biſium ire perrexit. Quumque oppido appropinquaret, adventus ejus cognito, oppidani conterriti, Pontifici abſque certamine deditionem fecere. Eam enim deditionem ſibi fieri Rex non eſt paſſus, uti omnes Picentes Populi agnoſcerent, ſeſe pro Eccleſiæ dignitate, non pro ſuis commodis gerere bellum, neque ullum poſtea oppidum aliter dedi permiſit. Cæterum quoniam locus caſtrorum, ob anguſtias, tantorum exercituum minime capax videbatur (relicto ibi Nicolao), ipſe ad Plebem Taurinam agri Camerinatis progreſſus, caſtris poſitis, Nicolaum præſtolatus eſt: quo poſtridie mane Nicolaus profectus, ac per media Regis caſtra tranſgreſſus, ultra eum locum circiter ſex millia paſſuum & ipſe poſuit caſtra. Eo die Rex, quo exercitum recrearet, ibidem ſubſtitit, poſteroque die digreſſus, Nicolaum cum omnibus copiis in armis reperit. Ibique conjunctis exercitibus, ultra eum locum, quem Portam Serravallis vocant, (anguſtiæ quædam ſunt difficiles tranſitu) profectus, juxta ripam Clentis fluminis caſtra poſuit. Quo in loco agnovit Franciſcum haud procul a Sancto Severino oppido ab-

abeſſe, & cum eo Sigiſmundum Malateſtam, qui gener ſocero in auxilium, cum copiis haud contemnendis, venerat. Erant in hoſtium exercitu ad octo millia militum. Conſtituerat autem Rex eo die, commeatuum inopia, quorum quidem magnam vim parari oportebat, conquieſcere. Cæterum ut accepit Franciſcum unius modo diei iter a ſe abeſſe (mutato repente conſilio) circiter ſecundam noctis vigiliam ulterius progredi cœpit, omiſſoque recto itinere (quod Tolentinum ferebat) ad lævam flexit: ea enim eſt via rectior ad Sanctum Severinum contendenti, quo in loco Franciſcum caſtra metatum diximus, quamvis propter locorum aſperitatem, equiti aliquanto incommodior eſſet. Cumque jam orta luce, Rex ad collem Lutii (ita caſtellum vocant) perveniſſet, qui locus a Sancto Severino haud multum aberat, factus eſt certior Franciſcum, cognito ejus itinere, motis propere caſtris Cingulum conceſſiſſe. Erat ea Regio plurimum montana, & ob id Franciſcus hoſtem majore periculo ea loca ſubiturum putarat. Quod poſtquam in caſtris auditum eſt, maximis clamoribus milites a Rege poſtularunt, uti caſtellum, de quo ante diximus, quo militiam haud ſegnem agerent, a ſe oppugnari ſineret. Quorum ſtudio perſpecto, Rex, quamquam invitus propter Caſtellanorum calamitatem, id poſtulantibus conceſſit. Movit etiam nonnihil Regem commeatuum indigentia, quos undique comparari, quacumque ratione, neceſſe erat; atque ita bipartito exercitu, juſſit, ut ab una parte Nicolai copiæ, ab altera ſuæ caſtellum invaderent. Quumque jam pugnari cœptum eſſet, Sanſeverinates, qui Franciſcum, metu Regis, ſeſe Cingulum recepiſſe cognoverant, miſſis ei obviam Legatis, antequam propius accederet, allatis portarum clavibus, deditionem facere conſtituerunt. Qui cum ſeſe ad pedes ejus ſupplices projeciſſent, traditiſque clavibus, nulla Pontificis mentione facta, deditionem facerent, Rex iis longa oratione oſtendit, ſe nulla ſui commodi ſpe, aut dominandi cupiditate, ſed pro Romanæ Eccleſiæ dignitate, & commodo, eam expeditionem ſuſcepiſſe: gratam ſibi accidiſſe talis erga ſe animi ſignificationem: cæterum æquum eſſe, cùm pro Pontifice bellum gerat, ei quoque (id quod omnino ſibi conſtitutum ſit) deditionem fieri. Cujus illi voluntate cognita, Pontificis Legato deditionem fecerunt, cui & claves ad ſe allatas Rex tradi juſſit.

Inter hæc quum caſtellum diutius reſiſtere haud poſſe videretur iidem Legati ſuppliciter a Rege petierunt, uti ſuos a dimicatione revocaret, nec caſtellum everti, atque proponi ad prædam pa-

Digitized by Google

pateretur. Facturos haud dubie caſtellanos, quod Sanſeverinates feciſſent, itemque omnes Populos, qui ſui juris, ac ditionis eſſent. Quorum precibus permotus, quamquam victoria jam in manu eſſet, receptui cani juſſit. Poſt hæc Cingulum verſus movit, quo Franciſcum ſeſe recepiſſe docuimus, triaque modo millia paſſuum a caſtello progreſſus, haud procul ab amne Potentia caſtra poſuit. Eodemque die, quo fortiori, ac fideliori opera Nicolai Piccinini uteretur, ſimul ut omnis exercitus ad pericula ſubeunda paratior fieret, eum copiis omnibus præfecit, congeſtis in illum maximis laudibus, nullaque re, quæ poſita ſit in honore verborum, prætermiſſa: nec quiſquam e Regiis fuit, qui non maxime conſilium ejus comprobaverit. Poſtridie ejus diei Rex, motis caſtris, Potentiam verſus ire cœpit, cumque in itinere certior factus eſſet, Franciſcum, locorum opportunitate fretum, ſtatuiſſe in his locis conſiſtere, quamquam multi eſſent, qui hujuſmodi profectionem propter viarum iniquitatem diſſuaderent, nihilominus, ut Nicolaum contrariæ ſententiæ eſſe animadvertit; (tantum illi viro in re militari tribuebat), cœptum iter perſequi inſtituit. Cæterum, quod diei haud multum ſupererat, & itinera eſſe diligentius exploranda videbantur, tum quod feſſos continuatis itineribus milites recreari oportebat, eo die Potentiam non eſt ventum. Franciſcus autem, cognito ejus itinere, atque conſilio, cum varias ſuorum ſententias cerneret, diſpoſitis per oppida quæque præſidiis, ne cum Rege dimicare cogeretur, e Piceno concedere conſtituit, miſſoque Firmum, quod eſt Picentium caput, Alexandro fratre viro forti, Joannem Tolentinum, cum ſexcentis equitibus Auximum, Troilum Eſim, Robertum fratris filium cum quibusdam aliis copiarum ductoribus, Roccam Contratam, (ita appellabant id oppidum) præſidio ire juſſit. Quo digreſſo, Petrus Brunaurus unus e copiarum ejus ductoribus, quo multum uti ſolebat, ſive Regis pollicitationibus ductus, auctore Inico Ghævara, uno e purpuratis Regi percaro, cum is ad Franciſcum colloquia poſtulantem, aliquanto ante miſſus a Rege iſſet, ſive is aliquid gravioris iræ adverſus Franciſcum concepiſſet (ad octingentos is equites ducebat) mox ad Regem cum copiis tranſit. Qua re cognita, Franciſcus in graviores rurſus curas incidit. Cogitabat enim, quantum ſibi roboris detractum fuiſſet, tantum hoſti acceſſiſſe. Rex autem conſilii ejus neſcius, in conſultando de ratione traducendi per montes exercitus, mittendiſque in diverſa exploratoribus, ut ſciret, quænam itinera ad

ho-

Digitized by Google

hoſtem expeditiora eſſent, eum diem conſumpſit. Poſtridie vero itinere comperto, cum jam moturus eſſet, factus eſt certior Franciſcum cum reliquis copiis eo animo, ut nuſquam cum eo congrederetur, ex iis locis diſceſſiſſe. Cumque cognoviſſet eum jam abeſſe, quantum uno die itineris conficere ipſe non poſſet, ne nequicquam in perſequendo hoſte tempus tereret (mutato conſilio) eo die inter montem Melonem, quem appellant, ac Monticulum copias duxit. Ad cujus primum adventum oppidani perculſi, præterea Maceratenſes, ac Tolentinates, quod Franciſcum copiis imparem Regi norant, Pontificis legato deditionem fecere. Quæ Franciſco renuntiata, eum vehementer ſollicitum habuere. Nam nec ulla præſidia, quæ per oppida diſtribuerat, ſatis firma poſthac fore exiſtimabat, nec dum ſatis ſciebat, quanam ratione tantæ exortæ ſubito tempeſtati occurreret. Quamvis enim Florentinos, ac Venetos, quorum antea bello Dux opes, ac gloriam auxerat, fautores haberet, tamen in tam ſubito caſu, ac tam adverſis ſuis rebus, præſertim cum adhuc bellum iis cum Philippo eſſet, eorum auxilia deſperabat. Inſtabat enim Alphonſus, ac protinus cedentem urgebat, ex quo fiebat, ut ſeſe haud ſatis tutum ullis murorum munimentis putaret. Populorum enim inconſtantiam verebatur, quam partim rumor Regiæ potentiæ, partim Religionis metus, ut ſeſe aliquando impiæ rebellionis nota liberarent, faciebat. Et Florentini quidem, & Veneti eum e Piceno ſummoveri ægre ferebant, ſed auxilium ferre non poterant. Nec vero exiſtimaverant fieri poſſe, cum ſcirent quantas Franciſcus copias haberet, quantaque is virtute bello gerendo eſſet, ut tam facile hoſtibus cederet, conſilio modo, & ſpe (quod unum in rebus tam ſubitis poterant) illum adjuvabant. Is igitur ad artes converſus, quandoquidem nulla alia apparebat reſiſtendi ratio, ſimulandam cum Philippo cenſuit reconciliationem, ejus conſilium Venetis, ac Florentinis approbantibus. Miſit igitur e ſuis, qui Philippo nuntiaret ſeſe in gratiam ejus redire cupere, nec amplius ejus voluntati refragrari decreviſſe, quem ſibi parentis, ac Principis loco unum eſſe colendum conſtituiſſet, & a quo ſummis beneficiis ſeſe ornatum eſſe meminiſſet; modo is, poſita animi acerbitate, atque iracundia, præterita animo obliteraret. Quæ cum audiſſet Philippus (is enim illum non tam omnino fractum, quam debilitatum, & imminutum, quo eo liberius uteretur, velle exiſtimabatur; fit enim natura, ut quæ optemus, ea facilius in ſenſus noſtros irrepant)

Digitized by Google

pant) confeſtim miſit unum ex iis, quorum opera uti conſueverat, ſi quando quempiam citra Legati nomen, & dignitatem mittere volebat, qui, quæ ille vellet, peteret, & percontaretur. Ad quem Franciſcus longa oratione uſus (ut erat homo ad perſuadendum non natura modo, ſed etiam quadam arte compoſitus) præterita purgare oſtendit, quæ egiſſet adverſus Philippi voluntatem, ea ſibi moleſta eſſe, & quando ea infecta fieri non poſſent, ſeſe illa perpetuo obſequio emendaturum: Quæ tamen non ipſius odio, ſed magis inimicorum injuriis, & contumeliis impulſus, ſtimulatuſque effeciſſet; quorum ſemper in id unum ſtudium vehemens fuiſſet, ut ipſius Philippi animum per calumnias a ſe averterent, quibus tam facile credi haud par fuiſſe: Philippum debuiſſe exiſtimare neminem ſibi fideliorem, aut dignitatis, amplitudiniſque ſuæ cupidiorem, quam ſe eſſe, quem ſibi generum ex tam multis claris Principibus delegiſſet, cuique poſt mortem tantas opes, tantum Imperium eſſet relicturus. Miraturum vero ſe magis fuiſſe, quonam modo adduci potuiſſet, uti adverſus ſe copias mitteret, niſi eum, qui miſſus eſſet (deſignabat autem Piceninum) propter veteres inimicitias tam cupide contra ſe profectum intelligeret. Hæc, atque alia hujuſmodi cum dixiſſet, & purgaſſe præteritam contumaciam ſibi ſatis viſus eſſet, quæ a ſocero vellet, adjecit. Idque in primis, uti a Rege poſtularet, ut e Piceno exercitum reduceret: ſcire ſe Regem pro ea amicitia, quæ illi ſumma cum Philippo eſſet, ejus voluntati facile obſecuturum. Quo nuntio pacatus Philippus, illi in gratiam recepto, poſtulata conceſſit, atque hæc clam Rege omnia. Nec mora Joannem Balditionum ad Regem miſit, qui iis de rebus eum certiorem factum oraret, uti, omiſſa expeditione, cum exercitu e Piceno diſcederet. Franciſci incolumitatem ſibi, ut generi, ac filii curæ eſſe. Nec tamen, quænam eſſent pacis inter ſe conditiones, atque an iis Rex ipſe nominatus eſſet, quicquam nunciandum curavit. Hæc Regi nuntiata nonnihil eum conturbaverunt, potiſſimum cum jam uſque adeo progreſſus eſſet, ut referre pedem, abſque dignitatis ac nominis ſui jactura aliqua, non poſſe videretur. Nam cum Pontifici fidem dediſſet, non quieturum, donec Picentes Franciſci dominatu liberatos in illius poteſtatem redegiſſet, hanc a ſe deſeri cauſam honeſte non poſſe exiſtimabat; nec vero deerant, qui Philippum tam facile illum in priſtinam gratiam revocaſſe opinarentur, quod eſſet veritus, poſtquam Rex Franciſcum e Piceno ſummoviſſet, (erat

Digitized by Google

enim natura in ſuſpicionem pronus) ne res ſuas, ubi aliqua diſſenſio exorta eſſet, cum vellet, perturbaret; præſertim cum ab eo una prope excurſione maximam agri Piceni partem Franciſco ademptam cognoviſſet. Quapropter cœptam expeditionem, ac magna jam ex parte confectam perſequi inſtituit, Balditiono edocto, cur ſibi non liceret ſuſceptam ſemel pro Pontifice cauſam deſtituere; quam, ut toto ſtudio perſequeretur, Pontificis Legatus inſtaret. Poſt hæc oppidis, quæ ad Eugenii Imperium redierant, præſidio firmatis, ad Cornicis ſaltum haud procul a Cingulo caſtra fecit. Cujus conſilio, atque itinere comperto, Franciſcus propere inde movit, ne aut in oppido obſideretur, aut cum Rege neceſſario decertare cogeretur. Itaque oppidani, cum ſeſe deſtitutos ejus auxilio animadverterent, & ad obſidionem res ſpectare videretur, miſſis ad Regem oratoribus, triduo poſt deditionem fecerunt. Inde ad Caſtrum Planum profectus, cum oppidani deditionem detrectarent, ac propter opinionem reſiſterent, id continuo admotis copiis cepit. Et quo cætera oppida minus recuſarent in jus ac poteſtatem Romani Pontificis redire, oppidanorum bona Legati juſſu militi in prædam permiſit.

Dum hæc aguntur, Philippus Franciſci gratia rurſus ad Alphonſum literas per tabellarium in eamdem ſententiam miſit, ſed prioribus aliquanto urgentiores, orans, atque obſecrans, ut, omiſſis Piceni rebus, exercitum in Regnum reduceret. Erant autem conſcriptæ eæ literæ apud Franciſcum ab eo, quem Philippus ad ſe miſerat, quibus verbis Franciſcus ipſe dictaverat. Cumque his literis alteras idem tabellarius attulit a Simone Guilino, qui pro Philippo fœdus apud Terracinam renovarat, in quibus ſcriptum erat reminiſci Alphonſum debere fœderis ipſius legibus contineri, ſimul atque is intellexiſſet Philippo placere, eſſe exercitum in Regnum reducturum. Quibus rebus Alphonſus graviter commotus, præſertim cum ea expeditio Philippi potiſſimum hortatu a ſe ſuſcepta eſſet, nec vera eſſent, quæ Guilinus ſcripſerat, mittere quempiam e ſuis ad Philippum conſtituit, qui cum illo his de rebus expoſtularet. Itaque vocatum ad ſe Matthæum Maleferitum, virum & juris ſcientia, & conſilio clarum, cujus erga ſe fidem, ac diligentiam antea aliis in legationibus expertus fuerat, ad iter comparari juſſit, atque quo tutiore, & commodiore via proficiſceretur, expectandum illi ait Sigiſmundum Malateſtam, qui ad ſe quam primum venturus eſſet; per ejus agrum brevius iter fore. Erat quidem Sigiſmundus

Digitized by Google

dus ex nobili Malateſtarum genere, ex quo multi illuſtres viri belli & pacis artibus orti ſunt. Hic enim ſua ipſius gratia cum Franciſci, cujus gener erat, favore ſublatus, inter copiarum Duces clarus habebatur; qui cum furentis procellæ venientem in ſe impetum ſuſtinere ſe poſſe diffideret, Regis amicitiam a ſe expeti ſimulavit, eam unam rerum ſuarum ſalutem arbitratus: & quo tuto iret, fidem a Rege petierat, impetraveratque. Cæterum cum per exploratores certior factus eſſet, Regem procul a ſe iter facere inſtituiſſe, ejus adeundi conſilium immutavit. Quem fruſtra expectatum ut Rex ad ſe non ire animadvertit, ratus (id quod erat) illum aliquid novi conſilii cepiſſe; cum ab eo iter jam deflectere cœpiſſet, haud amplius differendum ratus, Matthæum ad Philippum abire juſſit, & una cum eo Joannem Nuceum, quod is rerum in Inſubribus, unde erat oriundus, ac præterea Philippi morum peritus putabatur. Qui ſtatim Urbinum verſus arrepto itinere, per Piceni montana in Flaminiam primum, atque inde in Inſubres profecti, Mediolanum pervenerunt. Quorum adventu cognito Philippus, qui eos in urbem deducerent, ſummos viros obviam miſit; atque iis diverſorium, & lautia data. Eo die ad Philippum ſalutandi gratia in arcem ierunt, a quo benigne comiterque excepti ſunt. Hinc facta modo ſalutatione, conſtituit Philippus tres viros, quibuscum ageret, quæ agenda eſſent: hi fuere Uguzio Contrarius, Nicolaus Guerrerius, ac Franciſcus Caſtillioneus: quibus conſtitutis rebus, domum reducti ſunt. Poſtridie ejus diei tres viri a Philippo his audiendis delegati ad eos venerunt, quidnam a Rege pertuliſſent cognituri. Ad quos Matthæus poſt primos congreſſus, ſilentio facto, hunc in modum locutus eſt: Miratur vehementer Alphonſus Rex, cum Picenam expeditionem Philippi potiſſimum hortatu atque impulſu adverſus Franciſcum Sfortiam ſuſceperit, ac Picenum ingreſſus, intra paucos dies multa illi oppida ademerit, atque in extremos jam Piceni fines compulerit, veniſſe ad ſe a Philippo Joannem Balditionum cum mandatis, in quibus erat ſe Franciſcum Sfortiam, omni poſita contentione, in priſtinam gratiam recepiſſe: ac proinde magnopere orare, uti, ea omiſſa expeditione, illum oppugnare obſiſtat; id ſibi pergratum fore, quando quidem illi fidem dederit, ſeſe eum tanta belli mole levaturum: in eoque Philippum hoc ſe faciliorem præbuiſſe, quod niſi Franciſcum tantis rerum angustiis obluctantem, ſibi reconciliari paſſus eſſet, ejus amicitiam, atque operam in omne tempus perdidiſſet;

Digitized by Google

quoniam is se perpetuo fœdere Florentinis, ac Venetis junctum esset, ne fortunis omnibus everteretur. Ad hæc, venisse paucis post diebus tabellarium quemdam cum binis ad se literis, alteris a Simone Guilino scriptis, eodem prope argumento, nisi quod hæ aliquanto duriores videbantur, quas quidem literas Regi constaret, apud Franciscum, quibus ei placuerat verbis, per Philippi scribam fuisse conscriptas. Guilini autem literas paulo insolentiores judicatas esse, quibus Regem monebat, uti eorum reminiscereturr, quæ apud Terracinam fœdere comprehensa essent: non debere igitur eum fugere; se promisisse, simul ac Philippo libuisset, se ab ea expeditione discessurum: ac proin vellet id fœdus ratum esse. Hæc autem, atque alia ejuscemodi sunt, inquit, quæ Regem in summam admirationem adduxerunt. Primum vero omnium quod Philippus tam facile sibi persuaderi passus sit, Franciscum sincera secum fide in gratiam redire, quandoquidem per Petrum Brunaurum exploratum habet, qui omnium Franciſci consiliorum est conscius, eam reconciliationem Venetorum, ac Florentinorum consilio a Francisco confectam esse, quod brevi rei exitus est indicaturus. Quæ quidem omnia Rex ipse ex Troilo, altero e copiarum Franciſci ductoribus, qui hæc ad illum scripsit, vera esse comperit. Miratur autem Rex haud minus quod de conditionibus renovati cum Francisco fœderis nihil a se cognosci voluerit, præsertim iis de rebus, quæ Pontificis, & sua quoque interfint, cum adhuc nonnulla oppida Franciscus in Neapolitano Regno occupata detineat. Nam in ipso fœdere diserte comprehensum est, si quando Philippo, mutata sententia, placuisset Regem a susceptа expeditione abstistere, præstare Philippum debere, uti Franciscus ex omnibus primum Regni oppidis præsidia educat, quod quidem a Philippo perinde neglectum est, ac si nihil omnino ad Regem pertineat quicquam de Francisco cognoscere. Quibus profecto de rebus gravius quæsturus fuisset, si cum alio illi, quam cum Philippo, res esset, quicum statuit sibi firmam, atque incorruptam amicitiam futuram. Quod autem ad causæ honestatem pertinet, considerandum Philippo etiam atque etiam est, cum id bellum Rex Pontificis Maximi jussu, cujus Neapolitani Regni jura sunt, eoque ipso maxime & autore, & impulsore susceperit, gesseritque, non licere Regi ab armis discedere, ne justa de se querimoniæ causa Pontifici exhibeatur. Præterea (quod ad dignitatem suam attinere Rex putat), multo sibi turpius existimaret, si repente mediis gerendis rebus, præ-

ser-

Digitized by Google

ſertim in tam proſpero victoriæ curſu, quam ſi nondum inchoata expeditione, hoſte tantum irritato, exercitum reduceret. Jam enim ne quid ignoretur, in Pontificis poteſtatem ſupra quinque & viginti oppida, præter caſtella plurima, redegit, ſperatque brevi fore, ut, ejectis Franciſci præſidiis, reliquum Picenum in Pontificis poteſtatem vindicet. Quod ut perficiat, quotidie a Pontifice per literas, ac nuntios rogatur. Nec vero Rex inficiatur reſpondiſſe ſe Simoni Guilino, reducturum ſe inde exercitum, ſimul ac certior factus eſſet, Franciſcum cum Philippo in gratiam rediſſe; ſed ea lege, ubi Pontifici primum ſatisfactum eſſet, ac ſibi Civitela, Theanum, ac reliqua Regni oppida reſtituerentur. Quod ſi Philippus rerum ſuarum ſecuritatem reſpiciat, certe illi optandum eſt, Franciſco Picenum adimi, ut eo, tot oppidis privato, faciliore uti poſſet, quem tantæ opes adverſus eum contumaciorem fecerunt. Tandem vero ſi Philippus in eo perſiſtit, ut velit Regem ab armis diſcedere, perficiat ipſe (quod illius fides poſtulat), ut abſque Pontificis querela ſibi facere id liceat: hoc certe præſtare Philippus debet, cujus voluntati obtemperare, ob accepta ab illo beneficia, Rex in primis cupit. Cum hæc dixiſſet, nullo illi reſponſo dato, hæc ſe ad Philippum allaturos, ac de illius ſententia reſponſuros, dixerunt. Hæc multo poſt Philippus, iis in arcem vocatis, magis mirari ſe ait, quod Alphonſus (ut taceret de Pontifice Maximo, qui major eo in terris eſſet, ut nihil de Nicolao Picinino diceret, quem virum probum, & ſibi fidelem cognoviſſet) aliorum quorundam impulſu non eſſet ei in re Franciſci obſecutus, quodque aliis magis, quam ſibi credere de ipſius animo, ac voluntate perſeveraſſet, iis præcipue, qui, ubi uſus poſtularet, pro Regno ejus tutando, quantum ipſe paratus eſſet, effundere non ſuſtinerent: debuiſſe certe Alphonſum plus ſibi in ea re fidei habere, quam cæteris omnibus, qui illum ſibi in generum, filiumque adoptaſſet. Se quidem, ſi caſus contigiſſet, ei facile obſequuturum in ejusmodi re fuiſſe. Satis ſibi conſtare Franciſcum ſincero animo eam reconciliationem quæſiſſe: ac proin illum a ſe in priſtinam benevolentiam receptum eſſe: cupereque admodum præſtare poſſe (quod quidem pepigiſſet) uti a Rege illius vexandi finis fieret, hoc uno, quod apud Regem poſſet ſeſe judicaturum. Poſt hæc ad Matthæum converſus, Te, inquit, Matthæe, appello, qui Regi natione es propior, & multis annis (quantum ex ſermone tuo judicare poſſum) in Italia verſatus es. Non es, ut opinor, neſcius & quantum ego Franci-

ſco,

Digitized by Google

ſco, quantum mihi is debet. Sed doleo me toties, ac tam multis precibus fruſtra a Rege contendiſſe, uti a ſuſcepta expeditione abſiſtat, præſertim cum ſciat, quam ejus amplitudini, gloriæque faveam. Ad hæc Matthæus, haud dubium ſe, Philippum etiam arbitrari, Alphonſum non minus ſua ipſius, quam Pontificis voluntate adverſus Franciſcum bellum ſuſcepiſſe: quod illum contumaciorem in ſe factum & cum hoſtibus ſuis conſentientem videret, quod Veneto bello, præſertim poſtquam is a ſe digreſſus, Picenum occupaſſet, manifeſto apparuiſſet. Neque enim tam facile Regem in Picenum profecturum fuiſſe, quo exercitum a ſe mitti ſatis erat, niſi eum Philippus tantopere rogaſſet: quo etiam gravius Regem tuliſſe, tanta a ſe cura Philippum poſtulaſſe, uti, omiſſa expeditione, in Regnum exercitum reduceret; præſertim cum ſibi per Petrum Brunaurum, ac Troilum conſtaret, eam reconciliationem ſimulatam eſſe, ideo ut tantam a ſe vim tempeſtatis averteret, quam aliter in re tam ſubita declinare non poſſet. Idque omne Venetorum, ſociorumque conſilio factum eſſe, brevi palam fore: quandoquidem ab iis ad Franciſcum auxilia ſub finiti ſtipendii ſpecie (ita enim fama erat) propediem ventura eſſent. Nec vero Venetos id facturos fuiſſe, niſi hæc ficta reconciliatio de eorum conſenſu facta eſſet. Cui enim verisimile videri, ſi inimico animo in Franciſcum eſſent, eos illi opem laturum? Plura dicere volentem Philippus interrupit. Subſecutum inde ſilentium, dataque venia, oratores domum reducti ſunt. Aliquot poſtea diebus de eadem re actum: cum tamen in eo Philippus perſtaret, ut vellet Regem ab armis diſcedere; quapropter Legati, ut videre tempus ibi nequicquam teri, abeundi conſilium ceperunt. Quibus facta diſcedendi poteſtate, Philippus Regi renuntiari juſſit, ſe illum ſibi patris loco conſtituiſſe, proin, in quibus vellet, ſua opera libere uteretur. Ad hæc ſi qua ipſi proficiſcentes audirent, quæ eorum animos offenderent, ne mirarentur; bono ea conſilio a ſe facta eſſe. Quæ tunc haud ſatis intellecta, mox de pace, quam cum Venetis, ac ſociis clam Rege fecerat, dicta eſſe cognoverunt. Nam quo die ipſi Florentia egreſſi ſunt, Regnum repetentes, ſive id fortuna ceciderit, ſive dedita opera a Florentinis factum ſit, iis audientibus Florentiæ promulgata eſt.

Inter hæc Rex Eſim cum exercitu ire perrexit, cui oppido copiarum Ducem, quem ante nominavimus, Franciſcus præfecerat, huic etenim viro maxime fidebat. Nam præterquam quod ſub

eo

Digitized by Google

eo multos annos in equitatu primos ordines duxerat, sororem et uxorem dederat, opinione adductus, quam de illius viri virtute haud mediocrem conceperat. Sed erat is quidem præferoci (qua quidem re multos sibi infensos fecerat) ingenio hic (quæcumque tandem ea causa fuerit) sive quod & Francisco quoque propter acerbitatem morum se invisum sciret, sive quod majora præmia e Rege speraret, sive quod, simulato transfugio, aliquid novi cogitaret, quo Franciſci res afflictas, ac perditas restitueret, aliquanto ante pepigerat per Inicum Ghevaram eis, qui clam ad se missi fuerant, tradita urbe, ipse ad Regem transiret. Itaque Esim petenti Regi obviam profectus, haud cunctanter urbem tradidit. Fuit ejus transitio Alphonso perquam grata, quoniam præter receptam urbem tam validam, intelligebat hostem magna virium parte per ejus viri discessum nudatum esse, qui & magnas copias in exercitu ejus duceret, & magnæ existimationis & nominis haberetur, tum propter rei militaris scientiam, tum propter eam, quæ illi cum Francisco erat, affinitatem. Cogitabat duos præstantes ductores, quorum utriusque consilio, atque opera forti in præliis uti consueverat, & in quibus bonam spei partem reposuerat, uno prope tempore, illi ereptos esse, quibus auxiliis destitutus nec æquo campo dimicare, nec reliqua oppida satis tueri se posse confideret, præsertim cum ab iis clusus, quibus maxime fidebat, cæteris ductoribus parum fidei esset habiturus. Rex inde, recepta Esi, ac Legato tradita, continuato itinere adversus Franciscum recta ducendum censebat; nec prius consistendum, quam illum e toto Piceno pepulisset. Cæterum Nicolaus, spe sibi allata Roccam Contratam potiundi, ut consilium immutaret, effecit, docens in ejus urbis præsidio esse, qui sibi clandestinum aditum polliceretur. Qua spe adductus Rex, cum exercitu eo profectus, castra urbi, quam maxime potuit, admovit. Quæ quidem res satis causæ fuit, ne Sigismundus Malatesta ad eum accesserit, arbitratus sibi satis temporis dari ad munienda oppida, dum Rex in ejus urbis obsessione occupatus foret, quod eam situ, ac mœnibus, validoque insuper præsidio munitam, obsidionem diu laturam non dubitabat. Alphonsus, ea urbe obsessa, tentavit sæpius (derivationibus pluribus locis factis) si qua posset aquæ usum, quæ proxima urbi erat, oppidanis auferre, quo eos, aquandi commoditate sublata, ad deditionis necessitatem compelleret. Erant in eo oppido complures equites, quorum dux erat Robertus Nequus, e Sancti Severini proceribus, qui cum equitatu, atque oppidanis hostibus

sese

Digitized by Google

ſeſe objiciens, omnes eorum conatus fruſtrabatur, adhibita intus diligentia, ne qui novi motus concitarentur. Itaque ea res ſæpius attentata, cum non ſuccederet, motis inde caſtris, Barbaram (id ei loco eſt nomen), atque inde ad Metaurum amnem ſupra Fortunæ Fanum, quo ſe Franciſcus cum reliquo equitatu receperat, continuato itinere copias duxit. Quod poſtquam Franciſcus animadvertit, ſuos intra urbem continuit. Levia tamen prælia quotidie committebantur, quibus ſæpius Franciſci equitatus intra mœnia repulſus eſt.

Per eos dies Joannes Balbus, ac Petrus Cotta, Legati a Philippo ad Alphonſum profecti ſunt, quo tempore, Regii Legati, quos ſupra memoravimus, Mediolanum petebant. Hique eadem, quæ priores, a Philippo Regem oratum venerant. Etenim tam crebræ literæ a Franciſco ad Philippum mittebantur, ut ſemper in itinere nuntios ad Regem Philippum habere neceſſe eſſet. His igitur reſpondit miſſos a ſe ad Philippum oratores, qui illum de toto animo, atque conſilio ſuo certiorem facerent: ex iis ſatis cogniturum Philippum, quæ vellet, quæque ſua ſententia eſſet. Poſt hæc paucis rerum ſummam, quas Legati ad Philippum pertuliſſent, edocuit. Forte autem, cum apud Alphonſum eſſent, tubicen quidam a Franciſco in caſtra Regia profectus eſt, impetrataque a Rege, pro ejus ordinis more atque inſtituto, liberius loquendi licentia, multa nefacia in Nicolaum præſentem ipſius Franciſci nomine probra congeſſit, proditorem, ac perfidum appellans, ac proinde Regem admonens, ne quid illi fidem haberet, nihilo fideliorem eum ſibi, quam cæteris Principibus, quorum exercitus dux erat, quamque ipſi Franciſco fore, cui fidem dediſſet, quo tempore apud Martinengum pax facta eſt, communi conſilio adverſus Regem bellum ſuſceptuum. Nec vero illum auſurum fuiſſe ſuis modo armis, ſuiſque copiis in Picenum, ſed Regis viribus confiſum deſcendere. Poſtremo eum ad certamen Franciſci verbis provocavit, in quo & Duces pariter, & milites de gloria, ac dignitate certarent. Apparituram quidem uno prælio eorum ſimul, & militum virtutem, eumdemque diem æternam aut gloriam, aut ignominiam eorum alteri allaturum. Cum hæc dixiſſet, Nicolaus jam inde ab initio orationis ſuæ commotus, multis haud levioribus convitiis in Franciſcum abſentem conjectis, fidem ſuam exemplis multis comprobans, atque illum perfidiæ arguens, reſpondit ſibi pergrave eſſe, quod non eſſet ea valetudine, qua

ante

Digitized by Google

ante acceptum in cervice vulnus extitiſſet : oſtenſurum ſe fuiſſe ſingulari certamine, uter eorum proditoris infamia notandus eſſet. Sed quando fortuna hanc ſibi facultatem, debilitato jam corpore, abſtuliſſet, oblatam conditionem læto ſe animo, cum bona Regis venia, accipere, poſteroque die cum omnibus copiis, ſub ipſam urbem Fanum, patenti campo proceſſurum. Quod cum a ſe poſtulare Nicolaum decoris tuendi cauſa Rex animadverteret, utriuſque partis ſecuritati ſeſe conſulturum recepit. Quibus conſtitutis, nuntius in urbem reverſus, quæ egiſſet, quæve eſſet Picinini mens, Franciſco renuntiavit. Quæ cum audiſſet, lætitiam vultu prætendens, parari ſuos ad tantæ gloriæ certamen in poſterum diem juſſit. At in Regiis caſtris ingens clamor, atque alacritas animorum fuit, eaque, quæ una intercedebat nox, aliis pugnandi, aliis ſpectandi deſiderio affectis, numquam finem habitura videbatur. Adeo omnes duorum præſtantiſſimorum totius Italiæ Ducum, duorumque exercituum, ac fortiſſimorum totius Italiæ equitum pugnam ſpectare cupiebant. Atque animis jam ſibi repræſentabant pulcherrimum illud ſpectaculum, in quo de gloria, ac de præſtantia rei militaris ageretur, uterve melior Dux eſſet, quod diu antea dubium fuerat, eum diem teſtaturum. Poſtridie Nicolaus hora conſtituta in campum cum ſuis proceſſit. Rex vero procul inde ad mille paſſus cum exercitu conſedit, liberum, uti convenerat, utrique parti campum præſtaturus. Manſit in armis Picininus ultra horam, tempuſque præſtitutum Franciſci cum ſuis egreſſum præſtolatus. Cæterum id fruſtra fuit. Namque Franciſcus (quæ tandem illum ratio aut cauſa moverit, ſive partam gloriam in diſcrimen, de qua eo die haud dubie jactabatur alea, adducere dubitarit, ſive quid aliud pertimuerit) intra urbem ſuos continuit. Quo viſo Nicolaus, tamquam victor mœnibus inſultans, uſque ad portas cucurrit, hoſtem voce compellans, atque increpitans. Cumque nemo obviam exiret, exultantibus ſuis, in caſtra ſe recepit. Poſt hæc Alphonſus cum in his locis tempus nequicquam teri cerneret, nec propter naturalem ſitum obſideri eam urbem poſſe, quoniam mari allueretur, qua commeatus commode importari poſſent, & Franciſci præſentia eam obſidionem laborioſiorem faceret, dimiſſis a ſe Legatis, retroducere exercitum inſtituit, diviſiſque copiis Nicolaus, Montem Aureum, ipſe Montem Arbotum (ita appellantur ea oppida) contendit. Ex quo quidem contigit Franciſcum inter duo hoſtium caſtra medium eſſe. Rex deinde continuato itinere Eſim,

Digitized by Google

atque inde Aximum, quæ oppida in Pontificis ditionem sua voluntate redierant, atque inde Firmum duxit. Cumque jam ad alteram oppidi partem, quæ ad portam vergit, castra metaretur, Alexander Franciſci frater, vir acer, qui ejus urbis, ut oſtendimus, cuſtodiæ præerat, ſubita eruptione facta (habebat enim ad ſexcentos equites), poſtremum agmen, quod Joannes Vitelliſchius ducebat, a tergo aggreſſus, terrorem intulit. Quod ubi Rex per clamores a tergo exauditos agnovit, rapta confeſtim ſigna in hoſtem convertit, caſtrorum opere intermiſſo, hoſteſque jam pugna implicitos facile in fugam verſos, intra urbem repulit. Inſigne prælium ante portam fuit, quod Regii ſuperiores, antemurali, quod pro vallo ſtabat, vi capto, uſque ad portam pugnando progreſſi ſunt: inde ad munienda caſtra continuo reditum. Erat ea urbs magna, atque opulenta, totius Picení longe munitiſſima. In ea eminebat rupes quædam tantæ altitudinis, ut ex ea, perinde atque e ſpecula quadam excelſa, omnis prope Picenus ager deſpectaretur. In ejusdem rupis cacumine planities modica inerat, quæ muro cincta, crebris turribus interpoſitis, arcem inexpugnabilem fecerat. Eam vero arcem, quod in urbis prope formam, natura circumciſa rupes fuerat, Gironem vulgo appellabant. Quam qui tenebat, univerſam Picentium Provinciam tumultu, ac terrore quatiebat. Itaque Alphonſus, proſpecto urbis ſitu, quam quidem non ut obſideret, eo venerat, ſed ut experiretur, an ſuo adventu motus aliqui in urbe fierent, cum nonnullos cives eſſe accepiſſet, qui, pulſo Franciſci præſidio, Romano Pontifici dedi cuperent, paucis poſt diebus motis inde caſtris, ad Turrim Palmarum compoſito agmine profectus eſt, eo videlicet conſilio, ut, tentata primum Aſculo urbe, exercitum in Regnum, hybernandi gratia, reduceret. Quo ego tempore a Genuenſibus miſſus, quibus cum Rege tum bellum erat, ut de induciis agerem, pridie quam moveret, ad quoddam Caſtellum haud procul a Firmo perveni. Cumque poſtridie mane ad eum iturus eſſem, ex ſtativorum incendiis caſtra inde mota agnovi. Subſecutuſque confeſtim citatis equis, non ſine diſcrimine, propter hoſtes, quibus mos eſt digredientium a tergo agmen inſequi, haud prius aſſecutus ſum, quam Marranum, quo in loco caſtra fecerat, perveni. Et quoniam nox jam ſuberat (nuntiato ei tantummodo per Lupum Urreum, qui tum caſtrorum præfectus omnibus purpuratis longe præſtabat, adventu meo) nihil propterea eo die egi. Eodem vero die paulo antequam in caſtra per-

Digitized by Google

perveniſſem; Petrus Brunaurus, ac Troilus, de quibus ſupra mentionem fecimus, de proditione ſuſpecti, comprehenſi ſunt, armis, & equis, atque omni rerum ſupellectile direpta. Nec ita temperari militum furor potuit, propter rei atrocitatem, quin & omnis eorum equitatus eandem ſubierit calamitatem. Quod tamen injuſſu Regis effectum eſt. Suſpitionem de his, præter cætera, fecerat epiſtola quædam a Franciſco, ut videbatur, ſcripta, & cum nuntio intercepta, qua rogabantur, uti cogitata maturarent, nec amplius differrent. Quos poſtea Neapolim perductos, & in Hiſpaniam miſſos Rex in arce Satabiæ, urbis Valentini agri, cuſtodiri imperavit. Poſtridie cum Rex inde moviſſet, in itinere eum ſalutavi, literaſque ad eum ſcriptas tradidi. Quibus lectis, cognita adventus mei cauſa, ſeſe caſtris poſitis, quæ attuliſſem, auditurum inquit. Cæterum eo die nihil ea de re, quoniam ſero caſtra poſita eſſent, agi potuit. Poſtridie eo iter perſequente, ventum eſt Aſculum, urbem in Picentibus validam, ſituque nobilem, quam ab altera parte mons ſublimis, in quo ſita eſt arx, ab altera Truentus amnis ripis prærltis munit. Urbs ipſa plano, ac patenti campo poſita atque ædificiis perfrequens. Ejus oppidi aliquot cives, patria per ſeditionem pulſi, cum ad Alphonſum profecti eſſent, eique ſpem feciſſent inteſtinorum motuum, ubi cum exercitu appropinquaret, propter clientelas, quas in urbe haberent, ne tantæ occaſioni deeſſet, magno præſidio Franciſcum nudatum iri arbitratus, ſi ei tanta urbs, tamque opportune in ipſo Piceni agri introitu ſita, adimeretur, facilioreſque fore poſtea Pontifici adverſus Franciſcum belli reliquias, eo confeſtim duxit, ac ſub urbem ad mille paſſus caſtra fecit. Erat ei urbi præſidio Joannes Franciſci frater cum valida equitum, peditumque manu, ipſeque impiger. Qui ubi Regem adventaſſe conſpicatus eſt, defenſoribus per mœnia, turreſque diſpoſitis, ipſe urbem, ne qui clandeſtini civium conventus fieri poſſent, armatorum caterva conſtipatus inceſſanter ibat. Rex vero, ut primum caſtra poſita ſunt, ut urbis ſitum propius ſpecularetur, trans flumen, qua arx ſita erat, tum paucis equitibus, nullo obſiſtente, ſe contulit. Inde reverſus in caſtra, reliquum diei, ac noctis tempus quieti dedit. Poſtridie, quæ vellem, dicendi ſine arbitris poteſtate facta, hunc in modum verba feci: Si recte animadvertes, Rex, quæ Genuenſibus amicitia cum Neapolitanis Regibus multis jam ab hinc ſæculis fuerit, profecto bellum hoc, quod tecum geſſimus, non odio, aut invidia, ſed officio, & quodam amicitiæ jure ſuſceptum a nobis, ac geſtum eſſe judica-

Digitized by Google

bis, Neque enim abſque ingratitudinis, atque impietatis nota, eos Reges, quorum Regnum mercatoribus noſtris æque, ac Neapolitanis civibus ſemper patuit, ex quo frumentum, atque omne genus commeatum exportare nobis integrum fuit (ut illud civitatis noſtræ horreum recte a nobis appellari poſſit), in quorum denique civitatibus res, fortunaſque civium noſtrorum implicitas cum eorum ditionis hominibus habemus, bello oppreſſos, atque a nobis auxilium poſtulantes deſerere potuiſſemus. Neque enim quicquam ad nos pertinere videbatur ea diſceptatio, videlicet utri veſtrum Regnum ipſum jure deberetur. Contendentibus vobis de Principatu, ad humanitatem, & officium noſtrum pertinere duximus ei opitulari, quem & Neapolitanorum vocatu in Regnum profectum ſciremus. Nec vero id alia ratione a nobis factum exiſtimare debes, qui non ignoras, quo ſemper cultu, quaque obſervantia Hiſpanos Reges, unde genus ducis, proſecuti fuerimus. Poſtquam autem Renatus tibi victori ceſſit, ſatisfactum officio, & amicitiæ arbitrati, nihil ultra adverſus te conati ſumus: quin potius amicitiam tuam, quemadmodum priorum Neapolitanorum Regum, nobis ultro expetendam putavimus, certandumque poſt ac non armis, ſed beneficiis, non odio, ſed amore & ſedulitate ſtatuimus. Nec vero tibi Genuenſium amicitia, ut opinor, aſpernanda eſt. Quippe iis amicis, nulla in Italia reliqua gens fuerit, cujus ope, inimici tui Regnum tuum labefactare poſſint; habes poſthac Regnum ipſum quietum, ac ſtabile, idque longo jam quaſſatum bello, liberis advenarum commerciis, brevi in priſtinam fortunam haud dubie redactum videbis, quod unum profecto, Rex, omnium a te maxime optari debet, ſi quid te gloriæ amor tangit, cujus ab ineunte ætate cupidiſſimus judicatus es. Ea enim vera ſtabiliſque Principum, ac Regum gloria eſt, civium, ac populorum quieti, & utilitati conſulere, ut quas calamitates bello acceperunt, reſarcire per pacem queant. Hanc ipſam quoque pacem Philippo Mediolanenſium Principi haud moleſtam fore (quod reſpicere videbaris), ex literis ejus ſatis noſſe potuiſti. Fuere vero, qui Genuam renuntiarint, te quoque a pacis conſiliis non abhorrere. Quod quia facile creditum eſt, Legatos ſcito jam deſignatos eſſe, qui Neapolim ad te de pace acturi proficiſcantur. Ego vero ideo ad te præmiſſus ſum, uti inducias in aliquod tempus petam, quo interim, ſuſpenſis armis, liberiore jam animo pax ipſa (poſtquam Legati adventarint) tractari poſſit. In idque fidem publi-

Digitized by Google

blicam obſtringam, ubi inducias conceſſeris. Ad hæc Rex: Non ſum uſque adeo gloriæ avidus, ut non multo pacis, & publicæ tranquillitatis avidior ſim. Neque vero aut naturæ, aut conſuetudinis noſtræ eſt, petentibus pacem negare. Idque ſemper inhumanum, atque impium duxi. Quis enim tam demens eſt, qui, ſi poſſit pace frui, malit bello contendere? Equidem bellum hoc non bellandi gratia, ſed ut Regno potitus, bello finem imponerem, ſuſcepi, geſſique. Nec me præterit, quanta ſemper amicitia Genuenſibus cum majoribus noſtris extiterit, ob eamque cauſam in ea amicitia perſeverare potius, quam bellum gerere ſemper optavi. Verum enim vero ita tulerunt ſive fata quædam, ſive tempora, ut conſilia mutare neceſſe fuerit. Philippo, adverſus cujus voluntatem in ea re nihil agerem, pacem ipſam probari gaudeo. Legatos de pace, ubi venerint, libens audiam. Nec per me ſtabit, quominus pax componatur, ſi quæ æquum erit, præſtare Genuenſes non graventur: de induciis autem (quandoquidem per eas pacem quietius tractari poſſe intelligo) quominus per te agatur, non recuſo. Ab eo ſermone digreſſus, cum iis, quos ipſe delegit, de inducierum conditionibus agere cœpi. Hi fuere Lupus Ximenes, Baptiſta Platamonius, ac Joannes Alzina: longa mihi cum his diſceptatio, & controverſia extitit. Quinam ipſis induciis comprehendendi eſſent, cum ii pro Rege vellent & alios Genuenſes comprehendi, qui ab Adurniis, per id tempus Genuenſem Rempublicam gubernantibus, urbe pulſi, ad amicitiam Regis confugerant. Denique cum viderem inducias aliter claudi non poſſe, niſi iis comprehenſis, nec mihi id ipſum facere liceret, petita a Rege diſcedendi venia, biduo tamen poſt in caſtris permanſi. Nam propter Aſculanos milites, qui paſſim populabundi vagabantur, non poteram abſque periculo inde evadere. Obſervabat autem Rex, an aliqui motus a propinquis proſcriptorum concitarentur, uti ab initio ſperaverat. Cumque neminem, præſidii metu, arma ſumere audere animadverteret, ipſe flumen cum exercitu tranſgreſſus, ſuæ fidei, & Pontifici ſatisfactum arbitratus, cum Franciſcum hoſtem e Piceno ſummoviſſet, inſtanti jam bruma, Adriam profectus eſt. Priuſquam Aſculo diſcederet, Theramitani, qui ad eam diem in Franciſci fide permanſerant, potentiam Regis veriti, ad eum miſere, qui urbem, præter arcem, in ſua poteſtate eſſe, ac paratos deditionem facere, ſignificarent. Quos benigne ſuſceptos, & collaudatos domum remiſit, miſſis interim, qui urbi præſidio futuri eſſent.

Poſt

Digitized by Google

Poſt hæc Joannem Antonium Urſinum Taliacotium; Paulum Sangrum, Jacobum Montagatham, cum nonnullis aliis copiarum ductoribus (ad duo millia equitum erant) ad Nicolaum, quem apud Montem aureum cum exercitu conſtitiſſe diximus, proficiſci juſſit, qui, quæ Pontifici oppida receperat, una cum illo tuerentur; & qui reſtabant in Franciſci fide populis bellum inferrent. Cum autem eſſent in itinere, audierunt Nicolaum, pleriſque ſuorum captis, ab hoſte fuſum, fugatumque eſſe. Namque Nicolaus, cum ſenſiſſet Franciſcum adverſus ſe cum copiis, quas raptim poſt diſceſſum Regis contraxerat, adventare, aliquot cohortes e ſuis per adverſum montem circummiſerat, quæ pugnæ implicitum a tergo adorirentur; ratus (id quod rei militaris ratio poſtulabat) illum in medio circumventum evadere non poſſe. Cæterum & qui miſſi fuerant, tardius iter fecerant: & iis, qui in caſtris remanſerant, tanta celeritate, atque impetu ſupervenit hoſtis, ut ad induenda arma ſpatium vix fuerit. Pauci, qui præſidii cauſa in armis erant, eorum impetum exceperunt. Quod cum Nicolaus animadverteret, pro tempore exhortari milites cœpit, uti, correptis armis, hoſti obviam prodirent, nec tantam ſibi contumeliam in caſtris inferri paterentur. Cæterum & ſubitus hoſtis adventus, & eorum abſentia, quos circummiſſos diximus, quorum nullus apparebat, nullus ſentiebatur clamor, tantum iis terroris incuſſit, ut magis de fuga, quam de pugna cogitantes, pudori ſalutem anteponerent. Clivus, in quo caſtra poſita erant, & oppidum proximum diſſipatos fuga ſervavit. Nicolaus quoque, cum rem deſperatam ac profligatam cerneret, tentatis omnibus, quæ ad bello clarum ducem præſtare æquum erat, ſaluti & ipſe conſuluit. Hi vero, quos a tergo miſſos diximus, cum per exploratores, quos præmiſerant, accepiſſent ſuos jam fuſos, & in fugam verſos, nec jam prælium inſtaurari poſſe, antequam in hoſtis conſpectum veniſſent, qua venerant, ad Nicolaum reverterunt. Non deſtiterunt tamen, qui a Rege mittebantur, cœptumque iter perſecuti, ſeſe cum Nicolao conjunxerunt. Quibus copiis auctus, qui adhuc Franciſco parebant, populos vexare rurſus cœpit.

Dum hæc in Piceno aguntur, Rex Adriam, atque inde ad Civitatem Apenninam profectus, Theramitanæ arcis cura non abjecta, Raymondum Buillum præſtantem virum, cum iis, quibus præerat copiis, ad eam arcem obſidendam ire juſſit; cæteriſque copiis in hyberna, in loca circumjecta dimiſſis, ipſe

Nea-

Digitized by Google

Neapolim rediit. Raymundus Theramum, uti juſſus erat; profectus, atque ab oppidanis in urbem haud cunctanter receptus, ante omnia, quo omnem auxilii ſpem obſeſſis adimeret, arcem ipſam circumvallavit, non ab interiori modo, verum ab exteriori quoque urbis parte haud modicæ latitudinis foſſa perducta, præſidiaque circa eam, ubicumque opus eſſe videbatur, diſpoſuit, quæ neque egredi quemquam, ingredive, neque ullum commeatuum genus inferri paterentur, tentatis interim fruſtra cæteris artibus, ſi qua expugnari ipſa arx poſſet: ſed erat & naturali ſitu, & opere permunita, atque ideo nec vi, nec operibus expugnabilis. Per hunc modum ſupra duos menſes circumſeſſi, ad extremum, cogente famis metu, cum auxilium deſperarent, quod a ſe tam diu nequicquam expectatum viderant, Raymundo arcem dediderunt, ſalutem ſuam, ac fortunarum pacti. Qua recepta, præſidioque valido firmata, Raymundus Adriam copias reduxit, atque ibi hyemis reliquum quievit. Ut autem ad rem Genuenſem redeam, Rege Truentum amnem tranſgreſſo, per Apennini juga, qua iter eſt Nurſiam, primo in Hetruriam, atque inde Genuam pervaſi, prius Raphaele Adurnio, qui tum princeps Genuenſem Remp. obtinebat, iis de rebus, quas egeram, literis certiore facto. Quibus ille cognitis, Joannem Federicum, qui ſe Regis amicum profitebatur (quanquam multis amicorum diſſuadentibus) Neapolim confeſtim ad Regem miſit. Cui cum mandata expoſuiſſet, ei, uti legatos Genuam mitteret, perſuaſit. Satisfacturos ei reliqua Genuenſes, maxime Raphaelis Ducis opera, qui pacem amicitiamque ejus vehementer expeteret. In id a Rege delecti Caraffellus Caraffa, ac Joannes Tudiſcus cum mandatis Genuam profecti ſunt: cumque de pace agere coepiſſent, atque in id potiſſimum inſtarent, ut Regis dignitati atque honori in primis conſuleretur, multa propoſuerunt, & illud ante omnia, ut Genuenſes in ejus turris faſtigio, quæ Prætoriæ domui cohærebat, ſigna Regia, uti antea, diebus feſtis tollerent. Quod cum non reciperetur a Genuenſibus, cogitandam aliam quampiam Regis placandi rationem duxerunt. Quod cum Neapoli, ubi Rex eſſet, melius fieri poſſe viſum eſſet, Baptiſta Goanus Juriſconſultus, ac Baptiſta Lomelinus, vir integritatis ac prudentiæ laude clarus, legati ad Regem jam multo ante deſignati, ut diximus, una cum Regiis Legatis longis navibus invecti, proſpera navigatione, Puteolos pervenerunt. Quibus ipſe comes datus ſum, ut eſſem, qui pro Republica noſtra, quæ de pace eſſent conficienda,

literis

literis proderem. Erat tum forte Rex haud procul venandi studio profectus, qui, ut audivit legatos adventasse, lætus eo nuntio, manere eos Puteolis jussit, donec Neapolim revertteretur, præmissis interim, qui illis domum & lautia præpararent. Quæ postquam parata esse cognovit (ipse enim alia via præierat) Legati Neapolim accersiti sunt, profectique in arcem Regiam, comiter ac benigne a Rege susceptí sunt, eoque dumtaxat salutato, ac magnificis verbis ornato, nihil aliud eo die egerunt. Post de pace agi cœptum, in quo aliquandiu de conditionibus disceptatum est, in eo maxime, quod ad resarciendum Regium decus pertinebat, contentio vehemens. Multa siquidem in id a Rege postulata sunt. Quæ cum Legati recusarent, pax haudquaquam futura videbatur. Ad postremum postulatum est, uti Genuenses pateram auream (ubi Regis pacem vellent) quotannis dono darent, de conditionibus cæteris facile conventurum. Quod cum Legati renuerent, dicerentque, se injussu Civitatis id paciscí non posse (re suspensa), missus est ab iis cum mandatis, qui, quidnam fieri Genuensibus placeret, sciscitaretur. Ea vero res magnas rursus Civitati curas injecit, ex altera parte pacis commoda, ex altera gloriæ jacturam æstimanti. Demum frequenti Senatu coacto, publicæ quieti consulentes eam conditionem (quum quidem pax haud aliter impetrari posset) recipiendam esse censuerunt. Quod postquam Legatis renuntiatum est (abjectis cæteris disceptationibus) pax in hæc verba convenit. Pax, atque amicitia cum Alphonso Rege Genuensibus firma, perpetuaque posthac esto, bello ablata repetendi nemini partium jus competito; nec Regis hostes Genuensis populi, nec Rex Genuensium hostes recipito, ullove commeatu adjuvato. Si quando fato aliquo bellum rursus inter eos exoriri contigerit, utriusque ditionis homines, qui in alterius oppidis negocientur, agantve, eorum bona tuta, liberaque finito, eorumque exportandorum potestas esto. Ad hæc neque Rex Genuensibus, neque Regi Genuenses, etiam si justi belli causa intercesserit, nisi primum denuntiatione facta, bellum inferunto. Jura, ac privilegia ultro, citroque concessa utraque pars religiosissime servato; Genuenses videlicet, quæ Regis civitatibus, ante Philippi dominatum; Rex, quæ Genuensibus Neapolitani Reges ad Ladislai supremum diem concessissent: coemendi, atque exportandi frumenti, cæterarumque frugum ex alternis oppidis, quæ in alterius partis potestatem devenissent, facultatem utraque pars permit-

Digitized by Google

mittito. In iis oppidis, quæ in alterius partis poteſtatem deveniſſent, in quibus pars altera juris aliquid habere prætenderet, utraque pars jus ſuum teneto. Nec tamen, ſi qua eorum oppidorum oppidani ipſi voluntate dederent, ea recipi fas eſto. Poſtremo Genuenſes Regi quotannis, dum vivat, honoris gratia pateram auream dono danto, ac Neapolim mittunto. Hæc, ita (ut conſcripta erant) in Regis conſpectu recitata ſunt, qui tum ex gravi morbo convaleſcere cœperat. Quibus peractis, cum & Rex ipſe, & Legati in ea verba juraſſent, continuo inde diſceſſum eſt, conſtitutoque tempore, quo pax ipſa promulganda eſſet, Legati, cum bona Regis venia, Genuam reverſi ſunt, atque, ut quæ egiſſent, a Senatu Genuenſi rata haberentur, perfecerunt.

Ea vero æſtate, quæ ſecuta eſt, Alphonſus ad Populi fontem, haud procul a Theano profectus eſt, eo quidem conſilio, ut, convocatis eo quamprimum copiis, in Picenum reverteretur, Pontificis Maximi rogatu, qui Franciſcum Sfortiam ex ea Provincia prorſus pelli, ut ſibi libera, & quieta poſſeſſio relinqueretur, optabat. Intelligebat enim fore, ut Franciſcus, quæ ſibi erepta fuerant, oppida brevi recepturus foret, niſi ejus conatibus confeſtim obviam iretur. Namque Franciſcus tum Regis diſceſſu, tum Nicolai clade elatus, jam utique copiis ſuperior prædabundus per Picenum libere vagabatur, multoſque metu Populos ad deditionem compellebat. Ad hunc fontem, quem diximus, cuncti Regni proceres, qui Regem cum copiis ſequi decreviſſent, convenire juſſi ſunt. In queis venit Antonius, paterna ſtirpe Centilia, materna Vintimillius, cum equitibus trecentis, de quo ut aliquid diſſeram, me in præſentia locus admonet. Namque hic eo ipſo tempore, quo Rex Neapolitano bello occupatus erat, Calabris, Brutiiſque, quos nunc uno nomine Calabros appellant, conflata ex privatis facultatibus ſatis grandi pecunia, univerſam eam Provinciam debellandam recepit, brevique majore ejus parte in ditionem Regis redacta, multam laudem promeruit. Ac demum Conſentinos, atque alios pleroſque finitimos Populos Regis imperio parere, ac præſidia admittere in oppida coegit. Is vero paucis poſt diebus, quam ad Regem eſt profectus, cum clam accuſatus eſſet, in cujuſdam ex aulæ Principibus necem, qui erat Regi cariſſimus, conſpiraſſe, monitus, ut Regiæ iræ cederet (rem palam eſſe) noctu cum paucis ſuorum, ne multitudo conſilium proderet, neque die, neque nocte itinere intermiſſo, Catantianum ditionis ſuæ oppidum ſe recepit. Quod ubi in caſtris

Digitized by Google

mane compertum est, admiratus Rex illius factum peregre tulit. Idque haud ferendum ratus, Neapolim quamprimum reverti statuit, ac Lupum Urreum, Ursinum, Gartiam, Cabanellum, præstantes viros, cum copiis in Picenam expeditionem mittere, qui cum Raimundo Buillo (qui jam ad flumen Humanum ultra Adriam progressus, copias coegerat, Regis adventum opperiens) se conjungerent, ac pro Pontifice uno consensu bellum gererent. Quibus digressus, ipse Neapolim cum reliquis copiis paucis post diebus reversus est, eo consilio, ut si Antonius Centilia, de quo diximus, ad se non accederet, & contumax esse pergeret, ipse adversus eum copias duceret. Lupus Ursinus, & Gartias, simul atque ad Raimundum pervenerunt, sese una cum eo itineri commiserunt; cum jam in Picenum transgressuri essent, Raimundus per exploratores, quos in diversa loca miserat, certior factus est, Franciscum Piciniuum ad montem Ulmum ab hostibus superatum, captumque esse. Quo nuntio, ut par erat, omnes perturbati, haud longius progredi deliberarunt, quod hostem præter eas copias, quibus haud dubie tum superior erat, etiam ob recentem victoriam nihil non ferociorem factum (id quod verisimile erat) existimabant: quorum adventu cognito Franciscus, confestim post fusos hostes ad Truentum amnem, instructo agmine, adventavit, eo consilio, ut vel transeuntes arceret, vel jam transgressos invaderet, vel si nulli apparerent hostes, in propinquos Regni fines populabundus exercitum traiiceret. Cæterum nullis repertis hostibus, cum insuper loca Piceno opposita validis præsidiis firmata circumspiceret, procedere ulterius destitit, quaque venerat via, rediit. Qua re cognita ductores Regii, retrocedendum arbitrati, in loca circumjecta diverterunt. Inter hæc Alphonsus Neapolim reversus, de industria expectabat, ne quid per iram facere videretur, uti Antonius, omissis cæteris consiliis, ad se purgandum accederet. Verum sive indignatione quadam animi succensus, sive qua alia causa ad Regem proficisci recusavit. Quin etiam ditionis suæ oppida, quæ partim erant dotalia, partim a Rege acceperat, raptim munire, frumenta convehere, præsidia imponere, arma, ac milites comparare coepit, nec quicquam omnino prætermittebat, quod ad ea tuenda pertineret. Quibus quamquam magnopere Rex offendebatur, nulloque modo committendum censebat, ut illius exemplo (ubi tantum scelus impune ferret) idem cæteri auderent, quorum essent ingenia leviora, & ad res novandas propensa, vehementius

tamen

Digitized by Google

tamen offensus est literis quibusdam ad se, ac Ferdinandum filium, paulo acerbius (ut ferebatur) scriptis. Quibus literis constituisse videbatur, quæ sua ipsius pecunia, suisque multis laboribus, ac periculis adeptus esset, quæve teneret, armis tueri, nec ea, se vivo, sibi a quoquam eripi passurum. Ferebatur quoque finitimos Regni proceres solicitare. Quo factum est, ut Rex haud per vicarium eam expeditionem sibi suscipiendam statuerit. Itaque admodum parva peditum manu, atque equitum celeriter comparata, in Brutios iter arripuit. Quod postquam vulgatum est, eos, qui Antonio clam favebant, metus ingens cepit, atque a proposito abscedere coegit. Alphonsus in Brutios profectus; primo Luceronum oppidum, quod ab Antonio tenebatur, petiit, castrisque positis, oppidanos metu consternatos, antequam oppugnare coepisset (neque enim vim ejus experiri sustinuerunt) ad deditionem compulit. Deinde ad Roccam Bernardam (quam vocant) continuo itum est, in quo castello expugnando aliquantum laboris fuit, castellanis, atque iis, quos præsidio miserat, ob naturalem situm, audacius repugnantibus. Cumque obsidionem paucis aliquot diebus toleassent, ad postremum, desperato auxilio, ad eum diem frustra expectato, & ipsi deditionem fecerunt. Rex inde continuato itinere Bellicastrum movit, idque, nullo resistente, statim cepit. A Bellicastro Crotonem duxit, ut ipsam belli arcem oppugnaret. Qua urbe Antonio adempta, reliquum bellum facile futurum intelligebat. Hæc urbs Croto aliquanto procul ab arce sita est, quæ olim in Calabris florentissima duodecim millia passuum in circuitu habuisse traditur, parva nunc quidem, nec cultoribus admodum frequens. Sed quoniam mari vicina erat, unde a Venetis commode Antonio summitti auxilium poterat, hoc major aliquanto ejus urbis expugnandæ cura Regem incesserat. Atqui huc Antonius militum suorum robur miserat: urbisque ipsius custodiam quibusdam ex iis, quos sibi fideliores existimabat, demandaverat. Ipse Catantianum, quod oppidum longe situ munitius erat, atque opulentius, cum uxore, ac liberis, omnique pretiosa supellectile se receperat. Qui, ut audivit Regem tot jam oppidis sibi, prope una excursione, ereptis, Crotonem petisse, nec finitimorum quemquam pro se arma sumere, ex iis, quos sibi adfuturos putarat, conturbari vehementer coepit, atque, quod hujusmodi consilium cepisset, in primis dolere & angi. Perstitit nihilominus in proposito, venia (ut videbatur) desperata. Quod

Digitized by Google

autem unum poterat, Crotoniates occulte per literas, ac nuntios, item præſidiarios milites hortabatur, ut forti animo obſidionem ferrent. Id vero (quantum conjectari potuit) eum feſellit de reſiſtendo ab initio cogitantem, quod Regem per vicarium adverſus ſe bellum geſturum putaverat. Cui quidem (quiſquis is eſſet futurus) reſiſtere ſe poſſe confidebat; quoniam multi in regio exercitu futuri eſſent, qui haud illum fortunis everſum vellent: fore etiam aliquos e finitimis ſperarat, qui, abſente Rege, arma corripere auderent, quos præſentis metus, ac majeſtas deterreret. Ad Crotonem Rex ſub urbem caſtra poſuit. Quo viſo oppidani, ſubito in muris armati apparuerunt, atque in ſtationes diſtributi, alias partes alii tuebantur: levia dehinc prælia quotidie fere ſunt fieri cœpta. Antonius interim undique opem, ſed nequicquam implorare. Cum autem res ad obſidionem ſpectare videretur (erat enim oppidum ſitu, ac mœnibus permunitum, & oppidani præterea ad obſiſtendum parati) Rex, quo eos, majore metu incuſſo, ad deditionem cogeret, tormenta ænea Neapoli, miſſis triremibus, advehi imperavit. Interim colloquendi cum hoſtibus occaſione data, tentare clam cœpit, ſi qua arte, aut conſilio urbe ipſa potiri poſſet. Erat in ea Bartolus Ceresarius patria Surrentinus, cæterum per uxorem, quam ibi ceperat, civis Crotonias factus, quem Antonius, illi fidens, urbi præfecerat, qui cum ſe, ob id meritum, grandem a Rege gratiam promereri ſciret, communicato cum paucis ſuorum conſilio, Regios noctu ſcalis clam in urbem accepit. Quod ſimul ac oppidani, & externi milites ſenſere, cum primum arma corripuiſſent, ad Regis adventum, animis fractis, errati veniam, armis poſitis, petentes, atque in Antonium culpam conferentes, Regi portas confeſtim aperuerunt, quibus pro ſua clementia facile ignovit. Atque ita urbs præter arcem recepta eſt. Poſt hæc arx tentari, atque oppugnari cœpta. Verum enimvero tormenta, ſine quibus parum profici poterat (ob naturalem ſitum, præſidiumque, quod intus erat, validum) nondum convecta fuerant, quæ quidem longo maris, terrarumque flexu agi oportebat. Quibus advectis, atque arci oppoſitis, in majorem ſolicitudinem, metumque hoſtes inciderunt. Dum autem aliquando acrius pugnaretur, Petrus Carbo, quem multis beneficiis ſibi obſtrictum Antonius arci præpoſuerat, ſagitta ictus eſt. Cumque ob id medicum e Regiis caſtris requireret, rogatus Rex ad eum ire permiſit Salvatorem medicum, qui vulnus curaret, ſimul qui pollici-

citan-

Digitized by Google

citando eum ad arcis deditionem alliceret. Cui cum tandem id perſuaſiſſet, nullo prope tormentorum uſu arx recepta eſt. Quod poſtquam Antonio renunciatum eſt, omnem prorſus ſpem rerum ſuarum abjecit. Nam ſi quid opis ſperare ſupero mari poterat, eam ſibi viam penitus obſtruſam videbat. Quod unum reliquum erat, Catantianum, qua minus erat natura tutum, munimenti operibus ſupplebat. Eſt vero id oppidum in monte ſitum, undique acclivi, atque arduo, præterquam ab una parte, qua facilior aditus erat, quo in loco arx de induſtria extructa fuerat. At vero Alphonſus, Crotonienſi arce in poteſtatem redacta, eaque valido præſidio firmata, Catantianum copias duxit, ſituque oppidi perſpecto, ſub montem caſtris poſitis, tormentiſque ad eam partem, quam infirmiorem oſtendimus, objectis, obſidere oppidum cœpit. Antoniani per adverſum montem primo occurſantes, tumultuoſius deiicere Regios conati ſunt. Cæterum eorum conatus fruſtra fuerunt. Crebra tamen prælia, quamquam levia, per ſingulos dies conſerebantur. Sed in dies minus ſpei obſeſſi habebant, cum Regem ipſum præſentem intuerentur, qui, niſi expugnato oppido, haud diſceſſurus inde videretur; ſe vero, etiam ſi aliquandiu obſiſterent, obſidionemque protraherent, omni tamen propinqui, & externi auxilii ſpe deſtitutos, quod neque Venetos, neque alios Principes, vicinoſve Populos ad eam diem precibus movere potuiſſent, in Regis poteſtatem neceſſario perventuros eſſe. Quæ cum animo reputaret Antonius, quam prius ſpem in armis repoſuerat, eam totam in Regis humanitatem, ac miſericordiam contulit, maxime cum & oppidanos, & milites, quos mercede conduxerat, timidiores factos videret. Movebat quoque eum vehementius ſuorum periculum, in quos verebatur, ne Rex per iram, capto oppido, gravius animadverteret. Angebatur etiam amiſſione fortunarum, quas omnes in eum locum, ut diximus, congeſſerat. Simul cogitabat oppidum ipſum ut maxime ab aperta vi tutus eſſet, at certe a longa obſidione, ac fame adverſus Regem tutum eſſe non poſſe; ſibi vero tum ſpem nullam veniæ apud Regem iratum fore. Hæc, inquam, animo reputans, mittere ſtatuit, qui Regi ſignificaret, cupere ſe cum eo, ſi ita placeret, fide accepta, colloqui. Qui profectus in caſtra, protinus a Rege repulſus eſt, affirmante non paſſurum Antonium ad ſe ire, niſi ſe ille, ſuaque omnia ſuo arbitrio, ac poteſtati permitteret. Ex quo rurſus Antonius in graviores curas incidit. Poſthæc uno e Regiis ſacerdotibus ad eum proficiſci

Digitized by Google

ſci permiſſo, quorumdam precibus, quos ejus calamitas moverat, cum ex eo cognoviſſet, fruſtra a ſe tentari cætera conſilia, Regis immutabilem ſententiam eſſe, adire Regem, ſeque ejus voluntati, arbitrioque permittere, & quo magis illum ad miſericordiam flecteret, uxorem una ſecum (quod muliebris ſexus ad movendos animos efficacior eſt) ducere, nec ultimum caſum expectare conſtituit. Profectus igitur cum uxore, in caſtra ad Regis tabernaculum (cunctis rei eventum expectantibus), ut ad Regem venit, ſupplex veniam orans, ad pedes ejus procubuit. Uxor quoque genibus advoluta, effuſis lacrymis, pro viri ſalute orare vehementius cœpit. Qua calamitatis ſpecie Rex commotus, illi vitam conceſſit. Catantiano, ac Trupia, quæ oppida in illius poteſtate adhuc erant, cedere imperavit, ſupellectileque omni, quam Catantiani haberent, exportari permiſſa, eum cum uxore, atque omni familia Neapolim abire. Quæ cum obedienter feciſſet, Antonius, miſſis, qui Trupiam Regi traderent, cum ſuis Neapolim profectus eſt.

Cæterum Alphonſus, recepto oppido, arceque præſidio firmata, Conſentiam cum copiis ſeſe contulit eo conſilio, ut Joannem Nuceum, cujus maxime ſuaſu Antonius adverſus eum contumax fuerat, qui & ipſe Regis imperium pertinaciter detrectaverat, cum ab eo ſæpius in caſtra accerſitus eſſet, in eadem adhuc contumacia perſeverantem opprimeret. Is vero Rendam oppidum, ac tria præterea caſtella, quæ a Rege dono acceperat, tenebat. Cumque Conſentiam perveniſſet, Americum Capacii comitem Rendam, qui locus haud procul quatuor millibus paſſuum inde aberat, cum parte equitatus primum miſit. Iſque ad mille paſſus a Renda caſtra fecit. Ea nocte, quæ inſecuta eſt, nonnulli oppidani Joanni ob acceptas injurias infenſi, noctu clam ad Regem profecti, renuntiare oppidanos partim officio, ac Regiæ majeſtatis reverentia, partim ob acceptas a Joanne injurias paratos eſſe, ſi majores copias eo mitteret, oppidum dedere. Quapropter Rex Franciſcum Siſcarum, cujus viri virtutem egregiam prioribus bellis agnoverat, poſtridie cum peditibus mille eodem juſſit contendere. Quæ cum Joannes animadverteret, priuſquam vim experiretur, hortantibus amicis, quanquam ægre, relicta arce, adeundi Regis conſilium cepit, ſeſe ejus arbitrio, ac poteſtati ſubmiſſurus. Qui cum vitæ diffidens, atque anxius produceretur ad Regem, qui receptæ arcis adhuc ignarus, cum reliquis copiis Rendan verſus iter ingredi cœperat, Franciſcum

Digitized by Google

ſcum Barbavariam, Philippi legatum, virum ornatiſſimum, per eos dies ad Regem profectum, ſorte obvium habuit, qui hominis fortunam miſeratus, quod erat gentis ſuæ, illi a Rege vitam impetravit. Cæterum mulctatus omnibus, quæ tenebat, oppidis, toto præterea Regno excedere juſſus eſt. Qui poſt mortem Philippi, ad quem ſe receperat, Franciſcum Sfortiam, qui poſtea Mediolanenſe imperium ſibi armis vendicavit, ſecutus, cum Alexandriam urbem fidei ſuæ commiſſam Ludovico Sabaudiæ Ducioproderet, ad poſtremum in laqueum, quem per Alphonſi clementiam effugerat, incidit. Ea vero expeditio quarto poſtquam cœpta fuerat menſe finita eſt.

Poſt hæc Joſias unus e Regni proceribus, qui aliquot oppida in ipſo Regni aditu tenebat, cum Adriam urbem, quæ majorum ſuorum olim fuerat, per proditionem recipere tentaſſet, nec res ſibi ex ſententia ſucceſſiſſet, iſque poſtea Franciſci Sfortiæ copiis adiutus, Adriam ſubito, atque improviſo petiiſſet, ea quoque oppugnatione fruſtra tentata, in propinqua ſuæ ditionis oppida ſe recepit. Hæc autem per hyemem ab eo tentata, quo anni tempore Regiæ copiæ in hyberna conceſſerant, nec cogi facile poterant. Eſt enim omnis ea Regio, propter Apennini juga, perpetuis nivibus, ſed præcipue iis temporibus, immerſa, quæ in illam ſæviunt, frigoribus, cæliique intemperie, vix incolis, atque aſſuetis tolerabilis. Itaque ineunte vere, Urſinus, quem ſupra memoravimus, copiis omnibus ex hybernis evocatis, quibus eum Rex præfecerat, Bozam Joſiæ caſtellum petiit, idque oppugnare (caſtris haud procul inde poſitis) aggreſſus eſt. Quod ubi Joſias agnovit, coactis raptim Franciſci equitibus, & quos potuit, e popularibus ſuis, caſtra improviſo adortus, Regios fudit, fugavitque. Qua re audita Alphonſus, rem haudquaquam negligendam arbitratus, ne Loſias majores Franciſci copias in Regni fines illiceret, ſimul ut Civitellam, quod oppidum haud procul a Truento amne ſitum adhuc Franciſco parebat, natura quidem, & opere munitum, in poteſtatem redigeret, eo cum copiis proficiſci ſtatuit: comparatiſque celeriter, quibus opus erat, ad urbem Thetim conſtitit. Cujus adventu cognito, Joſias conterritus, maxime quod a Franciſco per id temporis non multum juvari poterat, propter Pontificis Maximi, ac Philippi copias Picenum agrum vexantes, Regi reconciliari per amicos curavit. Cum autem (reconciliatione facta) equites, ii, quos Franciſcus ad eum miſerat, Truentum amnem

pete-

Digitized by Google

peterent, inde in Picenum transgressuri, in Regium equitatum ignari inciderunt, a quo profligati, magnaque ex parte capti sunt. Rex subinde, ab Aterno amne motis castris, adversus Truentum flumen profectus est, eo consilio, ut Civitellæ bellum inferret. Quod ubi Patriarchæ nuntiatum est, qui pro Pontifice adhuc adversus Franciscum bellum gerebat, confestim ad eum profectus, oravit, ut copiarum partem in Picenum mitteret, ad belli reliquias persequendas. Cui cum assensus esset, Joannem Vintimillium, cujus opera fideli ac forti superioribus bellis usus fuerat (quem in Acarnaniam Provinciam profectum, ut Carolo genero Acarnaniæ Principi, per id temporis a Turcis obsesso opitularetur, suscepta expeditione, revocarat) Patriarcha discesso, proficisci jussit. Post cujus discessionem, cum ipse in iis locis permaneret, Civitella, dedentibus oppidanis, præter arcem, recepta est. Quæ quidem ex omnibus Regni oppidis novissima fuit, quæ in Regis potestatem pervenerit. Subinde Alphonsus, arcis obsidione (erat enim munitissima & situ, & opere, diuque obsidionem latura videbatur) Raymundo Buillo delegata; missoque Berengario Harilio cum parte equitatus ad Joannem Vintimillium, ipse Neapolim rediit. Raymundus ante omnia, arcis oppugnatione tentata, cum nihil proficeret, tantum ne quis ingredi, egredive, aut commeatus quicquam importare posset, attentissima cura providebat. Cujus rei tædio affecti, qui arcem tuebantur, præsertim expectato nequicquam a Francisco tot diebus auxilio, deditionem fecerunt. Qua recepta, ac præsidio firmata, Raymundus Adriam copias reduxit. Et jam Patriarcha, post profectum ad se Joannem Vintimillium, Ausidum oppidum, quod ab eo obsidebatur, perculsis majore metu oppidanis propter auctas hostium vires, in deditionem acceperat. Quoque viri ejus opera fortiori uteretur, eum Pontificis jussu, copiis omnibus præfecit. Post id Joannes Patriarchæ consensu, motis castris, ad Ripam Transentam (id est nomen oppido), nullo hostium obviam facto, duxit. Atque inde digressus, inter Rotilium, ac Solitem oppida castra fecit, composito usque agmine iter faciens, quasi hostis in conspectu foret. Eo autem eo consilio profectus est, ut experiretur, an posset, eluso hoste, ad Philippi copias, queis præerat Italianus Furlanus, aut ipse Italianus ad se transire, uti conjunctis copiis Franciscum aggrederentur, cui singuli pares esse non possent. Quam rem Franciscus, conjectura suspicatus, media protinus loca de industria occupabat, eorumque conatus, quocunque

Digitized by Google

que movebant, fruſtrabatur. Sextis caſtris cum ſub Montem Eripetum conſediſſet, Sancti Victoris oppidum, cum caſtellis pleriſque finitimis, Pontificis Maximi nomine in deditionem abſque certamine recepit. Cæterum cum intueretur, fruſtra a ſe tentari ad altera caſtra aditum, propter Franciſci vigilantiam, converſo itinere, ad Ripam Tranſentam retrocedere cum exercitu (id conſilium Patriarcha approbante) conſtituit, eo animo, ut per montana, procul ab hoſte, ad Italianum evaderet. Cumque ibi caſtra metatus eſſet, Campeſelonites, ac Teſonates, qui Romani Pontificis imperium pertinacius detrectabant, expugnavit, ac diripuit, quominus finitimi, injecto metu, reſiſterent. Cumque ei nuntiatum eſſet, Franciſcum cum omnibus copiis eo dimicandi animo contendere, caſtra diligenter muniit (dimiſſis paulo longius a caſtris ſpeculatoribus, per quos ejus adventum certo cognoſceret), ne imparatos offenderet. Cæterum vanus is rumor fuit. Itaque inde movit, octaviſque caſtris Auſidum reverſus eſt: indeque poſtridie ad Truentum amnem movit: caſtriſque in fluminis ripa poſitis, ſubſtitit. Franciſcus autem, ut hoſtes retroceſſiſſe agnovit, nihilominus tamen in ſuſcepto conſilio permanſit, ut ſcilicet inter bina caſtra medius ſederet, neutram partem inſequens, ſed tantum id agens, ut neutri alteri conjungi poſſent. Re ad conſilium perlata, cum quidem, quanam via cum copiis ad Italianum tutius perveniri poſſet, conſultaretur, variabant Ductorum ſententiæ. Alii namque peditatus, & equitatus florem, triremibus Regiis, quæ inde haud longe aberant (inutiliore turba, atque impedimentis relictis) traducendum cenſebant, quoniam parvo maris tractu ab Italiano diſtarent; atque ita abſque periculo jungi poſſe. Aliis ſub urbem Firmum ipſum equitatus, ac peditatus robur, inſtructo agmine, agi placebat. Verum hoc conſilium haudquaquam tutum videbatur, primum quod Alexander Franciſci frater, eorum per exploratores itinere cognito, qui DCCC. equitibus præerant, facile vexare agmen a tergo poterat, atque eouſque pugnando, laceſſendoque diſtinere hoſtem, quoad Franciſcus cum reliquis copiis accurrens medios opprimeret, terrorem nocte augente, a fronte, ſimul & a tergo circumventos, præſertim cum hoſtibus copiarum numero longe impares futuri eſſent. Quibus, quando fortunæ etiam benignitate id contigiſſet, ut abſque detrimento, nullo reperto hoſte, conjungerentur, quemnam equitum uſum fore præſertim cum hoſtibus copiarum numero longe ſuperioribus, ſine tentoriis, ſine miniſtris, ſine far-

Digitized by Google

cinis. Joannis vero consilium fuit, ut itinere longiore, cæterum eodem tutiore, per Apennini montana exercitus duceretur. Posse enim ea cum impedimentis, atque omni exercitu, (invitis hostibus) tuto evadi: cujus consilium cum plures approbassent, Asculum versus perrexit, atque inde per Apenninum, colle transmisso, quem Sibyllæ accolæ appellant, in campis Nursiæ, late patenti planitie, consedit, atque inde continuato itinere in Fulginatem contendit, cujus profectionem cum haud amplius a se impediri posse Franciscus agnosceret, qui hostes abeundi consilio retrocessisse existimarat, consilii pœnitens, quod prælii fortunam non tentasset, e Piceno excedere, priusquam tantæ copiæ conjungerentur, decrevit, ne sibi postea, cum vellet, discedere integrum non esset, neve aut obsidionem pati (quod sibi turpe ad famam hominum ducebat), aut certe necessario depugnare cogeretur. At Joannes, Matelicam versus arrepto itinere, in Cinguli fines, quibus in locis Italianus cum copiis erat, profectus est, earumque etiam copiarum, quæ Philippi erant, dux factus, castra cum castris junxit. Deinde ad vicos, sub urbem Cingulum, perducto exercitu, eos una excursione cepit, ac diripuit. Inde ad Melonem ductis copiis, aliquot dies in ejus oppidi obsidione consumpsit.

Ad postremum oppidani (cum nulla spes auxilii esset) salutem suam, & fortunarum pacti, in Pontificis potestatem venerunt. Missa deinde copiarum parte ad Sanctum Angelum, cum oppidani præter spem resisterent, admotis undique copiis, oppidum vi captum, atque in prædam militibus datum est. Posthæc Joannes, cum animadverteret Franciscum e Piceno in Urbinatem concessisse, & ea, quæ reliqua erant in ejus ditione Picentium oppida, propter naturales locorum situs, validaque præsidia iis imposita, obsidione magis, quam oppugnatione tentanda esse, instaretque vis hyemis, reverti statuit, atque exercitum in Regnum in hyberna reducere. Relictis igitur Pontificis, ac Philippi copiis, adversus urbem Firmum, non amplius per montana, ut venerat, sed per plana iter cepit, ac non procul a Monte Sancto eo die constitit. Cujus inopinato adventu oppidani conterriti, antequam vim experirentur, emissis confestim ad eum oratoribus, qui significarent, se Pontificis Maximi imperata protinus facere paratos esse, deditionem fecerunt. Aliquot præterea castella circumjecta absque certamine recepta sunt. Inde ad Montem Altum profectus, ibi aliquot dies mansit. Interim Firmani, con-

Digitized by Google

conjuratione facta, ſpe propinqui auxilii, a Franciſco defecerunt; (Alexandro fratre in arcem repulſo), quo & magna equitatus pars una cum eo ſe recepit. Quod ubi Joanni nuntiatum eſt, ſubito cum omnibus copiis ad ferendum oppidanis auxilium advolavit. Idem fecere Pontificis, ac Philippi copiæ, quæ in propinquo erant, uti oſtendimus. Cum autem arx ejuſmodi foret (quod ſuperius demonſtratum eſt), ut nec vi, nec machinis ullis, ſed diutina obſidione tantum eſſet expugnabilis, præmunitis iis urbis partibus, qua ex arce in urbem deſcenſus erat, iiſque ab exteriori parte inſtitutis, quæ obſidioni neceſſaria videbantur, ipſe cum reliquis copiis, ut eas in hybema dimitteret, in Regni fines conceſſit.

Vix anno poſt Eugenius Pontifex certior factus, Franciſcum Sfortiam ſuas, atque auxiliares copias cogere, ac Tudertum petere conſtituiſſe (quod oppidum ſexaginta millibus paſſuum Roma abeſt), de illius adventu valde ſolicitus, accerſenda a ſociis auxilia cenſuit. Nam quod partem Tudertinorum ſciebat Franciſco in primis favere, in quos ille indulgentior fuerat, dum ea urbe potiretur, & propterea Franciſcum haud temere id conſilii cepiſſe ſuſpicabatur (is enim, præter Picenum, etiam in agro Romano oppida quædam occupaverat) miſit Ludovicum Patriarcham Legatum ad Regem. Iſque Neapolim profectus, ac magnifice pro dignitate ſuſceptus, ſimul ac Regi adventus cauſam expoſuit, auxilium ab eo haud difficulter impetravit. Nec mora, Joannes Antonius Urſinus Taliacotius cum duobus millibus equitum ad Pontificem ire, ſeque cum illius copiis conjungere juſſus eſt. Interea Franciſcus, coactis copiis, in agrum Tudertinum contendit, quo uno ferme tempore & Pontificis, & Regis copiæ convenerunt. Quo cognito Eugenius, Nicolaum Cardinalem Capuanum (erat is in urbe gratioſus, ac potens), quod ejus fides nonnihil ſuſpecta eſſet propter amicitiam, quæ illi cum Franciſco erat, Roma amovendum curavit. Franciſcus autem, ut per exploratores agnovit, Pontificis copias opinione ſua ampliores eſſe, fruſtraque ſe, nec ſine periculo, quod conſtituerat, iter perſequi poſſe, mutato repente conſilio, antequam in hoſtium conſpectum veniret, in agrum Urbinatem rediit. Quo digreſſo, Pontificis, ac Regis copiæ in Picenum proficiſci perrexerunt, ut ea oppida, quæ in Franciſci fide perſiterant, armis ad deditionem cogerent. Sed Eugenius, Franciſci potentiam veritus, cum magnas ab eo copias duci nuntiatum eſ-

Digitized by Google

set, Thomam, tunc Episcopum Bononiensem, qui nunc in Pontificatu successit, hominem propter militarum rerum scientiam, atque eximias virtutes illi acceptissimum, Legatum ad Alphonsum miserat, qui majora auxilia postularet. Isque ad Regem profectus, Cognoscis, inquit, Rex, ex Ludovico Legato satis, ut arbitror, Pontificis res quo statu sint, quantoque in discrimine versentur. Expectatur in Tudertino Franciscus Sforcia hostis, magnis viribus contractis, quibus Eugenii copiæ haud possint obsistere. Sustulerunt animos adversarii ipso rumore adventus illius, ac fama. Nam, quo tempore Tudertum urbem tenebat, multos sibi cives, quo cæteros servire cogeret, beneficiis obligarat. Hi rerum novarum cupidi, ejus adventum avide præstolabantur, ut Eugenio non minus de civium fide, quam de hostium vi laborandum sit. Misisti tu quidem Joannem Antonium Ursinum ad Pontificem cum copiis: cæterum quamquam is est vir in armis præstans, & copias habet non aspernandas, tamen ad tantam vim hostis arcendam haud satis videtur. Est nobis res, ut scis, cum hoste rei militaris peritissimo, ac vigilantissimo, ut haud temere cum eo congrediendum sit. Nam si quid sinistri (quod Deus avertat) Pontifici contingeret, non solum Tudertinus, sed etiam Picenus ager, qui tuis laboribus, ac periculis Pontifici restitutus est, rursus in hostilem potestatem recideret. Petit igitur a te Eugenius, oratque, ut, præter eas, quas adhuc misisti copias, alias mittas, ne quæ nunc sunt, in gravius discrimen incidant. Quod ut facias, tua virtus, ac fides postulat. Majorem gloriam, aut stabiliorem consequi non potes, quam si Pontificis Maximi dignitatem, majestatemque perpetuo conservaris, atque auxeris. Ad ea Rex, id, quod ad hunc diem feci, post reditum nostrum in gratiam, quoad mihi vita suppetet, nec re, nec opera, nec auxilio tuendæ Pontificis auctoritati fum defuturus, nec pro oppugnandis ejus adversariis ulla unquam pericula recusabo, neque committam, ut Pontifex merito de fide mea queri possit. Equidem eo sum animo, ut non hoc Regnum modo, quod tantis laboribus, ac periculis meis sum adeptus, sed & cætera Regna, quæ mihi Pater hæreditaria reliquit, vere potius, atque everti, quam sacrosanctæ potestatis jura labefactari permittam. Misi ad Pontificem Joannem Antonium Ursinum, arbitratus id auxilii in præsentia satis esse, præsertim cum nulla externa auxilia ad Franciscum profecta accepissem. Qui certe, nisi majores copias habeat, non est adeo Pontificii formidandus,

Ex-

Expertus ſum Piceno bello, quantum audeat. Sed non ob id tamen hæc a me dicuntur, ut eum contemni velim. Nihil enim tuto in hoſte contemnitur, nec is quidem ejuſmodi hoſtis eſt, ut ſit contemnendus (multo enim & conſilio valet, & rei militaris ſcientia); ſed forti animo contra eumdum, atque audendum cenſeo. Quæ petit auxilia Pontifex, mittam. Quin etiam, ſi adventu meo opus fore cognovero, mihi ipſe non parcam. Ab hoc ſermone digreſſus, Raimundum Buillium cum mille equitibus, ac pari peditum numero ad Patriarcham in Picenum ire per Aprutinos, quibus in locis copias habebat, imperavit. Qui, Truentio amne trajecto, in Picenum quamprimum profectus, ad urbem Auximum cum Jacobo Caviano, uno e copiarum Ductoribus, qui Pontifici merebant, ſe conjunxit. Franciſcus interea in Urbinatem tranſgreſſus, Foſſumbruntum diverſit, ibique conſtitit, eo videlicet conſilio, ut tranſitum impediret, metumque tranſire cogitantibus inferret, quominus uterque exercitus jungi poſſet. Namque Raimundus, ac Jacobus per loca mari propinquiora agmen ducebant. Patriarcha vero unius diei iter, aut eo amplius, procul ab eis cum reliquis copiis per loca ſuperiora iter faciebat. Cumque ei renuntiatum eſſet Franciſcum ad Foſſumbrunum ſubſtitiſſe, nec longo ſpatio a ſe abeſſe Raimundum, paulum remorari iter, ſenſimque progredi, donec coire in unum poſſent, mandavit, uti ope mutua imminens periculum declinarent. Qua re cognita Franciſcus, ne ſuos temere periculo obiiceret, ſe continuit. Raimundus vero, ac Jacobus, temperato itinere, una cum Patriarcha inter Foſſumbrunum, ac Fanum eodem die pervenerunt. Poſtridie mane Legati juſſu convocatis omnibus copiarum Ductoribus, ut quid agendum eſſet conſultaretur, Georgius Nurius Philippi Legatus, jam multo ante in caſtra profectus, liberius loquendi, quæ vellet, petita venia, detulit Italianum Philippo de proditione ſuſpectum eſſe, ſeque eam rem compertam habere, proin placere ſibi, ac velle, uti is vinctus in cuſtodiam detur. Cumque, mirantibus omnibus, Legatus quæſiſſet, cur tam diu in caſtra a Philippo profectus, eam rem ſilentio ſuppreſſiſſet, reſpondit, Philippum mandaſſe, ne quam ejus rei mentionem faceret, donec Raimundus cum Regiis copiis in caſtra perveniſſet, veritus, ne qui in caſtris eſſent, qui illius voluntati adverſarentur. Ubi hæc dixit, repugnante nemine, Italianus comprehenſus, ac Dominico Malateſta in cuſtodiam traditus eſt, triduoque poſt tormentis, criminis confeſſione expreſſa, apud Roccam Contratam

ſecuri

ſecuri percuſſus eſt. Poſthæc Legatus, motis inde caſtris, Montem Fabrum (id enim nomen eſt oppido), quod ab hoſte tenebatur, contendit, idque, admotis undique copiis, primo adventu cepit, pleriſque aliquot caſtellis, atque oppidis circumjectis, quæ Federico Urbinatum Principi parebant, partim expugnatis, partim in deditionem acceptis. At Franciſcus, cum ſeſe copiarum numero hoſtibus imparem ſciret, per montana exercitum ducebat aliquanto procul ab hoſtibus de induſtria obſervans, ſi qua bene gerendæ rei occaſio ſeſe offerret. Legatus contra copiis fretus, per plana ductabat, &, nuſquam reſiſtente, aut obvio hoſte, Urbinatem agrum populabundus vaſtabat. Cæterum appropinquante hyeme, Pontificis copiæ paulatim dilabi cœperunt, præſertim accedente, exhauſtis jam agris, pabuli, ac rerum neceſſariarum inopia. Interim a Florentinis, ac Venetis ad duo millia equitum ad Franciſcum auxilium poſtulantem venerunt. Quibus copiis auctus, non amplius per montana, ut prius, ſed per patentes campos exercitum ducere, pugnandique poteſtatem hoſtibus facere cœpit.

Cum hic eſſet rerum ſtatus, Alphonſus Hiſpanus, quo interprete erat Legatus uſus pace cum Rege facienda, in caſtris relictus, cum copiis trans Piſaurum amnem profectus eſt. Quod ubi Franciſcus agnovit, motis propere caſtris, eo contendit, & a contraria fluminis parte caſtra fecit. Aquandi poteſtas, propter fluminis opportunitatem, utriſque erat. Sed cum triduo poſt Alphonſum, motis caſtris, Tauletum Sigiſmundi caſtellum, mille inde paſſibus in colle ſitum, duxiſſe animadverteret, & ipſe ad alterum caſtellum, in eodem colle ex adverſo ſitum, haud cunctanter contendit. Nec plus mille paſſus caſtra a caſtris aberant. Erat autem id caſtellum Urbinatis Principis. Indeque miſſo, militari more, provocationis ſigno, hoſtes in poſterum diem ad pugnam provocavit. Cæterum Legato abſente, qui ad Montem Florem ſeceſſerat, reſponſum eſt ab Alphonſo, Legati injuſſu prælium committi non licere, ejus abſentis voluntatem ſciri opus eſſe, qua cognita, poſtridie mane ſe illi reſponſurum; nec tamen provocationis ſignum hoſti remiſit. Quod cum Legato non placuiſſet, ne tantas Pontificis, Regiſque copias fortunæ committeret, mittereturque poſtridie, qui id Franciſco renuntiaret, animadverſum eſt e caſtris hoſtem movere cœpiſſe. Quapropter, ſumptis propere armis, ad anguſtias ſaltus, qui medius inter utraque caſtra intererat, ne tranſgreſſus hoſtis caſtra invaderet, haud ſegniter proceſſere. Vixque ad ſaltus ingreſſum erat perventum, cum ibidem hoſtis affuit. Cumque eo loco ob

angu-

Digitized by Google

anguſtias haud facile univerſus exercitus ſeſe explicare poſſet, hoſtibus conatu magno perrumpere adnitentibus, ingens in eo certamen fuit. Cumque aliquantum pugnatum eſſet, ac fruſtra ſeſe niti Franciſcus animadverteret, receptui cani juſſit. Quo viſo, & Pontificis copiæ eo ſaltu, præſidio infeſſo, ſeſe in caſtra receperunt. Triduo poſt Franciſcus, motis inde caſtris, Montem Aureum, Sigiſmundi caſtellum, petiit, idque, alterumque ei proximum haud multo militum labore expugnavit. Subinde Gradariam contendit, (& hoc quoque Sigiſmundi oppidum erat), idque quoniam, præter naturalem ſitum, præſidio impoſito vi capi non poterat, obſidere cœpit, magnamque hyemis partem in ea obſidione conſumſit. Per id temporis Philippi exercitus ad Caſalem juxta flumen Padum, Duce Micheleto Cottiniola, a Venetis prælio fuſus, caſtriſque exutus eſt, magno numero equitum, peditumque capto. Cujus cladis cauſa, copias e Piceno revocare, atque inſuper auxilia poſtulare Philippo neceſſe fuit. Sed tum primum eas dumtaxat copias, quæ ſub Italiano Furlano ſtipendia fecerant, popoſcit. Qua re cognita Legatus, de Pontificis voluntate confeſtim eas Georgio Nurio, Mediolanum ut perduceret, conceſſit. Ac ne quid incommodi in itinere acciperet, præſertim a Faventini Principis fratre, qui ſub Florentinis merebat, ad Bagnacavallum, in Flaminia oppidum, univerſum exercitum ipſis copiis præſidio ire juſſit; quo reverſo, cum præter ipſum equitatum ad Philippum profectum, Rubertus Montarboteus, atque alii plerique copiarum Ductores abeſſent a caſtris; Legatus, quo tutiore loco eſſet, in Sigiſmundi agrum haud procul a Gradaria, quod adhuc a Franciſco obſidebatur, imbelli multitudine prius in circumjecta oppida dimiſſa, quo major iis neceſſariarum rerum copia ſuppeteret, ſe recepit: ibique caſtris poſitis, invitante propinquitate, pene per ſingulos dies prælia invicem gerebantur, non tamen, ut in univerſum certamen veniretur.

In hoc rerum ſtatu Venetis Abduam amnem tranſgreſſis, cum Philippus curis anxius auxilium a Pontifice, atque a Rege vehementer poſtularet, eaque res Legato demandata eſſet, ſtatuit, uti Sigiſmundus Malateſta, Cæſar Martinengus, ac Raimundus Buillus in Inſubres ad eum proficiſcerentur. Ad duo millia & quingentos equites ii duxerunt. Inter hæc Rodericus Murius, peditum ductor genere Hiſpanus, cum peditibus mille a Rege miſſus, ac Rubertus Montarboteus cum equitatus

tatus parte ad Legatum in caſtra pervenerunt. Quibuſcum aſſumpto Jacobo Caviano, cæteris copiarum Ductoribus relictis, ipſe in Picenum rediit. Pauciſque diebus interjectis, Jacobum proditionis ſuſpectum apud Roccam Contratam, ubi & Italianum paulo ante, capitali ſupplicio affecit. Interim Franciſcus ad Raymundum Buillum, qui nondum abierat, in caſtra miſit, qui rogaret, uti ad ſe Palermum peditum ductorem mitteret, qui ab eo ad ſe mandata perferret, eſſe aliqua, quæ ſecum communicare cuperet. Facta poteſtate, cum Palermus ad eum profectus eſſet, ait ſe, niſi eſſet in caſtris Legatus Florentinus, venturum cum Raymundo in colloquium fuiſſe. Cæterum miſſurum, quo Raymundus vellet, Urbinatium Principem, & cum eo alium quempiam ex his, quos fideliores haberet, qui ſuam ſententiam ad illum perferrent. Cumque Raymundus reſpondiſſet, nolle ſe in colloquium cum hoſte venire, nili eidem aliquis a Legato Pontificis intereſſet, ne quid ſuſpitionis ea res amicis afferret, non renuit, quo minus Antonius Ridius copiarum dux cum eo una proficiſceretur, & ipſe, quæ dicerentur, auditurus. Qua re conſtituta, Urbinatium Principe, & altero ex Franciſci domeſticis ad Montem Aureum (uti erat conſtitutum) profectis, Raymundus quoque, & Antonius eodem acceſſerunt. Ibique tum primum de fœdere inter Pontificem, Regem, Philippum, ac Franciſcum agi cœptum: omnis namque eorum oratio in id tendere viſa eſt, ut oſtenderent Franciſcum maxime cupere cum Pontifice, ac Sociis pacem, fœduſque ferire, nec ulterius cum iis bello contendere. Dum hæc aguntur, Franciſcus, ſive hyemis tædio, ſive quod Gradariam a ſe nequicquam tentari animadverteret, motis inde caſtris, Piſaurum, Alexandri fratris oppidum, ſe recepit, ibique reliquum hyemis quievit.

BAR-

Digitized by Google

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER NONUS.

HAud dubium ab re, ut opinor, fuerit Florentini belli cau-ſam, atque originem explicare. Philippus Maria, de quo ſuperioribus libris ſæpius mentionem fecimus, per eam pacem, quam cum Venetis, ac Florentinis apud Martinengum fecit, Blancam filiam Franciſco Sfortiæ, de qua quidem re diu ambiguus conſilia pro temporum conditione variarat, uxorem dedit, ſexaginta millibus Philippeis illi dotis nomine promiſſis. Cumque eam pecuniæ ſummam, propter ærarii exinanitionem, repræſentare non poſſet, Cremonam, urbem opulentam, ei tantiſper pignus dedit, præſidio inde educto. Cujus pecuniæ ſolvendæ ut primum illi poteſtas fuit, ad generum miſit, qui pecuniam efferret, Cremonam repeteret. Cumque is tergiverſaretur, diem jam multo præteriſſe dictitans, qui perſolvendæ pecuniæ conſtitutus eſſet, miſit Philippus Italianum Borromæum, locupletem virum ad Venetos, tamquam Franciſci amicos, & pactionis hujuſmodi autores, qui de injuria expoſtularet, ſimul qui, oblata pecunia, Cremonam repoſceret. Sed nihilo magis per Venetos conſequi id potuit. Quippe qui urbem tam validam, prope in viſceribus imperii Mediolanenſis ſitam, in Philippi poteſtatem redire ægre ferebant. Itaque cum legationibus tempus terendo nihil ſe proficere animadverteret, bellum aperte inferre ſtatuit, armis, quod ſibi injuſte negabatur, vindicaturus. Coactiſque, ut primum potuit, copiis Franciſcum Piciminum, quem paternæ virtutis gratia exercitus Ducem deſignaverat, in Cremonenſem agrum proficiſci juſſit. Cumque haud multo poſt profectionem ejus accepiſſet Venetos, ac Socios copias parare, nec paſſuros eam urbem ab illo expugnari, Epiſcopum Novarienſem ad Alphonſum opem oratum milit, ſatis ſibi fore ſignificans, ſi ſtatim vel cum exiguis copiis extra Regni fines prodiret. Sperare enim, ſimul atque Florentini audiſſent eum cum exercitu in Hetruriam contendere, iis (id quod neceſſe eſſet futurum) domeſtico bello implicitis, ſe Venetis viribus parem, Cremonam recepturum. Eugenius quoque Pontifex Ma-

Digitized by Google

ximus Venetis, ac Sociis per id temporis multis de causis infensus, & ob id Philippo amicus factus, ne Philippo deesset, Regem precabatur. Quibus rebus motus Alphonsus, paratis copiis, extra Regni fines progredi statuit. Cumque interim cognovisset Philippi exercitum a Micheleto Cottiniola, Venetorum Duce, castris exutum, profligatumque esse, conturbatus amici casu, auxilium implorantis, Raymundum Buillum, cum nonnullis aliis copiarum Ducibus, jam iter meditantem, maturare in Insubres ad Philippum jussit. Ipse vero, quamvis per hyemis tempus, ire perrexit, profectusque per Latinos Tibur pervenit. Advenienti portas Tiburtes Pontificis jussu aperuere. Et quoniam Florentini, cognito ejus consilio, sæpius significaverant velle se copias ex Insubribus revocare, spemque fecerant, & Venetos idem facturos esse, progredi ulterius destitit. Verum enimvero ea expectatio frustra fuit. Namque Veneti victoriam persecuti omnem Philippi ad amnem Abduam agrum una prope excursione ceperant, multis oppidis vi captis, multis etiam in deditionem receptis. Fuit autem adeo repentina ejus procellæ vis, ut omnem de rebus suis spem reliquam Philippus abiecerit. Reputabat animo, sibi neque Ducem belli supereſſe ullum, cujus virtuti satis confideret, & dissipati exercitus reliquias nec sine grandi pecunia cogi, reficique, nec sine egregii Ducis opera recipere pristinum animi vigorem posse. Una illi salus ei in tam adversis suis rebus videbatur, Francisci videlicet reconciliatio, quem cæteris omnibus copiarum Ducibus belli scientia, ac felicitate præstare, mortuo Picinino, constans apud omnes increbruerat opinio. Eum igitur sibi per amicos reconciliatum cum Ducem exercitus designasset, ad Alphonsum misit, qui id ei nuntiaret, peteretque insuper, quoniam Francisco ad equites armandos pecunia opus esset (qui aliter neque cogi, neque duci possent), uti, positis cum Francisco inimicitiis, illi septuaginta nummum aureorum millia mutua daret, se postea bello liberatum eam summam cum fide repræsentaturum. Quod cum Alphonsus, beneficiorum ejus in se non immemor, facere constituisset, extemplo Arnaldum Fenoledam, virum constantem ac gravem, omnium consiliorum & arcanorum ejus participem, Neapolim misit, qui eam pecuniæ summam ex ærario depromtam, cujus custodiam ei demandaverat, ad eum deferret. Quam delatam Alexandro Francisci fratri, consensu Pontificis ad illum profecto, tradi imperavit. Qua accepta, Franciscus quamprimum cogere

copias

copias coepit, ut inde in Insubres contenderet, fortuna ita moliente (quæ plerumque ludere in rebus humanis solet), ut ipse sibi ex inimica pecunia Mediolanense Imperium strueret. Cum autem iter ingredi coepisset, aut jam ingressurum fama esset, Philippus in suspitionem venit, illius potentiam veritus, ne is sibi imperium, dominandi cupiditate, eripere cogitaret. Itaque misit plures ad Alphonsum nuntios oratum, ne in Insubres proficisci gravaretur: velle se Mediolanum, & quicquid belli fortuna ei reliquisset, præter Ticinum urbem, quam unam sibi vitæ solatium reservaret, ubi procul a belli curis, ac negotiis ageret, in ejus potestatem tradere. Caterum Alphonsus indignum ratus, ut qui tam longe, lateque imperitasset, sese tanto dominatu privaret, per literas consolabatur ægrum, bonoque animo jubebat esse: rejectisque continuo, quæ ille offerebat, hortabatur eum, ne aut Venetorum metu, aut ulla de Francisco suspitione ea meditaretur, quæ tantæ existimationis Principi indecora viderentur: se neque laboribus, neque periculis, pro tuendo ejus Regno, parsurum; quoque illi de Francisco orta suspitio magis adimeretur, se, cum primum is progredi coepisset, cum exercitu subsecuturum; ac ne quid ei nocere posset provisurum.

Inter hæc Eugenius Pontifex, diuturno morbo affectus, e vita excessit. Cujus mors Philippo, ac Regiæ expeditioni (erat id momentum ingens in rebus gerendis) perincommoda accessit. Cumque Alphonsus accepisset Romanorum Principes, convocatis iis, ad quos novi Pontificis creatio pertinebat, tumultuari, ac per diversas factiones eniti, ut pro suorum studiis Pontifex crearetur, egregium facinus arbitratus, talium virorum conatibus obstare, nec pati, ut ii impedirentur, quominus Pontificis comitia pro vetere more, atque instituto rite haberentur, Marinum Caratiolum, Joannem Antonium Ursinum, Gartiam Cabanellum, & Caraffellum Caraffam ad Cardinalium Collegium legatos misit, qui & Eugenii mortem sibi gravem fuisse ostenderent, & hortarentur, ut in creando novo Pontifice uno, & consentienti animo essent, nec vererentur libere suffragium ferre: paratum se esse, si qui fortasse intercederent, quo minus comitia rite haberentur, qui illorum conatibus obviam iret, ac Sacrosanctæ potestatis libertatem, dignitatemque defenderet. Cum autem ex eo quæreretur, quemnam illi potissimum ex omni Cardinalium numero Pontificem legi placueret, respondit eum, qui una totius Collegii voce, atque consensu legeretur. Deinde proceres Romanos (quorum nonnulli

Digitized by Google

motus nuntiabantur) favere paratos, prout in ſuos quiſque affectus erat, nequid intercederent, quo minus comitia ipſa rite fierent, per literas monuit. Quibus partim metu, partim verecundia deterritis, miſſis inſuper a Rege, qui Collegio adeſſent, faverentque, Thomas Epiſcopus Bononienſis, quem Nicolaum Quintum appellavere, Pontifex Maximus factus eſt. De quo ut aliquid dicam hic me locus admonet. Fuit enim ejus viri non virtus modo, ſed etiam fortuna noſtro ſæculo admirabilis. Sergiani enim natus patre medico, honeſto ac probo viro, cum ſacrarum literarum ſtudia præ cæteris adamaſſet, Bononiam, ac Senas ſe contulit: brevique tempore tum ingenii bonitate, tum diligentia Philoſophus, ac Theologus clarus evaſit: pluribuſque annis utrobique publice literas profitendo floruit. Ad doctrinam ejus emendati mores, ac vitæ integritas accedebant. Quibus de rebus Nicolai Epiſcopi, ac Cardinalis Bononienſis, viri ſanctiſſimi, amicitiam ſibi conciliavit, ejuſque rebus ſumma cum fide adminiſtratis, id eſt conſecutus, ut, illo mortuo, ipſe Epiſcopus Bononienſis, orante univerſo Populo, ab Eugenio factus ſit. Pauciſque poſt menſibus legatus ab eodem ad Hunnos miſſus, cum res ex illius ſententia geſſiſſet, adveniens, Cardinalis inſignibus ultro ad eum in itinere delatis, inter Cardinales cooptatus eſt, ac paulo poſt mortuo Eugenio, miro quodam totius Collegii conſenſu, Pontifex Maximus, ut diximus, factus eſt; atque hic tantorum honorum curſus (quod magis mirandum ſit) fere intra anni ſpatium illi contigit. Ut autem ad rem redeam, poſtquam Regi renuntiatum eſt, illum Pontificem factum eſſe, feſtum diem, quo ille Pontificatus inſignia acciperet, a ſe condecorari æquum exiſtimans, Honoratum Cajetanum, Guilielmum, & Raymundum Moncatam, Carolum Campobaſſum, ac Marinum Caratiolum, qui ſuo nomine intereſſent, legatos Romam miſit, ac mox alios, per quos ſeſe illius auctoritati ſubjecit.

Haud multo poſt, cum a Venetis Legati Romam veniſſent, ut publico nomine & ipſi partum Pontificatum Nicolao gratularentur, poſtquam officio functi ſunt, cum apud Pontificem in belli mentionem incidiſſent, docuere non placere Venetis bellum adverſus Philippum diutius continuari, iiſque pergratum fore, ſi Pontifex Legatum quempiam Ferrariam mitteret, quo cunctarum partium Legati commode conventuri eſſent, ut ibi de communi Italiæ pace ageretur. Omnibus ita palam fore, per Venetos non ſtare, quo minus ſida firmaque pax in Italia fieret. Quod cum Pontifici ve-

hemen-

Digitized by Google

hementer placuiſſet, cupienti Italiam diu bellis agitatam aliquando quieſcere, miſſurum ſe brevi Ferrariam Legatum recepit. Iiſdem prope verbis Legati Tibur profecti apud Alphonſum uſi ſunt. Quibus benigne auditis, nihil ſe prætermiſſurum reſpondit, quod ad pacem conficiendam pertineret. Nihil enim hoc uno ſibi majori curæ eſſe; Italiæ pacem cunctis Principibus, Populiſque, quibus bene vivendi cura eſſet, maxime omnium optandam eſſe. Per eoſdem dies & a Florentinis Legati ad Pontificem eadem de cauſa profecti, poſtquam Pontifici debitum officium exolverunt, Tibur, ut juſſi erant, ſalutandi gratia ad Regem acceſſere, remotiſque arbitris, multa cum eo de pace collocuti ſunt, quibus itidem, ut Venetis, reſponſum datum, communem Italiæ pacem atque otium magnopere a ſe expeti, ſeque eis neque opera, neque re ulla defore; atque ita ſpe plenos a ſe dimiſit. Poſt hæc, cum de Legatis, pacis cauſa, Ferrariam mittendis cum Pontifice egiſſet, miſiſſetque Pontifex Joannem Cardinalem Morinenſem, natione Gallum, virum, præter juris ſcientiam, ad quævis magna natum, & in omni negotio conſultiſſimum, cujus etiam opera Pontifex in maximis & graviſſimis quibuſcunque rebus utebatur, ipſe Caraffellum Caraffam, ac Matthæum Maleferitum Ferrariam miſit, ſive pacem, ſive inducias facere Veneti mallent. Quo profectis omnium Principum, ac Civitatum Legatis, cum de pace agi coram Pontificis Legato, ac Leonello Ferrarienſium Principe cœptum eſſet, Matthæus Victorius, ac Paſchalis Maripetrus, Venetorum Legati, quo bellum a civibus ſuis geſtum excuſarent, ante omnia dixere, urbis ſuæ Conditores, Attilæ olim teterrimi tyranni arma fugientes, in humilibus parviſque inſulis, perpetuiſque adeo æſtuariis, in quibus urbs illorum ſita eſt, urbis ſuæ fundamenta jeciſſe, nec Majores ſuos unquam voluiſſe, neque ex ſe ortos poſteros alios Populos ſui cauſa eas ærumnas perpeti, quas ipſi Aquileja, Patavio, Altino nobiliſſimiſque aliis Civitatibus Italiæ profugi, aut ab Attila, aut a barbaris aliis poſtea paſſi eſſent. Quin potius eam urbem patria expulſis perfugium unicum, ac domicilium fuiſſe, perque hæc præclara majorum inſtituta eorum Rempublicam in eam magnitudinem creviſſe. Se itaque tum natura, tum conſuetudine Majorum atque inſtituto ita comparatos eſſe, ut non, niſi laceſſiti, ac tuendæ Reipublicæ cauſa, bella ſuſciperent, atque perſequerentur. Si vero contingeret Philippum decedere, qui & mortalis eſſet, & plane jam grandis natu, & Mediolanenſes pacem eorum non aſper-

ſpernarentur, ſeſe pro iis, quæ Philippo per bellum ademiſſent, tantum agri iis collaturos, ut nemini amplius ambiguum eſſet, Venetos tot in Italia bellorum haudquaquam auctores extitiſſe. Poſt hæc cum de pace mentio cœpta eſſet fieri, adjecere, quoniam bellum a Philippo injuſte motum eſſet, debere Philippum, jure violati fœderis, quantum ipſi argenti in belli ſumptum effudiſſent, repræſentare. Et quoniam Philippo, fortaſſe diuturnis bellorum impenſis exhauſto, non eſſet unde id in præſentia diſſolveret, petere ſe certum pignus, donec ei ſolvendi poteſtas eſſet. Ad ea Legati Regii, Venetos Philippo præſtare idem debere, ſi ipſi bellum adverſus Philippum injuſte ſuſcepiſſe convincerentur. Eam autem controverſiam apud Pontificem Maximum Romæ facile cognoſci, dirimique poſſe. Cæterum Veneti ejus rei diſceptationem, quam pro comperta habere ſe dicerent, ad Pontificem referri noluerunt. Atque ita diſceptando ille conſumptus eſt dies.

Multis vero jam diebus ante Philippus, Venetorum exercitu Abduam flumen tranſgreſſo, curis anxius, ac diffidens ſuis rebus, ad Alphonſum miſerat oratum, uti quempiam e ſuis, quicum intima conſilia ſua communicare tuto poſſet, ad ſe mitteret. Quod cum Alphonſus, a ſe haud temere requiri ſibi perſuaderet, Ludovicum Podium, cui vehementer fidebat, ad eum miſit. Quo Mediolanum profecto, ut agnovit Philippus ex literis Regia manu præſcriptis, hunc eſſe, quem ad ſe mitti rogaverat, poſtquam de Rege, quæ voluit, percunctatus audivit, vocatum a ſe inquit, ut in eum Regio nomine omne jus, poteſtatemque Imperii ſui transferret. Velle ſe quieti conſulere, atque a tantis belli fluctibus ſeſe quam maxime abſtrahere: proinde rogare, atque hortari, uti is rerum ſuarum poſſeſſionem acciperet; quam ſi repudiaret, cui ſua traderet, non defuturum, eaque fortaſſe in hujuſmodi virum perventura, ut eam reſpuiſſe Regem poſtea ſero, ac nequicquam pœniteret. Nam cum quotidie magis, magiſque ab hoſtibus premeretur, Mediolanum uſque cum exercitu progreſſis, ſubierat animum ejus deſperatio quædam, omnia impendentia pericula circumſpectantis. Ludovicus vero cum mandatum a Rege nullum haberet, quo ſibi de his tranſigere liceret, veritus, ne quid Regem offenderet, renuit: continuoque ad Regem, ita jubente Philippo, magnis itineribus rediit, ab illo, ſi ita placeret, totius rei poteſtatem accepturus. Quibus cognitis Alphonſus, ne Philippi Imperium in inimicorum poteſtatem perveniret, Ludovico ejus rei poteſtatem fecit. Cæterum ejus deliberatio in

alte-

Digitized by Google

alterutram variantis ſententiam, ne id avaritia imperii effeciſſe videretur, paulo ſerior fuit. Interim Philippus primum ob adverſam valetudinem oculis captus, dein ex ipſa arce, hoſtilium armorum fragore audito, vehementer commotus, vitæ tædio ſimul & languore, mortem obiit. Quod cum Ludovicus Parmæ cognoviſſet, Regemque præterea ab eo hæredem inſtitutum, cæterum Mediolanenſes libertatis cupiditate incenſos Reipublicæ adminiſtrationem arripuiſſe, ignarus quonam illorum cœpta evaderent, retro converſo itinere Regium Lepidi venit. Quæ poſtquam Alphonſo renuntiata ſunt, veritus, ne Venetorum opes plus nimio creſcerent, Mediolanenſibus oppreſſis, Caraffellum Caraffam, ac Matthæum Maleferitum, qui adhuc Ferrariæ erant, confeſtim Regium proficiſci juſſit, atque una cum Ludovico Legatos ad Mediolanenſes proficiſci, qui, quænam eſſet eorum mens, diligenter ſcrutarentur, ſimulque hortarentur, uti conſtanti animo adverſus hoſtes gererent bellum; ſeſe iis haud quaquam defuturum. Quibus ita conſtitutis, ulterius progrediendum arbitratus, ut hoſtibus terrore injecto, Mediolanenſes tanto belli onere levaret, Tiburi digreſſus, adhuc incertus in Inſubres ne iret, an Hetruriam peteret, pro rerum opportunitate conſilium in itinere capturus, in Sabinos abiit. Ac primum Farfam, ad novem millia paſſuum a Roma profectus, conſtitit: reliquum equitatum, qui ad ſe venturus eſſet, & item Eximinum Corellam, Matthæum Puiadem, ac Joannem Olzinam opperiens, quos Ferdinando filio adoleſcenti ad Regni gubernacula conſiliarios, ac rectores reliquerat, ad ſe idcirco accerſitos, ut de rebus, quas, ſe abſente, gerendi cauſa belli agi vellet, mandata iis traderet. Quibus ad ſe profectis, &, quæ opus erant, edoctis, inde movit, atque in Sabinos perrexit. Quibus in locis aliquot dies ab eo conſumpti, dum ex Inſubribus certiora ſcire expectat, ibi & pro ea amicitia, quæ illi cum Philippo fuerat, & pro officio, quod ab illo hæres teſtamento nuncupatus eſſet, magnificentiſſimo funere ei juſta perſolvit. Indeque digrediens, Nare flumine ponte junctо, exercitum trajecit; progreſſuſque haud procul ab Orta oppido ſubſtitit. Ibi duplex ſe pandebat iter, alterum per Tudertinos in Galliam Ciſalpinam, alterum in Hetruriam. Itaque aliquandiu dubius ſtetit, utrum potius ingrederetur. Nam ex altera quidem parte verebatur, ne Mediolanenſes, quorum ſalus ſibi ingenti curæ erat, a Venetis opprimerentur, qui majores copias habebant: ex altera vero cogitabat, ſi Florentinis

bellum

Digitized by Google

bellum inferret, fore, ut ii rerum domeſticarum metu a Venetis copias disjungerent. Quibus in Hetruriam abſtractis, bellum Mediolanenſibus, haud erat dubius, levius fore. Denique cum Hetruriam petere conſtituiſſet, partim ponte, partim vado Tyberim amnem ſub Ortam copias traduxit. Interim Simonetus copiarum Dux, qui paulo ante a Florentinis finito ſtipendio diſceſſerat, a Rege conductus eſt. Ad mille is equites ducebat. Appropinquanti agro Florentino Regi, cum equitatu, & aliquanto peditatu obviam venit, copiaſque cum illo conjunxit. His copiis auctus Rex agrum Florentinum ingredi (haud hoſtiliter tamen) coepit, ſperans fore, uti Florentini, metu ne bellum in ſeſe transferretur, copias ex Inſubribus revocarent: ipſeque per Hetruriam pacatam & amicam ad opem Mediolanenſibus ferendam proficiſci poſſet. Cum autem ad Montem Politianum perveniſſet, Legati ad eum a Senenſibus oratum venere, ne quid incommodi ditionis ſuæ populis, qui finitimi Florentinis eſſent, a ſuis inferri pateretur. Quibus reſponſum a Rege eſt, veniſſe ſe in Hetruriam eo animo atque conſilio, ut neminem injuria afficeret: communem a ſe totius Italiæ pacem, & tranquillitatem optari. Statuiſſe ideo Florentinis bellum inferre, quo illorum animos a belli conſiliis ad pacem retraheret. Si ex Inſubribus copias revocent, nullum ſibi cum iis bellum, aut inimicitias fore. Per eoſdem dies Janotius Pitius, ac Bernardus Medices Legati a Florentinis ad Regem venerunt. Hique, facta loquendi poteſtate, in hunc fere modum locuti ſunt. Audieramus, Rex, jam antequam Tiburi diſcederes, inſtituiſſe te Hetruriam petere ad bellum Civitati noſtræ inferendum. Et quamvis ejus nuntii autores haud tamen leves eſſent, tamen id nobis perſuaderi nullo modo poterat, animo volventibus pacem, atque amicitiam, quæ nobis cum Aragonum Regibus, Majoribuſque tuis, multis jam ſæculis, atque adeo tecum ſingularis fuit. Repetebamus memoria multa, ac magna beneficia ultro citroque data acceptaque. Veniebant in mentem mutua tuorum, ac noſtrorum civium commercia, atque hoſpitia, quæ cum nulla alia gente in omni Orbe terrarum aut majora, aut frequentiora nobis extiterunt. Cogitabamus, poſtquam Regno Neapolitano potitus es, nihil nos molitos eſſe, quod ſtatus tui quieti incommodaret. Conſiderabamus præterea naturam tuam: non ſolere te bella injuſta ſuſcipere, eaque res una potiſſimum nos in hac ſententia confirmabat. Te enim, cum ſis inter noſtri temporis Reges opibus potentiſſimus,

Digitized by Google

mus, auctoritate ampliſſimus, ætate, rerumque militarium uſu graviſſimus, nihil aliud præter decus, & gloriam, præterque pacem, & otium, qui finis bella gerentibus proponi ſolet, quærere exiſtimabamus. Atque hæ quidem rationes, & cauſæ ſuberant, cur non ſatis crederemus iis, qui nobis bellum abs te futurum prædicebant. Verum poſtquam comperimus te agri noſtri fines jam ingreſſus, hoſtili animo adventare (quamquam nondum gladium nudaveris) id maxime admirati, venimus oratum pro veteri amicitia noſtra, ut, quam adverſus nos concepiſti, ira poſita, a noſtrorum injuriis, ac populationibus milites tuos arceas, ſimulque nobis exponas, quænam hujus tuæ indignationis cauſa fuerit, ut, ea civibus noſtris renuntiata, aut re, aut verbis tibi ſatisfacere queamus. Ad ea Rex in hunc fere modum: Haudquaquam vobis ignotum eſſe, Florentini, arbitror (id quod res ipſa docuit) conſilia mea, poſtquam Regni Neapolitani compos factus ſum, ſemper cum pace totius Italiæ fuiſſe conjuncta, ſemperque id unum me ſpectaſſe. Quippe qui hanc unam rem mihi maxime omnium glorioſam exiſtimabam, ſi (quantum in me eſſet) deſeſſæ jam tandem tot malis, & calamitatibus Italiæ requiem darem. Neque vos præterit, cum adhuc Philippus viveret, Eugenium Pontificem Maximum, meo potiſſimum hortatu, Legatum Italicæ pacis componendæ gratia Ferrariam miſiſſe, quo etiam ego, & Philippus Legatos noſtros, vos item, ac Socii veſtros miſiſtis. Cæterum cum ea de re agi cœptum eſſet, Philippi immatura mors pacis mentionem ſuſtulit. Quo mortuo, Veneti, quos rebamur omnes bellandi tædio jam tandem effectos, bello finem impoſituros, Philippi Imperium occupare conati ſunt. Quorum Legatis cum per eoſdem Legatos noſtros objectum hoc eſſet, non reſpondere iiſdem verbis, quibus paulo ante Philippi mortem uſi eſſent (dixerant enim inter cætera, ut eorum verbis utar, in ea diſceptatione, cum de pacis legibus tractari cœptum eſſet, Philippum omnis belli cauſam, ac fomitem fuiſſe, qui ex bellis bella ſerens, requieſcere non poſſet), ſed conſilia pro re, ac tempore capi ſolere reſponderunt. Tunc vero palam factum eſt (id quod multis adhuc ambiguum erat) eos ſcilicet, non Philippum tantorum bellorum cauſam extitiſſe. Nam qui, mortuo Philippo, contra Mediolanenſes adhuc irati arma retinent, cum pacem tranquillam habere poſſint, ii plane belli ſatores ac fomites eſſe, manifeſto convincuntur; quin etiam huic dominandi libidini non vulgarem

Digitized by Google

quandam verborum crudelitatem adjecerunt (*). Non modo enim non excuſarunt immoderatam bellandi cupiditatem, ſed Senatum ita quoque decreviſſe dixerunt, ut, quæ Philippo reliqua erant (ſi quando in eorum poteſtatem pervenirent) militi ad prædam proponerentur; qua voce an ulla ferocior, aut immanior ſit, haud ſcio. Non erat iis ſatis, quod Philippum perpetuo, atque immortali bello laceſſiſſent, niſi & Mediolanenſes, quibus nulla gens in Italia pacatior eſt, libertatem tueri conantes, acerbiſſimum ſervitutis jugum ſubire cogerent, idque copiis veſtris adjuti (quod mihi gravius eſt), quibus illi aucti, ac freti, Mediolanenſem agrum longa pace, omni frugum ac rerum copia refertum, crudeliter vexant, ac diripiunt. Cum ad me æquo jure ſpectet, ut ſcitis, Mediolanenſe Imperium, atque adeo omnia, quæ Philippus tenebat, quem illi moriens hæredem inſtituerit, & copiarum veſtrarum adjumento, quas ex Inſubribus revocare noluiſtis, hæc incommoda noſtris inferantur, ob eam cauſam arma ſumere compulſus, veni, ut hanc a meis (ſi poſſim) injuriam propellam, vimque, ut ajunt (quod per leges licet) vi arceam. Atque ideo tardius iter feci, poſtquam Tiburi diſceſſi, ut vobis ſpatii ſatis daretur ad res veſtras mecum, ſi ea mens vobis fuiſſet, componendas. Quod poſtquam negligentia veſtra nequicquam expectari animadverti, propoſitam expeditionem perſequi conſtitui. Vos itaque rebus veſtris, ut videtur, conſulite, poſtquam ſæpius moniti audire noluiſtis. Hæc ubi Legati audiere, nullo reſponſo dato, vehementer a Rege petierunt, uti bello abſtineret, donec, iis Senatui renuntiatis, quid is cenſeret, retuliſſent. Quod cum primo abnueret, tandem precibus victus, quinque dierum inducias Florentinis conceſſit; atque ut eis interim belli ſuſpitionem magis adimeret, inter Florentinum, ac Senenſem agrum exercitu ductato, ad ſex millia paſſuum a Senis conſedit. Poſt quintum diem, cum Florentini nihil reſponderent, caſtra movit. Ac primo inter Rincium, quod erat Florentinum caſtellum, ac Senas duxit. Cumque ibi caſtra metatus eſſet, Senenſes ſuſpicati, eum per factionum capita eniti, ac ſtruere, ut eorum urbe potiretur, confeſtim armatos intra urbem, & ad portas diſpoſuerunt; ob eamque ſuſpicionem fie-

(*) *Non cadit tantum hoc crimen in gentem omnium mitiſſimam, atque humaniſſimam, præſertim Hiſpano obiiciente.*

Digitized by Google

fiebat, ut parum commeatuum in caſtra deferretur. Quod ubi agnovit, extemplo ad eos legatum miſit Franciſcum Martinellum, quo viro tunc in magnis quibuſque rebus utebatur, qui ejuſmodi ſuſpitionem vanam eſſe demonſtraret. Quorum amicitiam non tam optabat, quod ullum ab iis in bello auxilium expectabat (quamquam multa, ac magna polliciti fuiſſent), quam ut inde ſibi copia commeatuum eſſet, quos aliunde contrahere laborioſum, ac ſumptuoſum eſſet. Qui, audito Martinello, ea ſuſpitione non nihil levati, commeatus aliquando largius in caſtra deportari permiſerunt. A Rincio inde, continuo inter Senenſem, & Florentinum agrum, haud oſtiliter itum, donec Pomarantium perventum eſt. Quod caſtellum primum omnium a Rege hoſtiliter petitum, eo ipſo, quo venerat die, copiis circumfuſis, captum, atque direptum eſt. Ad Caſtrum Novum inde in Volaterranum movit, cujus incolæ, audita Pomarantii clade, confeſtim abſque certamine in deditionem venerunt. Idem fecere aliquot caſtella circumjecta, ne per vim idem agere cogerentur. Poſt hæc Montem Caſtellum petiit in colle ſitum, natura, atque opere munitum. Quod quoniam haud expugnabile videbatur, caſtris haud inde procul poſitis, obſidere aggreſſus eſt. Inter hæc Senenſes, ſive Florentinorum metu, ſive ejus ſuſpicionis cauſa (quam diximus), cujus fortaſſe aliqua adhuc veſtigia animo reſiderent, commeatus perparce ſummittere, eoſque non parvo pretio venditare. Quod cum Alphonſus animadverteret, rurſus ad illos miſit, qui de ea re, ut par erat, quereretur. Verum enimvero ea legatio vel nihil, vel parum illos movit. Nihilo enim uberius commeatus in caſtra deferri ſiverunt. Quod autem deferebant, inter eos dividebatur, quibus commeatus petendi a circumjectis caſtellis facultas non erat. Nam quibus poteſtas erat, ii neceſſitati ſuæ conſulebant. Idque proviſum a Rege fuerat, quo commeatuum penuria in caſtris ſublevaretur. Cæterum dum caſtellum obſidetur, aliud malum, præter famem, vexare milites cœpit. Namque ea imbrium magnitudo, eaque vis ventorum fuit, ut neque extra tentoria, neque intra magis quieſcere quiſquam poſſet, multis eorum diſcerptis, multis per aerem raptatis. Caſtellani interim ſitu freti, nullam de deditione mentionem fecere. Itaque cum Rex animadverteret, præter ea, quæ commemoravimus incommoda, fruſtra ibi tempus teri, quod abſque operibus caſtellum expugnari non poſſet, quæ eo comportari immenſi operis fuiſſet, motis inde caſtris, Campiliam perrexit, atque

que ibi caſtra fecit. Ea enim via in agrum Piſanum ferebat, quo intendebat iter. Sed quoniam Florentini, cognito ejus itinere, illud & præſidio, & annona prius firmaverant, diebus aliquot commoratus, ad caſtella ſex finitima in Gerardiſca (id ei Regioni eſt nomen) Facii Comitis, qui a Florent. olim pulſus, Regem diu ſequutus fuerat, recepit, receptaque ei reſtituit. Interea Florentini agreſtes, ac populares ſuos ex minus firmis in tutiora loca traducere, copiis præpoſito Federico Urbinatum Principe, rei militaris perito. Rex vero, antequam in Hetruriam ingrederetur, Sigiſmundum Malateſtam cum equitibus MCCC., ac pedibus DC. conduxerat, ejuſque adventum in dies cupidius expectabat. Cæterum is, accepto Regis ſtipendio, Florentinorum pollicitationibus captus, ad eos ſe contulit; quæ res conſilium immutare de itinere Regem compulit. Itaque cum cerneret commeatus a Senenſibus exigue ſubminiſtrari, pabulaque, & ſtramenta in iis locis, propter anni tempus, defeciſſe (jam enim media hyems ſæviebat) loca mari propinquiora, cœlique mitioris petere inſtituit, confeſtimque ſoluta obſidione, ad portum Baratum, quina inde millia paſſuum, cum exercitu profectus eſt, ea vel maxime ratione, quod e Regno Neapolitano frumenta, atque omne commeatuum genus, mari ad ſe deportari facultas eſſet, propter portus opportunitatem. Imminebat portui collis, in quo olim ſita fuerat vetuſtiſſima urbs Populonia, cujus adhuc nonnulla extant veſtigia: circa hunc collem caſtra fecit. Diſtat autem collis a Plumbino, quod quidam Populinum appellandum putant (nomen a Populonia ductum), non plus fere tribus millibus paſſuum. Erat nobile oppidum, ac peropportune ſitum ad bellum Hetruriæ inferendum. Tenebatur autem a Raïnaldo Urſino, qui, antequam Rex in ea loca commearet, Florentinis inimicus eſſe, quod eorum vicinitatem ſuſpectam haberet, putabatur: cæterum is ipſe, ubi Rex eſt profectus, nec eum ipſum, nec quemquam ſuorum in oppidum, nec commeatus, qui mari deferebantur, recipere ſuſtinuit. Diſpoſitiſque quamprimum per mœnia, ac portas armatis, adventanti portas clauſit, nec, niſi admodum paucos, e Regni militibus oppidum intrare patiebatur.

In hoc rerum ſtatu, cum quidam Florentinorum milites mercede conducti, quos Caſtiliorum præſidio miſerant, deditionem oppidi pollicerentur, præmiſſo Simoneto cum equitatu, oppido, excepta arce, eſt potitus. Quo cognito, motis propere caſtris,

Digitized by Google

ſtris, eo contendit, omnique aditu terra marique occupato, arcem obſidere aggreſſus eſt. Quod poſtquam Florentinis renuntiatum eſt, ingens ſolicitudo urbem pervaſit, quod, præterquam quod eo facile e Neapolitano Regno ad uſum belli neceſſaria comportari poſſent, is locus belli ſedes hoſtibus eſſet futurus; quibus tantum ſub divo, atque in tentoriis agendi antea poteſtas erat. Putabant enim, ubi nullum oppidum in eorum agro Rex haberet, in quo quidem poſſet conſiſtere, fore ut hyemis tædio in Regnum cum exercitu reverteretur. Quapropter copias repente cogi, & Sigiſmundum properare juſſerunt. Interim qui in arce obſidebantur, cum ſe undique circumſeſſos intuerentur, operibus territi, quæ Regem ex Neapoli convehi juſſiſſe fama erat, deditionem pacti ſunt, niſi intra decimum diem Florentini opem ferrent. Cumque nulla auxilia venirent, deditione facta, arce exceſſerunt. Haud multo poſt arce, atque oppido præſidio firmatis, Aquam Vivam ſub vernum tempus cum exercitu petiit, quod ibi aliquanto major pabuli copia foret. Cumque ibi caſtra feciſſet, Legati ad eum a Mediolanenſibus amicitiam, atque opem poſtulatum venere. Namque Veneti, poſt ingentem cladem acceptam, Franciſco Sfortia Mediolanenſis exercitus duce, cum viderent nullam reliquam ſpem ſalutis ſibi amplius ſupereſſe, ipſum Franciſcum a Mediolanenſibus magnis pollicitationibus diſtractum eorum copiis præpoſuerunt. Qui in Mediolanenſem agrum cum exercitu ſubito profectus (neque enim erant Mediolanenſibus, ab illo repente deſtitutis, copiæ ullæ reliquæ, quibus æquo campo congredi auderent) in graves curas Mediolanenſem populum, ut par erat, conjecit. Qui, cum nullam aliam tuendi ſtatus ſui rationem animadverterent, ad Regis amicitiam, ſocietatemque confugere decreverunt. Quorum Legati ad Regem miſſi, cum mandata expoſuiſſent, re ad Conſilium relata, omnes illis ſubveniendum eſſe cenſuerunt, ne vel Franciſcus Sfortia, vel Veneti Mediolano, urbe tam opulenta, tamque opportune ſita, potirentur, quorum utrique inimico animo in Regem eſſent. Periculum enim fore, ſi quo fato Veneti eam Italiæ partem imperio ſuo ſubjeciſſent, ne brevi tempore reliqua Italia potirentur. Itaque Mediolanenſes a Rege in amicitiam, ac ſocietatem recepti ſunt. Atque in eo Alphonſus aperte oſtendit, quamvis ex Philippi teſtamento Mediolanenſe Imperium ſibi deberetur, ſe non tam id expetere, quam totius Italiæ pacem, atque tranquillitatem. Quæ res Mediolanum perlata, civium animos ad commu-

Digitized by Google

munis libertatis defenſionem magnopere confirmavit. Florentini vero, ea re cognita, Legatos ad Alphonſum miſerunt, qui eum placare conarentur, ac de componendis rebus agerent. Rex item Legatos ad illos miſit Baptiſtam Platamonum, ac Ludovicum Podium, qui iis ſuaderent, uti a Venetorum ſocietate diſcederent, ſi pacem ſuam amarent. Cæterum ea pacis mentio fruſtra habita eſt, Florentinis in eo perſiſtentibus, ne a Venetis, & Franciſco Sfortia dividerentur. Aliquanto poſt Alphonſus, medio jam vere, quo major pabuli copia ſuppeteret, ad Abbatiam, quam Fangi vocant, cum omnibus copiis profectus eſt. Cumque Mediolanenſes legati inſtarent, uti bellum Venetis indiceret, ſperantes Regii nominis terrore retroceſſuros hoſtes, ac de re conſultari Regi placuiſſet (cæteris indicendum bellum cenſentibus) unus ex iis, qui aderant, aliter ſentire ſe ait, quod periculum eſſet, ne confeſtim, ubi id Veneti reſciſſent, omnes Regios cives, qui Venetiis, & cæteris in locis, quæ illorum imperio parerent, negociarentur, agerentve, bonis ſpoliatos, in carcerem conjicerent, tum vel maxime, quod cum illis eſſent triremes complures paratæ, atque inſtructæ, quæ onerariis præſidio ituræ ferebantur, facile poterant Regia caſtra maritimis commeatibus intercludere, ac Florentinorum exercitui, qui a tergo eſſet, animos addere. Sed in eorum ſententiam itum eſt, qui officio fungendum, ac ſaluti rogantium amicorum conſulendum ſuadebant. Itaque bellum adverſus Venetos extemplo decernitur, atque in caſtris promulgatur. Interea Florentini de ſuorum fide valde ſoliciti, præſidiis oppida firmare, ignari quonam Rex contenderet. Alphonſus vero media jam æſtate Campiliam rurſus petiit, animo meditans Plumbinum aggredi, ſi fieri poſſet, ut aut oppidum expugnaret, aut Rainaldum in ſententiam pertraheret. Cumque, ibi caſtris poſitis, aliquot diebus permanſiſſet, Petrum Cardonam cum equitatus parte præmiſit, qui, excurſione ſub oppidum facta, quot oppidanos nactus eſſet, comprehenderet. Cæterum Rainaldus, vir bellicis artibus inſtructus, cum ob ejuſmodi ſuſpitionem ſuos in oppido contineret, pauci capti ſunt. Poſtero die Rex, motis inde caſtris, ſub ipſum oppidum caſtra poſuit. Quod cum Rainaldus animadverteret, a Florentinis auxilium petiit, a quibus continenter adverſus Regem ſollicitabatur. Hi igitur, duabus triremibus onerariis celeriter inſtructis, frumenta, milites, arma, tela, impoſuerunt. Quæ Piſis in altum evectæ, adjuvante vento, ſubitoque Plumbinum profectæ, commeatus, ac milites in oppi-

dum,

Digitized by Google

dum ; nullo reſiſtente , expoſuere. Neque enim tunc Regi naves erant (nam triremes alio ierant), quibus illarum curſum impedire poſſet. Quo auxilio fretus Rainaldus , diviſis per ſtationes oppidanis , militibuſque intra muros ſemper paratis , reſiſtere audacius cœpit. Quapropter Alphonſus cum oppidum terra marique obſidere ſtatuiſſet , naves cogi , & cum iis tormenta ænea, cæteraque id genus machinamenta deferri, frumenta , ordeaque, & cæteros commeatus e Neapoli ad ſe mitti imperavit. Interea equorum plerique , cum quicquid herbidum circa erat, mandiſſent, nudumque ſolum nullam jam amplius ſtramentorum, aut pabuli copiam ſubminiſtraret , neque hæc vicinis hoſtibus longius peti poſſent , harundinumque, & quercuum foliis , rubiſque , & arborum corticibus ſuſtentari cogerentur (jam enim finis autumni erat) macie , atque inedia confecti extabuerunt. In hominum quoque corpora vulgatus morbus , quod omnis illa ora propter peſtilentem auram , ex paluſtribus locis efflantem , exitiabilis , atque infamis eſt , complures aut extinxit, aut longa valetudine afflixit.

Florentini vero , cognita Plumbini obſidione , quo ſpem obſeſſis darent , Federicum , ac Sigiſmundum , qui jam adventarant (coactis omnibus copiis , præter eas, quæ oppidis præſidio eſſent , delectibuſque raptim comparatis) Campiliam confeſtim miſerant. Quoque tutior , ac facilior commeatuum copia caſtris ſuppeditaretur , ad Vadæ portum Campiliæ ad octo millia paſſuum propinquum , naves commeatibus onuſtas e Piſano portu dimittebant , atque inde in caſtra modico præſidio deportabant. Nam terra jumentis , aut vehiculis convehere tum laborioſum , tum haud tutum erat . Itaque cùm triremes quatuor onerarias cum commeatibus eo miſiſſent , Rex de earum adventu certior factus , triremes ſex , quas apud Portum Baratum paratas habebat , quæ oram maritimam hoſtium quotidie excurrentes , infeſtabant , cum tribus onerariis navibus haud magnis , quæ ex Neapoli commeatus advexerant, navales ſocios cogere , & cum iis Garcerarium Recheſentium cum imperio Vadam petere præcipit. Quæ cum ab hoſtibus , qui in ſpeculis locati erant , procul profectæ eſſent , continuo triremium præfecti , ſublatis anchoris, pulſibuſque ſolido ſune compactis , ne qua hoſtilis navis ſeſe in medium coniiceret, e portu egredi , arma corripere , remis veliſque fugiendi animo in altum tendere , ac remulco agi . Sed tanta eſt exorta in mari malacia , prope penitus cadente vento , ut nihil,

aut

Digitized by Google

aut perparum opis in velis esset. Adnitebantur autem, quantum arte poterant, longe ut in mari proveherentur, ac Regiam classem infra se a terra relinquerent, quo iis & invadendi, & evadendi, cum vellent, potestas foret. At vero Regiæ onerariæ actæ a triremibus in hostium naves remulco ferebantur, omnibus ad prælium instructis, intentisque. Quas propinquiores factas, crebrioribus primo flexibus, aliquantum hostes ludificati sunt. Cæterum triremium beneficio appulsis ad hostium naves onerariis regiis, consistere ac depugnare coacti sunt. Sed primo impetu unam e Regiis onerariis comprehenderunt. Quod cum Regii animadverterent, qui cum duabus reliquis onerariis pugnabant, pudore simul, & ira concitati, in hostes ferocius irruunt, omnique telorum genere desuper urgentes, in eorum naves se coniiciunt, sternuntque obvios. Alteribus quoque & a puppibus triremibus circunfusis, longe infestabantur, nec de victoria adhuc certiores erant. Pugnatum est supra horam acriter, nec incruenta victoria prælium nox diremit. Duæ Florentinorum triremes captæ, reliquæ, discerptis retinaculis, interventu noctis, ac venti exortu in altum evectæ, Regiorum manus effugerunt, multis victarum propugnatoribus, priusquam dissolverentur, in eas transgressis, oneraria Regia, quam primo congressu captam diximus, recepta. Res memorabilis eo prælio accidit. Cum essent pugna implicitæ naves, Franciscus Centilia, vir apprime nobilis, e Populoniæ colle, una cum Rege formam pugnæ contemplatus, quæ procul ad octo millia passuum committebatur, Regi pugnæ eventum anxie expectanti affirmasse fertur, Regios vicisse. Postquam naves hostium captæ perductæ Regi sunt, duplex lætitia in castris fuit, quod hostibus, præter ademptas naves, importandorum mari in castra commeatuum facultatem ereptam videbant.

Posthæc sæpius tentatum, an posset Rainaldus pluribus; atque iis honestis conditionibus ei propositis a belli consilio revocari, antequam ad ultimum certamen veniretur. Quod cum nequaquam succederet, totis viribus oppidum adoriri constituit. Inter hæc Federicus, ac Sigismundus sæpius minitari sese cum copiis, decertandi animo, mox affore. Cumque misissent, qui postridie se affuturos, potestatemque pugnandi facturos, denuntiarent, Rex in sequenti die, postquam illuxit, copiis omnibus in aciem eductis, ad confirmandos suorum animos ita locutus est: Ego vestra virtute fretus,

qua

Digitized by Google

qua ſæpius in Italia, Africa, Hiſpania, hoſtes viceram, ac demum Regnum Neapolitanum magnum atque opulentum, veſtris maximis laboribus, ac periculis adeptus fueram, Hetruſcam hanc expeditionem ſuſcepi, mihi perſuadens vos eamdem operam, ac fidem, quam ſuperioribus bellis, mihi æque ſtrenue præſtaturos: quippe quos ſemper pluris facere dignitatem gloriamque meam, quam ſalutem veſtram, quam vitam (quemadmodum viros fortes decet) animadverti. Itaque quam animi fortitudinem, quamque conſtantiam antehac oſtendiſtis, eamdem hodie repræſentetis opus eſt, quo partam armis gloriam, cujus jactura generoſis animis omni incommodo, & calamitate debet eſſe gravior, tueri valeatis. Nec vero vos in periculum mitto, ipſe abſum; ſed comes eo, omnis eventus veſtri particeps futurus. Res noſtra, ut videtis, eo loco ſita eſt, ut nobis aut viriliter pugnandum, aut turpiter cedendum, deſerendaque obſidio ſit; quandoquidem hoſtes ſeſe hodie confligendi conſilio ad caſtra noſtra profecturos denuntiarunt. Itaque, ut paucis agam, ſi priſtinam animi virtutem, ſi robur, ſi veſtrum illud in me ingens ſtudium retinetis, nihil eſt profecto, quod de victoria (Deo bene juvante) dubitem. Namque ut ignavos viros fortuna reiicit, ita fortibus præſto eſt. Hæc cum eſſet elocutus, cuncti operam lætis animis impigrè polliciti ſunt. Cæterum hoſtes ſive metu deterriti, ſive quod Florentini Rempub. in ultimum diſcrimen adducere veriti, conſilium mutarint, ſeſe in caſtris continuerunt. Quapropter cum Alphonſus ad multam diem in armis permanſiſſet, nec ulli apparerent hoſtes, cum copiis in caſtra ſe recepit. Aliquanto poſt cum oppidum undique oppugnare ſtatuiſſet, tormenta ænea, quæ miræ magnitudinis ex Neapoli advecta ante oppidum conſtituerat, quibuſque turrim quandam cum parte mœnium disjecerat, parari adverſum arcem, quæ a terra ſita eſt, & magis ad Orientem vergit, confeſtim jubet, eamque partem Petro Cardonæ oppugnandam attribuit, ab Occidente Inicum Ghevaram cum lecta virorum manu, a Septentrione, qua porta oppidi erat, externorum militum robur, a mari Berengarium Barilium claſſis ducem cum navibus locat. Quibus conſtitutis, poſtridie mane exorto ſole pugnam committi imperat. Oppidani, qui ex præparationibus pridie factis conſilium Regis intellexerant, jam & ipſi ſeſe ad reſiſtendum comparaverant, muroſque viris, lapidibus, tormentis, ac miſſilibus compleverant. Signo dato, Regii a terra magno impetu

Digitized by Google

in fossas ruere, & ad mœnia contendere, a mari autem onerariæ, quo propius tuto potuerunt, pontibus in puppibus excitatis, quos in muros transmitterent, haud procul ab arce maritima magna vi subire, expositis e triremibus sociis navalibus, & ipsi ad muros succedere coeperunt, oppidanis varie terrorem intentantes. Pugnabatur acriter undique, multisque sæpius à muro repulsis, eodem, postquam se collegerant, contendebant, atque eo acrius rem gerebant, quod in conspectu Regis dimicabatur. Qui continue pugnantes obiens, nunc hos, nunc illos in prælium acuebat, ac, si qui pugnando fessi, aut vulneribus confecti videbantur, iis e pugna revocatis, alios recentes summittebat. Providebat quoque, ne quid a tergo hostilis exercitus turbare pugnantes posset. Qui ab Oriente rem gerebant, qua parte tormenta posita diximus, gravius læsi. Paries enim transversus pugnantibus oppositus erat, ex quo sagittarii, & qui tormentis minoribus utebantur, protecti, subeuntes ad mœnia, Regios in latera feriebant, pluresque occidebant: grandium insuper lapidum dejectu multos humi sternere. Ab ea parte Joannes Antonius Fuxanus, ac Joannes Antonius Caudola adolescentior ad muros pervadere, fortiterque contra oppidanos pugnare inter cæteros animadversi sunt. At ab Occidente, qua Inicus Ghevara certabat, quod ea pars ab arce remota erat, aliquanto magis oppidani laborabant; multisque, ut diximus, in fossam ruentibus, Martinus Nutius ad mœnia progressus, diu vim hostium fortiter sustinuit. Bernardus Sterlicius ibidem depugnando hostili telo confossus, exanimis repente cecidit. Franciscus David, dum murum audacius subit, præceps in fossam datus, vulnereque ad postremum detardatus ab hostibus captus est. Galleatius Baldalinus, ter, aut sæpius apprehenso muri fastigio, qua prius tormenta dejecerant, conatus est in oppidum irruere. Cæterum ferventis aquæ, vivæque calcis (quæ inter arma ingesta, ubi ad corpus penetraverat, perurebat artus) vi deterritus, gravisque saxi ictu cum revulsa aggeris parte, quam manu apprehenderat, deturbatus est. In ea namque parte Rainaldus ob id lectos viros de industria collocarat, pro muro diruto, aggere intus suffecto. Et quoniam de Galleatio facta est mentio, non est silentio prætereunda ejus viri virtus. Statura fuit, quæ mediocrem longe excederet, robustis, ac teretibus membris. Corporis magnitudini vires respondebant, luctæ, jactu, saltu hominum nulli cessit. Membrorum robori par animus erat, equo, ac pede juxta bellator

Digitized by Google

tor acerrimus; gravi armatura armatus, galeatuſque humi ſtans, ſiniſtra ſellam, dextra haſtam equeſtrem tenens, ſtremuo ſaltu grandis ſtaturæ equum inſilibat. Singulari certamine quater præliatus, bis in Italia, ſemel in Gallia, item in Burgundia, quæ Belgica dicitur, toties victor evaſit. A tribus hoſtium equitibus hoc ipſo bello aliquando petitus, unum ex iis gladii capulo ſeminecem equo excuſſit: alium citato equo medium amplexus, e ſella extractum, humi ſtravit: tertium cubito graviter percuſſum in fugam vertit. Tanta porro modeſtia, ut nunquam ipſe de ſeſe vel rogantibus amicis diceret: vitæ cultu, morumque elegantia omnibus præterea gratus, caruſque habitus. Ut autem ad rem geſtam redeamus, qui e claſſe dimicabant, cum propter vada propius ſubeundi, ponteſque in muros exponendi facultas non eſſet, cominus pugnabant. Adverſus quos oppidani intenti, illos tormentis, atque omnifariam telis petebant; qui vero e triremibus in terram egreſſi fuerant, circa muros aditum moliebantur: denique nuſquam ceſſabatur; armorum interim ſtrepitus, ac pugnantium clamor cœlum compleverat: tormenta ænea partim antea, partim eo ipſo die, inſcitia, ut putant, artificis, prope omnia confracta ſunt, cum quidem oppidani tormentis minoribus, quæ colubrinas vulgo appellari diximus, ipſi intra muros abditi, multos Regiorum perimerent: namque e cubitalibus in muro cavis multos letho dabant.

Dum ſic pugnatur, renuntiatur Regi, qui prælians equo circumibat, Florentinorum copias adeſſe. Miſerat enim procul a caſtris in diverſa ſpeculatores, ac partem copiarum procul a caſtris conſiſtere juſſerat, qui, ſi hoſtes adventarent, eorum impetum tantiſper ſuſtinerent. Itaque, eo nuntio accepto, confeſtim milites a pugna revocat, miſſiſque, qui de hoſtibus explorarent, ipſe copias extemplo inſtruit. Cæterum qui miſſi ſunt, cum retuliſſent paucos quoſdam hoſtium vagos a ſe viſos eſſe, haud amplius oppugnandum oppidum arbitratus (miſſis ad naves, qui juberent, ut qui a mari adhuc pugnabant, hujus tumultus neſcii, prælio deſinerent) cum omnibus copiis in caſtra ſe recepit, atque poſthac ſuorum labori, ac diſcrimini parcere ſtatuit; cumque cogitaret commeatus ad ſe, per id anni tempus mari ægre ferri propter continuatam plures dies adverſam tempeſtatem, ex qua interdum fiebat, ut ſumma commeatuum inopia in caſtris eſſet, nec quicquam præterea ſupereſſe, conſumptis arborum foliis, & ſi quid erat, quo equorum fames ſuſtentari poſſet, bello

Digitized by Google

in aliud tempus dilato; Neapolim reverti cum exercitu instituit; biduoque post pugnam soluta obsidione, composito agmine iter faciens, Castilionum cum copiis profectus est, atque inde in Senensem agrum, Lacidoniam pergens, ad Civitatem Veterem abiit, novemque triremibus eodem profectis, cum sese mari commisisset, Neapolim petiturus, exercitu terra dimisso, subito exorta maris procella naves dispulit, ventoque per varia jactante, quatuor earum, in queis Rex erat ipse, Cajetam, totidem ad Pontiam Insulam, una reliqua ad Civitatem Veterem, unde solverat, rejecta est. Inde Neapolim terrestri itinere profectus, miro civium deliderio exceptus est, nulla re omissa, quæ ad concelebrandum ejus reditum excogitari posset. Sed mirabilis ante omnes honores illi decretos extitit nocturnorum luminum multitudo. Namque cives incensa funalia singuli manibus gestantes, postquam totam urbem equis lustravere, sub primam noctis vigiliam gratulabundi in Regiam convenerunt. Post hæc ad arcem ædificandam conversus, cujus exædificatio, belli causa, nihil non intermissa fuerat, eam brevi tum opere mirabilem inexpugnabilemque, tum sumptu magnificentissimam effecit, quinque turribus orbiculari forma, quatuor angularibus, quinta interjecta e lapide quadrato, mirifica structura, atque artificio, murique crassitudine inaudita excitatis. Inter turrim mediam & angularem ad occasum vergentes, portam cum ingenti arcu triumphali, & marmore candidissimo constituit, turribus ipsis ad Areæ solum plenis, quas nulla prorsus machinamentorum vis possit evertere. Interjectarum ædium pariete novo lapide utrinque contabulato, ingentisque præterea latitudinis, itidem e saxo quadrato, fossa a labris circumducta. Cumque contra arcem ad sagittæ jactum breve solum esset, mari circumfusum, in quo parva quædam turris antea sita fuerat, ne aliquando hostes, occupato solo, turrique ibidem ædificata, arcem ipsam mari obsiderent, disjectis veteribus fundamentis, aliam in medio solo æque admirabilis artificii, tantæ vero altitudinis, quantam nullius navis malus æquaret, extruxit. Eo tempore, cum Veneti adversus Mediolanenses bellum continuarent, hortantibus, orantibusque eorum Legatis, ut iis mari bellum inferret, quo tanta belli mole sublevarentur (urgebat enim cervici instans Franciscus Sfortia, qui Mediolanum obsidebat) ingentem onerariam navim armavit, eique Inicum Davalum præstantem virum præposuit, qui, mox alia nave haud multo minore, quam non longe ab oppido Tunete cepit, illi addita, in Jonium mare pro-

Digitized by Google

profectus, hoſtium naves Alexandria redeuntes obſervabat. Qua de re Veneti certiores facti, confeſtim naves ſex onerarias, ac triremes quindecim, inter quas erant onerariæ majores tres, egregie inſtructas, adverſus Regias miſerunt, quas in Jonio mari cum nactæ eſſent, ad Siciliæ uſque fretum inſecutæ, noctis interventu ſequeſtratæ Regiæ, Syracuſanum portum continuato curſu petierunt, ſuadentibus iis, quorum conſilio Inicus plurimum utebatur. Quo cognito Veneti, cum claſſe eodem profecti, portumque ingreſſi, poſt longum atque atrox certamen, in quo multi utrinque deliderati ſunt, cum naves ad terram alligatas inde revellere nullis artibus poſſent, defendentibus ſumma vi Regiis, appulſa navi incenſa, illas cremaverunt, nec ulla humana ope inhiberi, reſtinguive incendium potuit. Qua clade cognita Alphonſus, triremibus decem confeſtim coactis, Bernardum Villamarinum, virum acrem, rerumque maritimarum peritum, in Adriaticum miſit. Venetis, per id temporis, triremes duodecim erant paratæ, inſtructæque, quarum præfectus de Regiarum adventu certior factus, ad eas inquirendas proficiſcebatur. Cum autem longe in altum provectus, tranquillo mari navigaret, ob adverſam tempeſtatem claſſe disjecta, triremes quinque in Epirum, quo Regiæ ſe contulerant, forte delatæ ſunt, cumque ſupra eum portum, quem Coturnicum appellant, terram petentes irent, quo in portu Regia claſſis ſtabat, Bernardus cum claſſe, ſubito e portu eruptione facta, ad illarum curſum iter dirigit. Quod ubi Veneti animadverterunt, hoſtes, ut erant, rati, ſeſe extemplo in fugam coniiciunt. Quos cum Regii enixius inſequerentur, duæ ex his, converſis ad terram proris, littus invadunt, ſeque certatim præcipites dantes, eas vacuas hoſti reliquerunt. Una earum plena capta eſt, reliquæ duæ, quod velociores erant, effugerunt. Deinde Bernardus iis inſulis, quas Veneti in Aegeo mari tenebant, hoſtiliter petitis, pleriſque navibus captis, multa eis, & magna detrimenta intulit, quoad inde Neapolim per pacem a Rege revocatus eſt.

Poſt hæc Alphonſus, invaleſcentibus Turcarum opibus, Bernardum ſumpto commeatu, atque iiſdem triremibus una adjecta, cujus ductor erat Thomas Caraffa, eques clarus, qui in ea expeditione febri correptus mortem obiit, in Aegeum mare reverti juſſit, atque inde in Cilicum oram, quam nunc Satalaneum nuncupant, contra Rhodon ſitam proficiſcentem, exiguam quandam inſulam, cultoribus vacuam, cum claſſe occupare, atque arcem in ea ſitam reficere, de qua arce hæc accepimus. In ea inſula Turcæ

Digitized by Google

cæ olim, cum a Rhodiis navibus vehementer infestarentur; (neque enim multum inde abest Rhodus insula) arcem quandam, Castrum Rubrum appellatam, exædificarunt, prælidioque firmatam multos annos summa cura custodierant, prædatoriisque navibus Rhodon frequentius petebant. Mortuo autem Amurate Turcarum Principe, cum de Regno inter Proceres certamen esset, Rhodiæ Religionis Principes occasionem castelli recipiendi (ut sibi videbatur) nacti, comparata classe, insulam petierunt, expositisque in terram militibus, arcem obsederunt, nec prius inde discessere, quam illam famem domitam in potestatem redegerunt. Valido deinde præsidio firmatam diu tenuere. Ad postremum Turcæ (quod quidem hac ætate nostra contigit), sopitis domi discordiis, languescentibusque jam Rhodii ordinis viribus, cum magna classe parata Rhodon petiissent, multisque cladibus affecta insula, oppidum aliquandiu frustra obsediissent, desperataque victoria abscederent, ad insulam, quam supra memoravimus, cum classe profecti, urbem Rhodon a se vi captam atque eversam mentiti, iis, qui castello præsidio erant, tantum terroris, ac metus injecerunt, ut confestim salutem pacti, arce exeesserint, quos omnes Turcæ, violata fide, comprehensos fœde cæciderunt, castellumque solo æquarunt, nec ante Bernardi cum Regia classe adventum, refectum est; quamquam aliquanto procul a veteribus fundamentis tutiore loco suffectum. Quo instaurato, Bernardus cum ejusdem expeditionis sociis oras illas præterlegens, multas Barbarorum naves mercibus onustas cepit, magnaque ex vicinis agris præda abacta, illos ingenti damno, & clade plus biennio affecit. Demum a Rege revocatus, arce valido præsidio firmata, Neapolim reversus est. Quo tempore Scanderbeccus, nobilis in Epiro Regulus, ac magnæ & spectatæ virtutis, adversus Turcas, a quibus obsidebatur, ad Alphonsum Legatos auxilium oratum misit. Quoque ab eo promptius, atque enixius adjuvaretur, sese in ejus fidem, ac tutelam dedit. Quo facto, Rex confestim, qua brevior per Adriaticum mare trajectus erat, primum peditatum, ac frumentum, nec multo post Gilibertum Octafanum, impigrum virum, cum alia manu militum ad eum misit. Quo auxilio, simul & Regii nominis autoritate fretus Scanderbeccus, a Turcarum vi non solum sua tutatus est, sed aliquot insuper hostilia oppida non ignobilia in potestatem suam redegit.

Post hæc Alphonsus cum Joannem Antonium Ursinum Talia-

Taliacotii Comitem ulciſci ſtatuiſſet, qui, quo tempore Plumbini adverſus Rainaldum ejus fratrem bellum gerebat, Rainaldo faverat, cum copiis in Pelignos, ut inde Taliacotium peteret, profectus eſt. Quod cum ille cognoviſſet, ad Nicolaum Pontificem Maximum confugit, cujus interventu ſeſe gravi bello pecunia liberavit. Cumque adhuc Rex in caſtris, apud Pelignos eſſet, Florentini pacis avidi, quod non modo in ejus Regna commeandi, unde maximos fructus percipere ſolebant, ſed etiam in cætera Regna, atque Provincias maritimas traiiciendi, vehendarumque inde mercium facultatem ſibi ereptam videbant, quæ res tum publice, tum privatim eorum Civitati labem, atque perniciem eſſent allaturæ; cogitarentque inſuper, ſi modo cum parva copiarum manu Rex bellum traheret, illi ad poſtremum reſiſti non poſſe, Janotium Pandulfinum, ac Francum Sachetum eloquentem virum, legatos ad eum de pace mittere conſtituerunt. Quibus accepta fide in caſtra profectis, poſtquam mandata expoſuerunt, bellumque excuſarunt, Antonii Cardinalis Ilerdenſis opera, qui id negotii de Pontificis voluntate ſuſceperat, paucis poſt diebus Florentinis pacem dedit, Caſtiliono, cæteriſque oppidis, quæ in eorum agro per bellum cepiſſet, ac inſula Gilio retentis, quamquam pro his Florentini grandem pecuniæ ſummam offerrent. Quam cum quidam e ſuis potius accipiendam diceret, Reges, reſpondit, pecunia non egere, ſed gloria. Nec multo poſt mortuo Rainaldo Urſino, cum Catharina Apiana uxor ejus vereretur, ne Alphonſus Plumbinum rurſus cum exercitu peteret, neque eſſet conquieturus, illi per amicos reconciliari curavit. Cumque illius pacem aliter impetrare non poſſet (quod Rex dignitati ſuæ conſuli volebat), niſi illi tributum penderet aureum poculum, quod eſſet quingentorum aureorum pondo quotannis, dum viveret, ei ſe tributuram recepit. Paulo poſt, cum & ipſa, miſſo poculo, mortem obiiſſet, Emanuel Apianus cognatus, & ſucceſſor ejus, quo ſibi eo Principatu tranquillo frui liceret, & ipſe ſe Regis ſtipendiarium ſua voluntate effecit. Hic multos annos in militia verſatus, longe a ſpe dominandi, tandem uxorem Trojæ, inter Apulos, ceperat. Ibique tenuiter vitam egit, donec, mortua Catharina, in jus ſucceſſionis a Plumbinenſibus publice vocatus eſt. In quo illi Rex non modo non adverſatus eſt, ſed etiam plurimum favit. Veneti vero, ea re cognita, converſis ad pacem ſtudiis primum per Leonellum Ferrarienſium Principem ea de re agere

cœ-

Digitized by Google

cœperunt, factumque est, illius viri suasu, uti Rex Ludovicum Podium Legatum Ferrariam miserit. Quo cum venisset Legatus Venetus, pacis mentio inchoata est. Cumque postea ad Regem Leonellus misisset, quod incidissent aliqua, quæ ejus auctoritate egerent, misit Rex cum mandatis Ferrariam Jacobum Constantium Jurisconsultum, qui una cum Ludovico ista tractaret, atque conficeret. Quibus diu multum agitatis, disceptationibusque omnibus e medio sublatis, pax tandem inita est. Nec multo post capta a Francisco Sfortia urbe Mediolano, qua in re longe fefellit Venetos eorum opinio, cum ita existimarent, in se esse, ubi vellent, & datas habenas premere, & Mediolanenses conantem opprimere sua autoritate prohibere. Profecto ad Regem Legato Victore Maripetro, eosdem in amicitiam & societatem recepit. Cumque æquum esse duceret mittere ad Venetos, qui iis suo nomine de pace ac societate congratularentur, Ludovicum Podium, atque Antonium Panormitam Legatos ad illos misit. Quibus benigne exceptis, & in Senatum introductis, Antonius hac oratione usus est: Gaudemus, ac vehementer lætamur, Patres, Princepsque sapientissime, hoc legationis munus nobis ab Alphonso Rege nostro demandatum esse, ut ii simus, qui vobis de pace, & societate constituta gratulemur. Nihil enim est (quantum existimamus), quod aut nobis dictu, aut vobis auditu jucundius accidere potuerit. Perjucundum quippe nobis est, ad eam Civitatem nos oratores missos esse, quæ ob virtutem, ac res amplissimas gestas opibus floreat, & gloria. Nec vero minus jucunda auditu vobis putamus fore, quæ de pace, ac fœdere (renovata nuper inter Regem nostrum, vestramque Rempublicam amicitia) commemoraturi sumus. Nihil enim est aut omnino acceptius, aut auribus suavius, quam de pace, & benevolentia verba facere. Irrepit enim, nescio quomodo, sensus nostros, ac vehementer retinet, totosque pene artus permovet. Est enim insitus natura mortalibus pacis & otii amor; sed aut mala consuetudine, aut nimia cupiditate nonnunquam ex animis nostris elabitur. Quæ postea, si quando renovatur, multo sit profecto dulcior, atque jucundior necesse est. Quod quidem ut Regi nostro contigit, ita & vobis contigisse existimamus, qui pacem ipsam non modo non abnuistis, sed ultro etiam, magis Italiæ otio, quam vestris commodis consulentes, expetistis. Rex quidem, ut antea dolebat bellum quodam adverso fato exortum esse, ita nunc lætatur, pacem, positis armis, revocatam esse, redin-

Digitized by Google

dintegratamque amicitiam illam, quam & ipse, & majores ejus Aragonum Reges, cum vestra Republica sanctam, atque inviolatam ante hæc fatalia tempora religiose servaverant. Nam quæ interceserunt inimicitiæ, non voluntati, sed cuidam fato tribuendæ sunt. Utraque enim pars invita arma susoepit. Sed ita tulit temporum conditio, ita Sociorum ratio postulavit, uti ipse adversus vos bellum gereret, vos item adversus eum. Sed tamen illa acerbitas animorum, quæ plerumque inter hostes esse consuevit, in eo bello abfuit, ut satis appareret, utrique pacis, magis quam belli consilia probari. Idque etiam eventus docuit. Simul ac enim vos a pacis consiliis non abhorrere ostendistis, nunquam Rex neque pacis mentionem aspernari, neque nuntios, atque oratores de pace mittere destitit, quoad pax effecta est. Quod quidem satis videtur declarare, quantum Rex ipse cuperet vobiscum in gratiam redire. Et vos quoque id ipsum non obscure testati estis. Pace enim haud satis contenti, ipsi paci societatem, ac fœdus adjici voluistis. Ita fit, ut bellum fatalis quædam necessitas induxerit, pacem voluntas revocarit. Nec vero dubitamus, quin, quo consensu pax ipsa facta est, in eodem perseveret, ac duret. Pax enim non modo ipsa dulcis est, sed etiam ipsius nomen blandum ac suave, tum res ipsa, ut sapientes dicere audio, salutaris. Hac enim agri, hac urbes, hac res privatæ, hac Respublica, hac denique Regna constituuntur, & conservantur. Mihi quidem ita semper visum est, qui pacem negligerent, hos summam hominum felicitatem haud satis cognoscere. Totius enim felicitatis fructus est pax. Quid enim proderat dispersos homines eloquentia conciliasse, nisi conciliatos pax ipsa in societate, & caritate contineret? Quæ quidem pax cum unicuique Civitati amabilis esse debet, tum vestræ tamen in primis, ut, quam a Majoribus vestris dignitatem accepistis, ac vobis ipsi vestra virtute peperistis, tueri valeatis. Etenim vestra Civitas est, quæ omni genere virtutis, cum quavis non modo earum, quæ hac tempestate præclaræ habentur, sed etiam possit cum omni antiquitate contendere. Quales enim viros (ut omittam admirabilem urbis situm), quales, inquam, viros, qua prudentia, qua gravitate, quo consilio, qua denique semper autoritate habuit hæc vestra glorioſa Civitas? Quæ Respub. sapientius gubernata, atque administrata unquam fuit? Quam legimus Civitatem sanctioribus, inquam, institutis, aut legibus usam esse? Nec vero pacis modo, sed belli artibus

Digitized by Google

hæc vestra Civitas valuit, & valet. Semper enim gloriæ avidi fuistis: nec maritimis tantum, sed & terrestribus quoque bellis præclara fortitudinis documenta edidistis. Pro gloria vero tuenda, quos labores, quos sumptus, quæ discrimina subieritis, testantur multa bella a vobis magno animo suscepta, & feliciter confecta, quibus Imperii vestri fines eousque extendistis, ut qui ante hos sexaginta annos nullum prope oppidum in Continenti, nunc aucta majorum gloria, omnem prope Galliam Cisalpinam, quæ cis Padum, ac Abduam flumen est, ditionis vestræ feceritis. Hæc tametsi magna sunt, cum nonnullis tamen, præsertim ex antiquioribus sunt vobis communia. Cæterum illa una & summa, & vestra tota laus est, qua omnes Orbis terrarum gentes, & Romanos ipsos anteistis, quod, quo gerendæ Reip. ordine ab initio uti coepistis, eundem jam supra millesimum annum constanter tenere perrexistis, cum cæteræ omnes Italiæ Civitates aliam, atque aliam Reipublicæ administrandæ formam, ob intestinas seditiones, usurpaverint. Quæ ut vobis prima, ac perpetua sint, pax ita efficiet, & societas, atque amicitia cum Alphonso Rege. Nullus enim aut vobis, aut ipsi (Deo bene juvante) metuendus est hostis, donec in societate permanseritis, cujus quidem conservandæ non minori voluptate nos ipsos, quam Regem affici, nobis ita persuasum habemus, ut vestri vel confirmandi, vel hortandi gratia verba facere jam supervacuum arbitremur. Nos igitur, ut orationi modum statuamus, hoc vobis de Alphonsi Regis nostri animo, ac voluntate pollicemur, ut non modo, quæ ex pacis, ac fœderis formula ab eo præstari oporteat, verum etiam, quæ ab eo amicitiæ jure requiri possint, in vos, vestramque Remp. libenter atque impigre collaturus sit. Quæ autem secretiore colloquio videntur indigere, in aliud tempus differenda putamus. Facto dicendi fine, Senatus Princeps de laudibus Regis multa elocutus, pacem ipsam, ac societatem sibi, cunctisque Patribus ingenti curæ esse, ac fore respondit, Oratoribusque vehementer collaudatis, gratias egit, iis; quæ secretiore colloquio egebant, in alterum diem dilatis.

Haud multo tempore interjecto, Alphonsus Heleonoram sororis filiam, venustate ac modestia atque ingenii, Federico Romanorum Imperatori, qui tertius fuit hoc nomine, ab Alphonso Lusitanorum Rege, eodemque Heleonoræ fratre, qui Edoardo fratri successit, locandam curavit, quo & illam in altissimo dignitatis gradu constitueret, & opes suas illius affinitate fir-

Digitized by Google

firmaret. Cumque biennio fere post, Federicus in Italiam proficiſci decreviſſet, ut coronam Imperii, more Majorum, acciperet, primo in Forojulienſem agrum cum egregio, ſed modico comitatu, ac deinde per Venetos, Ferrariam, Bononiamque, deinceps [illegible], ad Senas pervenit. hoſpitiis ei in omni itinere datis publice. Senis aliquantum moratus, donec [illegible] & Cardinalium, qui in nonnullam de eo ſuſpicionem venerant, in ſe animum exploraret. Interim Heleonora Alphonſi vocatu mari in Italiam profecta, Piſas primum, atque inde Senas ad eum venit, a Florentinis, a Senenſibus honorifice ſuſcepta. Poſt cujus profectionem, compoſitis cum Pontifice Maximo, quæ opus erant, Federicus una cum illa Romam ſui coronandi cauſa petiit. Adventantibus omnis prope Civitas, magnaque Cardinalium pars honoris gratia ſeſe obviam effudit. Et quoniam, ut diximus, ſuſpitio Pontificem, & Cardinales ceperat, ne eo animo adventaret, ut eorum ſtatum, atque opes imminueret, de qua quidem re ingens rumor ob ſtulta quorumdam vaticinia vulgo increbruerat, Pontifex, accitis in urbem copiis, & opportunis quibuſque locis præſidio firmatis, inter militum, equitumque ſtationes ad ſe proficiſcentem, & ipſum cum armatis equitibus ad gradus Templi Apoſtolorum Principis, ubi eum præſtolabatur, comiter excepit, coronamque auream pro vetere cerimonia, atque inſtituto capiti ejus impoſuit, & in Palatii parte hoſpitio admiſit. Poſt paucos inde dies Federicus Alphonſum inviſere conſtituit, nec, eo inſalutato, ex Italia diſcedere. Quod cum Alphonſo nuntiatum eſſet, qui jam ad eum, priuſquam Senis decederet, Jacobum Conſtantium miſerat, etſi erant dies religioſi, atque obſervandi (erant enim ii dies, quibus Chriſtus ſummus ac verus Deus noſter pro ſalute humani generis crucis ſupplicium perpeti voluit) confeſtim, quæ temporis brevitas paſſa eſt, pro ejus adventu decorando parari juſſit; ac mox Nicolaum Piſcitellum Archiepiſcopum Neapolitanum, Marinum Martianum Ruſſanenſium Principem, Franciſcum Baucium Adrienſium Ducem, Leonellum Acortiamurum Celanium Comitem, ac Antonium Panormitam Legatos ad eum miſit, qui illi ſuaderent (ſi forte adhuc Romæ eſſet), uti proximos dies ſacros Romæ potius, quam in itinere ageret. Idque illi ſuadebat, quo ſibi ſpatium eſſet ad ea convenientiori tempore paranda, quæ in animo haberet, aut ſi jam forte diſceſſiſſet, eum aſſectarentur, hoſpitia, poſtquam Regni fines ingreſſus eſſet, illi, quique in comitatu ejus erant,

Digitized by Google

omnibus dari curarent. Postremo Ferdinandum filium cum magno Procerum, ac nobilium virorum numero illi obviam ire jussit. Cæterum Federicus, ut qui cupiebat admodum Regem quamprimum videre, idque non minus ab Heleonora optari sciebat, jam iter invaserat, [illegible] Regem appetiit, quem lecum duxerat, adolescentulo Romæ tantisper relicto. Qui, ubi Regis voluntatem agnovit, renuntiari jussit, venire se ad eum, non ut Imperatorem Romanum ad Regem, sed ut amantissimum filium ad exoptatum Patrem: proinde missa faceret, quæ tanta cura ab illo præparari sciret. Rex, etsi humanitatem ejus satis laudavit, nihilo minus tamen, quæ instituerat, perfici mandavit, atque arcem Capuanam ei pro diversorio, cum omnis generis rerum necessariarum copia attribui, hospitia comitibus, atque obsonia ubertim parari. Accedebant vero cum Federico Albertus frater ejus, ac multi prætorea clari Proceres, illustresque Principes, subselliorum quoque duodecim ordines, in modum theatri, ad dimensionem areæ Mariæ Coronatæ, unde ludi equestres, cæteraque id genus spectarentur, præpropere extrui jussit. Legati, quos diximus, cum eum Roma jam digressum apud Pipernum nacti essent (facta modo salutatione), Terracinam adventantem comitati sunt. Qua primum in urbem Ferdinandus eum nactus salutavit, & Antonius de Regis congratulatione, atque Federici laudibus, concedentibus collegis, luculentam orationem habuit. Digressus inde Fundos pervenit, quo in oppido ab Honorato Cajetano Fundorum Principe (ita jubente Rege) summo honore affectus est. Heleonora vero cum magno comitatu aliquanto intervallo sequebatur, quoniam hospitia tantæ multitudini (erant enim supra quina hominum millia) haud quaquam sufficiebant, a Terracina Capuam perpetuo itinere (eorum causa, qui pedibus iter faciebant) mensæ cum obsoniis, frequentibusque poculis stratæ. Cum Capuæ Federicus appropinquaret, Alphonsus ad tria millia passuum ultra eam urbem obviam profectus, ipsum amicissime excepit. Eoque Capuam deducto, ad ordinanda, quæ opus erant, Neapolim quamprimum rediit. Quo facto postridie cum innumerabili prope Civium, ac Procerum multitudine rursus obviam profectus, sub auratis stragulis Federicum collocavit. Cumque ipse pone equo sequi honoris causa vellet, non est passus Federicus, sed continuo manu ejus apprehensa, sub stragula, ut pariter incederet, illum aliquantum reluctantem ad se traxit. Eo modo per totam urbem, perque quinque illas celebres Nobilitatis

Nea-

Digitized by Google

Neapolitanæ Seſſiones, matronarum ac virorum frequentia cultiſſimas, perambulans, demum in arcem Capuanam deductus eſt. Comitibus confeſtim hoſpitia cum abundantiſſimo obſonio præbita. Altero die cum Heleonora Capuam veniſſet, & ei quoque Rex in magna virorum, ac matronarum frequentia obviam proceſſit, quam ut vidit, magnitudine pietatis illachrymatus, atque complexus, eodem, quo Federicum virum ejus, honore proſecutus eſt. Pleroſque civium in honorem ejus, ac Federici, ingreſſus Neapolim, equeſtri dignitate decoravit. Nonnullis etiam id poſtulantibus a Federico eam dignitatem dari æquo animo tulit. Multis præterea eorum rogatu ampla munera contulit; quibuſdam etiam delictorum gratiam fecit. Ludos in primis Chriſtianos magno apparatu (quibus ſacra myſteria obitus, ac reſurrectionis Chriſti Dei noſtri referebantur, in quibus ceremoniis ſeſe ſemper magnificentiſſimum præbuit) in Claræ Templo auguſtiſſimo ac maximo, iisdem ſpectantibus, per noctem edidit, tanta hominum frequentia, ut nonnulli inter turbam prope enecti fuerint. Ac mox invitatum ad prandium Federicum, atque aurea ſella collocatum, regali apparatu, ac luxu accepit, adductoque in penitiorem ædium partem, uniones, ac gemmas (quas multas, ac varii generis, atque immenſi pretii habebat in theſauris, qua magnificentia cunctos ſui temporis Reges anteceſſit) ſigillatim oſtendit: reliqua diei parte variis ſermonibus cum eo conſumta, ludos deinde equeſtres celebres edidit, quibus Ferdinandus filius, multique inſignes adoleſcentes, ac viri certaverunt. Tantus autem concurſus fuit ad hæc ſpectacula ex omnibus undique Regni partibus, ut vix ſubſellia, quæ pro tempore extructa diximus, atque adeo urbis tecta, & loca, e quibus ſpectari poſſent, eam multitudinem caperent. Poſtremo incredibili magnificentia venationem exhibuit. Locus eſt Neapoli ad quatuor millia paſſuum proximus, quem vulgo Liſtrones vocant; nos unum e Phlegræis campis ab ardore nuncupandum putamus: in eo loco planities eſt admodum profunda, atque in orbem ſita, duo fere millia paſſuum ambiens, & ibidem modicum ſtagnum, ac ſcatentes paſſim ſulphure aquæ ægris ſalutares. Eſt autem hic campus uno, ac perpetuo monte excelſo circumſeptus, circa quem atrum nemus: ac denique eſt ſuapte natura talis, ut ne in reliqua quidem Italia ullus venatibus æque aptus locus exiſtimetur. Nemus ipſum aprorum, ferarumque paſtionibus ferax eſt; hic vel ſponte ingreſſæ, vel agitando impulſæ, inſeſſis circumqua-

Digitized by Google

quaque collibus, feræ evadere non poſſunt. Capit autem toti montis ſupercilium, qua ſe latius pandit, ad ſex millia paſſuum. Agreſtes in id munus imperati, ſupra quina millia, venabulis biduo ante venationem affuerunt: hique una cum venatoribus regiis, quorum ingens erat numerus, compulſis, atque eidem nemori circumjectis permultis varii generis feris, ſtatim ſuperciliа montis inſederunt, ne qua inde fera elaberetur, intenti. Quæ poſtquam parata eſſe Alphonſus agnovit, poſtridie mane cum Federico, & Heleonora, Principibus Civitatis utriuſque ſexus ſequentibus, eo ſe contulit: ac paulo citra eum locum fixis tentoriis, in quibus unum illud longe conſpicuum erat, cum triclíniis, & cubiculis ſecretioribus, in cujus medio abacus ſublimis extabat, argenteis, atque aureis poculis, vaſiſque omnis generis late reſulgens, Federico, atque Heleonoræ ſeorſum, atque adeo omnibus, qui affuere, ex omnium rerum copia, quæ pro tempore parari potuerunt, abundantiſſimum epulum præbuit. Ante hoc tentorium manufactus fons ſtabat ad voluptatem & copiam triplici ſuaviſſimi vini genere diffluens, quo ſe turba omnis ad ſatietatem proluebat. Remotis menſis, in montem itum, unde in eum campum, quem diximus, deſpectus erat. *Ibi Federicus & Heleonora ſeorſum conſederunt.* Rex deinde equo alacri invectus, per viam, quæ unica in campum patebat, cum Ferdinando, atque iis, quos voluit, e purpuratis inceſſit, atque eos in tres turmas diviſit: venatores regii imas partes montis, agreſtes ſuperiores tenebant, civium, atque externorum turba omnis reliqua, per montem diffuſa. Feræ deinde agitari cœptæ ſunt undique, nec quiſquam a deſtinatis ſtationibus ad alienas diſcurrebat. Hinc apri, cæteræque feræ tum canum latratu, tum hominum clamore excitati, poſtquam in campum præcipites ſe dejecerant, a velocioribus canibus retenti, venabulis configebantur, aliquot tamen (quod quidem cernere pulchrum erat) toto campo rapidiſſimo curſu fugitantes, elapſæ ſunt. Supra viginti varii generis, ſpectantibus omnibus, Rex ipſe ſua manu occidit. Sub veſperum Neapolim reditum eſt. Poſthæc Heleonoram, quæ adhuc intacta erat, antequam a ſe diſcederent, Federico copulari voluit. Demum abire volentem (namque is terreſtri itinere Romam reverſus eſt) datis ei, atque Heleonoræ ampliſſimis muneribus, aliquantum extra urbem proſequutus eſt. Nec multo poſt Heleonoram, cum lachrymis a ſe dimiſſam, Manfredoniam juſſu viri, atque inde Venetias cum triremibus mi-

Digitized by Google

misit: quo & ipse Federicus, qua venerat via, regressus, invitantibus Venetis, quibus tum cum Rege, ut diximus, societas erat, profectus, unaque cum illa ampissimis honoribus affectus, inde in Germaniam rediit.

BARTHOLOM. FACII

RERUM GESTARUM ALPHONSI REGIS

LIBER DECIMUS.

SEcutum est paulo post alterum bellum Florentinum, Venetis sociis, atque amicis postulantibus, quod Florentini Francisco Sfortiæ, post subactos ab eo Mediolanenses, adversus se haud dubie bellum molienti; (quippe qui omnes apud Abduam amnem pontes, atque arces, quod ea Mediolanensis agri, ditionisque esse diceret, sibi reddi poscebat) favere, ac pecunia juvare eundem intelligebantur, quodque ante ipsius Federici Imperatoris adventum, nec a Ludovico Povio, & Antonio Panormita Regiis legatis, & a Matthæo Victurio Venetorum legato, cum Venetias peterent, moniti ab inceptis destiterant. Quin etiam societatem palam cum Francisco junxerant, nec postea Alphonsus Luspanus Archiepiscopus, ac Nicolaus Filiacus Regii legati, & Triadamus Gritus Venetorum orator, Pontificis Maximi hortatu, Romam profecti, quo cunctorum Principum Oratores convenerant, ut de pace agerent, quicquam illos moverant, ac deinde Zachariam Trivisanum Venetum legatum non receperant, qui cum Perusium cum Cicco Antonio Jurisconsulto legato Regio convenisset, & ad Florentinos misissent, qui peteret, uti fide publica Florentiam proficisci liceret, Regio tantum modo Legato potestate adeundi facta, Venetum contemptui habuerant. Demum Florentini, ac Franciscus ea quotidie struere, atque agitare audiebantur, quibus manifeste appareret illos, posthabitis pacis consiliis, de bello cogitare. Quibus de rebus commoti Rex, ac Veneti, cum omnia ab se tentata scirent, quibus pax conciliari posset, ad postremum aperte bellum suscipere Rex adversus Florentinos, Veneti adversus Franciscum decreverunt. Itaque utrique extemplo veteres copias contrahere, novos exercitus, ac duces scribere, &, quæ bello forent usui, parare. Et quo magis Florentinos terreret, statuit

Digitized by Google

tuit Alphonſus per Ferdinandum filium, florentis ætatis juvenem, id bellum gerere, quod id ſibi majus videbatur, quam quod per alium quempiam agendum eſſet. De quo, quoniam locus exigit, antequam ad res geſtas veniam, pauca mihi quædam dicenda exiſtimavi. Ingenio fuit eximio, & ad cunctas optimas artes docili, liberalibus diſciplinis inſtitutus, juri quoque civili operam dedit, ut una arma cum legibus jungeret, quæ duo ad Reſp. gubernandas aptiſſima putantur. Armorum quoque tractandorum ſcientiam didicit, equitandi peritiſſimus, luctæ, ſaltu, jactu, equeſtrique certamine vel cum veteranis contendere, facilitate, ac modeſtia cum omnibus certare, gloriæ cupidus, calorem, frigus, inediam, laboremque facile pati: cumque æquales gloria & dignitate ſuperaret, ab omnibus tamen (quod rarum eſt) valde diligi, atque obſervari.

Cæterum Alphonſus cum tantum bellum minime negligendum exiſtimaret, præſertim quod filium in eam expeditionem miſſurus eſſet, ad ſex millia equitum, & duo millia peditum, partim ex popularibus ſuis, partim ex externis ſcripſit, Federico Urbinatium Principe, Averſo, ac Neapolione Urſinis (externi hi erant) egregiis copiarum Ducibus mercede conductis. Ex popularibus autem, Regnique incolis duces habuit Antonium Caudolam, Leonellum Acortiamurum, Gartiam Cabanellum, ac Urſium Urſinum. Et quo maturius duces ipſi cum copiis convenirent, in prata Campana (uti Neapolitanorum mos eſt expeditionem parantium) cum Ferdinando conceſſit. Quo cum multi adventaſſent, Ferdinandi diſceſſum haud amplius differendum ratus, cujus profectionem Veneti per Legatos continue expoſcebant, eum ab ſe dimiſſurus, hujuſcemodi oratione alloquutus eſt: Compulſus tandem Florentinorum injuriis, quas nobis, ac Venetis ſociis, & amicis noſtris quotidie inferre pergunt, conſtitui animo, te (quo nihil habeo in vita carius) adverſus eos cum hoc exercitu mittere, ſperans, Dei ope, qui juſtitiæ favet, & tua, atque horum militum virtute, fore, ut acceptas injurias ulciſcamur; ſimul ut cognoſcant injuſte ſe feciſſe, qui cum hoſtibus noſtris fœdus, atque amicitiam junxerint, ſeque in eo erraſſe, neque ſatis recte Reip. conſuluiſſe. Et quo id alacriore animo ſuſcipias, agaſque, hoſce veteranos commilitones meos, mihi cariſſimos, quos tibi magnæ gloriæ, ſi eorum uti conſilio noveris, futuros reor, trado, tuæque fidei commendo: quorum virtus ac fides multis meis magnis laboribus, ac periculis, ſupe-

Digitized by Google

ſuperioribus bellis mihi nota, & ſpectata eſt. Quorum opera omnes ad hunc diem victorias, & Neapolitanum hoc Regnum, triumphumque adeptus ſum: quibus denique adjutoribus, bellatoribuſque magnam Italiæ partem Majorum noſtrorum Imperio, & gloriæ adjecimus. Hos velim, ut in primis ames, caroſque habeas, puteſque nihil, ne vitam quidem ipſam, a me tibi commendari poſſe diligentius. Quod cum feceris, meam a te gloriam amari, & expeti tum denique exiſtimabo. Hos vide, ne temere in diſcrimen mittas: nec vero multum a te cohortandi, aut oratione incitandi erunt. Si quid periculi ſubeundum fuerit, magis a te reprimendus, moderanduſque, quam verbis accendendus animus erit. Tales tibi viros ad neceſſarios caſus reſerves, facito, in quibus ſcilicet de dignitate tua agatur, aut fama. Nec vero apud me dubium relinquitur, cum eos ita habiturus ſis, quin Imperatorem eumdem habere ſe ſentiant. Id autem te ante omnia monitum velim, ne tantum tuæ, aut horum militum fortitudini fidas, ut arbitreris abſque divina ope a te hoſtes ſuperandos. Victoria etenim non ex hominum conſiliis, ſed ex ſummi Dei voluntate ac poteſtate proficiſcitur. Tum denique tibi militares artes profuturas ſcito, cum Deum tibi pietate, ac juſtis factis propitium reddideris. Eum igitur, ſi vincere expetis, pura mente colito; ſpemque omnem victoriæ in eo reponito. Et ſi quando (quod ſolet in bello contingere) tibi quicquam adverſi acciderit, quo exiſtimare poſſis ipſum Deum tibi ſubiratum eſſe, vide ne ab eo per impatientiam, atque animi perturbationem diſcedas, ſed potius ſatisfaciendo ei reconciliari ſtude. Solet enim Deus, quos diligit, interdum malis afficere, & quos conſtantes in adverſis videt, rurſus in meliorem fortunam reſtituere. Exiſtimationis tuæ diligentiſſima tibi ratio habenda erit, putandumque nihil ea re in humanis rebus pluris eſſe, aut fieri debere: quippe cum victoria nonnunquam magis exiſtimatione & fama, quam militum robore, ac virtute comparetur. Et victoria quidem ſæpe cladibus mutatur; at fama, ſi cum probitate ac fide conjuncta fuerit, & permanet, & cum omni ævo perdurat. Honeſtati itaque a te incumbendum erit, qua detracta, nec Principi illi Deo placere, neque apud mortales auctoritatem ullam ſtabilem, aut gloriam conſequi poſſumus. Venetorum vero amicorum, ac ſociorum noſtrorum Rempub. noſtram eſſe exiſtimato, eamque non minore ſtudio ac diligentia, quam Regnum noſtrum defendito; pro qua quidem conſervanda, & amplificanda

Digitized by Google

nec ſumptui, nec militum labori parcas jubeo. Cum iis eo animo ſocietatem junxi, ut, quamdiu nobis vita contigerit, omnia eorum proſpera & adverſa mihi communia habiturus ſim. Nec te ab hoc propoſito deterreat aut pecuniæ, aut alius cujuſpiam rei indigentia. Namque omnia, quæ bello uſui fuerint, tibi a nobis abunde ſuppeditabuntur. Et, ut uno verbo agam, non magis tibi, quam mihi ipſe defuturus ſum, ut ſcias, (ſi modo tibi ipſe ne defueris) nihil tibi per nos defore. Illud poſtremo obſervato, ac mandato memoriæ, in quo tua laus & gloria eluceſcet, ſi qui ex hoſtibus, antequam oppugnentur, in deditionem veniant, eos benigne in fidem tuam recipias. Ac ſi qui fortaſſe obſtinatioribus animis diuturnam obſidionem pertulerint, cum in poteſtatem tuam venerint, clementiam tuam prius, quam illorum pertinaciam reſpicias, magiſque quid te, ac gente noſtra, quæ ſemper crudelitatem odio habuit, quam quid illis dignum fuerit, cogites. Quæ ſi obſervaveris, & nobis lætitiam, & tibi gloriam paries. Poſtquam hæc elocutus eſt, militibus, ac Ducibus illius dicto parere juſſis, eum complexus, atque exoſculatus, cum magna omnium ſpe a ſe dimiſit. Qui cum exercitu digreſſus, ac per Pelignos ac Marſos (ita enim Rex mandaverat) iter ingreſſus, ab Aquilanis, cæteriſque ejuſdem Provinciæ populis honorificentiſſime ſuſceptus eſt, omniaque ei officia impigre, atque obedienter præſtita. Ad Regni deinde fines profecto, Joannes Nicolaus, Nicolai Pontificis Maximi Legatus, obviam proceſſit, eique commeatus in exercitum, ac itineris duces, & cum iis, qui aſpera & difficilia equiti loca complanarent, dedit.

Eo iter perſequente, cum jam eo perveniſſet Federicus Urbinatium Princeps, de quo paulo ante mentionem fecimus, quem Alphonſus exercitus ducem ſub ipſo Ferdinando deſignaverat, cum paucis aliquot comitibus ad eum venit, uti cum illo iis de rebus ageret, quas hujus expeditionis cauſa fieri oporteret. Vir hic clarus in re militari fuit, caſtrenſibus diſciplinis ab ineunte ætate inſtitutus. Siquidem illi nec in adminiſtrandis rebus bellicis conſilium, nec in capeſſendis periculis animus deerat. Nec vero factis, quam fide clarior, quæ quidem vel maxime patuit, cum bello Piceno Franciſcum Sfortiam, qui ad eum ſe receperat, conſtantiſſime adjuvit, ac fovit. Ob quas quidem virtutes primum Philippo Mariæ, magno illi atque inclito Principi (qui de eo adhuc admodum adoleſcente magnam ſpem conceperat), ac poſtea Alphonſo Regi carus fuit, & ipſius quoque Fer-

Digitized by Google

Ferdinandi gratiam promeruit. Hunc Ferdinandus benigne, ac comiter ſuſceptum, poſtquam inter ſe de itinere, ac tota belli ratione collocuti ſunt, uti ad cogendum, perducendumque equitatum, quem reliquerat, domum contenderet, hortatus eſt, atque, ut primum poſſet, in caſtra reverteretur: ſeſe interea cis Tyberim amnem permanſurum monet, atque ibi copias, quæ ad ſe e Regno venturæ erant, præſtolaturum. Digreſſo Federico, eodem ad illum venit Averſus Urſinus, unus e copiarum Ducibus, quos ſupra memoravimus, cum lectiſſimo equitatu. Multi etiam per eos dies ex Neapolitano Regno pedites, ac Duces convenere. Quibus copiis auctus Ferdinandus, in Peruſinum agrum (nam ea traiicere in agrum Florentinum conſtituerat) profectus eſt. Ac primo quidem Peruſini commeatus negare, cauſati ſibi cum Florentinis fœdus eſſe, per quod non liceat eorum hoſtes commeatu, aut re ulla adjuvare. Sed cum a Pontifice juſſi eſſent commeatus exhibere, ita demum commeatus præbere decreverunt, ut Regii milites, quæ ſibi opus eſſent, in oppidis mercatum irent. Deinde cum ſcirent commotum iis de rebus, ut par erat, Ferdinandum, Legatos ad eum mittunt cum muneribus, qui factum excuſent, & illius iram oratione mitigent. Qui ad Ferdinandum introducti, hac brevi oratione uſi ſunt: Peruſinos a primo Regis in Italiam adventu Regiis rebus faviſſe, Bracium primo, poſtea Nicolaum Piciniuum, cives ſuos Regia ſtipendia ſumma fide feciſſe, equites præterea egregios prope innumerabiles ejusdem Civitatis. Non alios eſſe cæterorum Peruſinorum animos, quam illorum, qui ſub Rege meruerunt. Non licere ſibi, propter ſocietatem cum Florentinis initam, talem animi ſui affectum in ipſum, atque in Regios milites demonſtrare. Idque iis moleſtum eſſe, optare illos factis, quæ dicerent, comprobare. Sed tempus non pati, ne ſociis juſtam querimoniæ cauſam traderent. Ferdinandus his humaniter pro tempore pauca reſpondit: hortatuſque, ut tantum commeatuum poteſtatem facerent, eos a ſe dimiſit. Deinde Federico in caſtra cum parte copiarum reverſo (nam reliquas Sigiſmundi Malateſtæ metu, quicum capitali odio diſſidebat, præſidio domi reliquerat) Ferdinandus Cortonam iter rapit, & haud procul ab urbe caſtra ponit. Quæ cum ob ipſius loci naturam (eſt enim in edito monte ſita) aditu undique difficili atque aſpero, ac valido inſuper præſidio firmata expugnari non poſſe, niſi fame, atque obſidione videretur (præſertim ſine tormentis, ſine operibus), populato cir-

Digitized by Google

ca agro, ulterius progredi ſtatuit. Difficilis erat tranſitus. Nam etſi omnis ea Regio ad lævam plana eſt, tamen quia plurimum aquoſa & paluſtris eſt, ſub ipſum montem tranſiri oportebat. Nec dubium (ſi hoſtes viri fuiſſent), quin magna aliqua clades in ipſo tranſitu accepta eſſet. Nam & loco ſuperiores erant, & a Caſtellione Aretino (quod oppidum haud plus quatuor millibus paſſuum inde aberat) ea militum manus, quæ a Florentinis miſſa erat, eo convenerat. Ferdinandus, præmiſſa equitum parte, impedimentis in medium agmen conjectis, ſpectantibus hoſtibus, quam procul a monte per paludes licuit, univerſum exercitum ſine detrimento traduxit. Caſtellionumque tranſgreſſus, quina millia paſſuum ab Aretio nobili, atque antiquo Hetruriæ oppido, caſtris poſitis, ipſo adventu ad ſex caſtella circumjecta cepit, ac diripuit. Erant in caſtris, qui ſuaderent in vallem Aretinam ducendum extemplo exercitum: ibi multa caſtella cum magna præda occupari poſſe. Alii commeatuum penuriam veriti, Folianum potius petendum cenſebant. Quod conſilium cum magis Ferdinando placuiſſet, eo duxit. Miſſique ab eo ad Senenſes, qui commeatuum copiam ſibi fieri peterent, ii viginti dierum modo (metuebant enim Florentinos) commeatus conceſſerunt. Sed mox, adnitente ea factione, quæ Regi amica erat, ac Joanne Mauro Venetorum Legato, per quem ſocietatem cum Venetis junxerant, commeatus (quamquam exigue, pareeque) præbiti ſunt, atque ad Ducinianum oppidum Foliano proximum, miſſi. Eo die, quo Folianum itum eſt, Simonetus, qui a Florentinis conductus fuerat, Aretium conceſſit, ſeque cum Heſtore Faventino Principe, qui & ipſe Florentinorum ſtipendia faciebat, conjunxit, ibique permanſere. Poſt hæc Folianum oppugnari, atque obſideri cœptum, multique de exercitu avidius ſub muros in foſſam progreſſi, ab oppidanis vulnerati ſunt, qui ſe periculis offerentes, ac per mœnia diſpoſiti, nullo telorum, ac machinamentorum genere, quo ſe defendi poſſe arbitrarentur, abſtinebant. Quod cum Ferdinandus animadverteret, turres ligneas erigi juſſit tanta altitudine, ut oppidi muros æquarent, ex quibus oppidani ſagittis petiti, multa vulnera, ac detrimenta accipiebant.

Inter hæc Ferdinando nuntiatur Heſtorem Faventinum per Vallianæ Paludis pontem cum quingentis, aut eo amplius, equitibus in Montis Politiani agrum tranſgreſſum eo conſilio, ut frumentatores Regios invaderet. Namque eo fere quotidie Regii frumentandi, & pabulandi cauſa proficiſcebantur. Quo

cogni-

Digitized by Google

cognito, Ferdinandus delectam propere equitum manum clam eo mittit, jubetque in proximis ſylvis occuli, atque, ubi hoſtes in frumentatores ſeſe effundant, continuo e ſylvis egreſſos, in eos impetum facere. Quibus profectis, poſtridie cum Regii frumentatores pro conſuetudine frumentandi cauſa palati eſſent, Heſtor confeſtim ex inſidiis prodit, atque eos invadit. Regiorum primo pauci in ſpeciem præſidii illis ſeſe opponere, quos cum illi cupidius inſequerentur, in inſidias tracti ſunt. Tum Regii improviſo e ſylvis provolant, & in eos impetum faciunt. Illi primum paucos rati, audacius reſiſtere: mox ubi plures, quam pro præſidio, eſſe cognoverunt, inſidias ſuſpicati, terga dant. Quos Regii perſecuti, nonnullis eorum cæſis, omnes prope, & in his pleroſque agreſtes, qui ſe pro inſtituta conſuetudine magna pecunia redemerunt, comprehendunt. Centum fere equites lecti in ea pugna capti ſunt. Heſtor paucorum quorundam ſuorum ope, cum equus vulneratus eſſet, vix Regiorum manus evaſit. Hac calde nunciata, adeo territi, fractique ſunt hoſtium animi, ut poſt eum diem nuſquam cum Regiis prælio congredi auſi ſint. Ac niſi Sigiſmundus Malateſta, quem Florentini Reipub. copiis præfecerant, advenilſet, vix ſub Aretii mœnibus ſe tutos exiſtimaſſent. Qui cum cæteris copiis Aretii conjunctus, magno inſuper agreſtium delectu a Florentinis habito (ad tredecim millia hominum eſſe ferebantur) minitari quotidie ſeſe Folianenſibus auxilio venturum. Quod cum Ferdinando renunciatum eſſet, complanari loca omnia jubet, & ad pugnam comparari. Cæterum ſive ſimulatio illa fuerit, ſive illum metus conſilium mutare compulerit, ſeſe in caſtris apud Aretium continuit. Interim cum magna muri pars tormentis æneis quaſſata eſſet, oppidani metu perculſi, præſidii incolumitatem, atque octo dierum inducias petunt, intra quos, niſi auxilium a Florentinis mittatur, dedituros ſeſe, oppidumque pollicentur. Quod cum fruſtra ad eam diem expectaſſent, non auſis hoſtibus fortunam prælii ſubire, apertis portis, regios intromiſerunt.

Poſt hæc Ferdinandus, relicto in eo oppido quadrigentorum equitum, ac totidem peditum præſidio (erat enim peropportune ſitum ad excurſiones in agrum Florentinum, ac Aretinum faciundas) Recinium cum reliquis copiis petiit. Quo cognito, Sigiſmundus, cum omnibus copiis ab Aretio digreſſus, per vallem Nubiam ad montem Imperialem (ſic enim vocant) millia paſſuum octo a Recinio proficiſcitur, caſtra-

caſtraque (quamquam in monte ſita) vallo communit. Ferdinandus vero, tormentis æneis adhibitis, murique parte diſſecta, quieſcentibus hoſtibus, ſeptimo die Recinium in poteſtatem ſuam redegit. Quo præſidio privato, cum omnibus copiis Caſtellinam (id ei caſtello eſt nomen, abeſt autem a Florentia non plus decem & octo millibus paſſuum) profectus eſt. Ibique caſtris poſitis, ad ſex caſtella circumjecta cepit, ac diripuit, in queis viginti dierum frumentum repertum magno uſui exercitui fuit. Ea oppidi natura erat (eſt enim in edito monte ſitum), ut abſque tormentis æneis, atque operibus expugnari non poſſe videretur, quæ ex Caſtelliono vehi mandaverat. Itaque tantiſper ab oppugnatione abſtinebat, ne milites temere periculo obiiceret. Inter hæc hoſtes, excurſione facta haud procul a Regiis caſtris, quaſi ea invaſuri, bis adventitarunt: cæterum ut primum Regii in illos converſi ſunt, arrepta fuga, impetum non tulerunt. Tormento æneo ex Caſtelliono advecto, murus oppidi pulſari cœpit. Sed primo jactu effractum, animos oppidanis addidit. Quæ quidem res cauſa fuit, ne locus ipſe capi potuerit.

Dum caſtellum obſidetur, cum accepiſſet Ferdinandus Florentinos agreſtes, haud procul ab urbe in agris circumjectis cum armentis, & pecoribus temere vagari, quod ſibi in tuto eſſe viderentur, Diomedem Caraffam impigrum virum, de quo priorib[illegible] libris mentionem fecimus, cum trecentis equitibus, ac peditibus quingentis, non ſentientibus hoſtibus, eo confeſtim mittit. Qui ad pontem Agremium, ſeptem millia a Florentia profecti, pagos quatuor improviſo adorti, eos una excurſione populati ſunt, bovum, ac pecorum capita ad tria millia, cum cætera præda inde abacta, agreſtium clamor exortus cum ad hoſtes pervenſſet, Simonetus cum equitibus ſexcentis, quo clamor vocabat, diverſo itinere ab eo, quo præda agebatur, ſubito auxilio, ſed nequicquam accurrit. Namque per hoſtilem agrum præda omnis incolumis in Regia caſtra cum captivis acta eſt. Ea vero clades cognita, agreſtes adeo conterruit, ut qui circa urbem incolebant, deſertis agris, in urbem ſeſe trepidi receperint. Tormento æneo, ut diximus, perfracto, mandaverat Ferdinandus, ut aliud adveheretur, & quamvis hoſtes numero ſuperiores eſſent, commeatuumque penuria exercitus fatigaretur, & equis præterea pabulum, ac ſtramenta jam ita defeciſſent, ut illos arborum foliis ſuſtentari oporteret, ſtatuerat tamen in tantis incommodis ab obſidione non diſcedere. Cæterum hyberno rigore concretus a[illegible]

ob-

Digitized by Google

cum terram nivibus alte operuiſſet, omniaque circum caſtra, etſi quid herbidum erat, obruta jacerent, nec lignatum calones mitti poſſent, quia longe a caſtris ligna, propter Regionis aſperitatem, petenda erant, & per altas nives ægre jumenta ingrediebantur, nec jam quicquam præter cœlum, ac nives oculis occurreret, conſilium immutare coactus eſt, præſertim inopia commeatuum urgente. Soluta igitur obſidione, motiſque inde caſtris, Ricinium rediit, ibique triduo moratus, dum defatigatos inopia equos, ac milites aliquantum reficeret, cum nec in eo loco, propter nives, & rei frumentariæ, cæterarumque rerum inopiam, hybernandi poteſtas eſſet, in loca mari propinqua, ubi commeatuum, & maxime pabuli copia erat, ac mitius cœlum, cum exercitu ſeceſſit. Namque in iis locis (ea eſt aeris temperies) quovis anni tempore alta gramina terram conveſtiunt, vernatque perpetuo humus florida, cum interea in mediterraneis omnia gelu, ac pruinis exuruntur, & ſquallent, & hanc ob cauſam in ea loca per hyemis tempus pecus, atque armentum omne ab incolis traducitur, manetque donec, pulſo frigore, verna amœnitas redeat. Ejus itinere comperto, hoſtes quoque ex eo monte, in quo caſtra habebant, digreſſi, & ipſi in hyberna conceſſerant; & Heſtor quidem cum copiis in Piſanum, Simonetus in Aretinum, Sigiſmundus vero in Flaminiam profecti ſunt. Locus erat, haud procul a maris confinio (quem Abbatiam Galgani vocant) percommode ſitus ad commeatus terra, marique importandos. Ibi caſtra Ferdinandus fecit. Expectabat enim Regias triremes, quæ Vadam, Florentinorum portum, petituræ erant, ut, iis profectis, ſi opus eſſet, ipſe cum copiis celeriter occurreret. Quo duodecimo die Antonius Olcina, vir fortis atque impiger, a Rege cum triremibus ſeptem miſſus, in quibus pedites octingenti inerant, profectus, turrim, quæ portum tuebatur, vi cepit, antequam terra ab hoſtibus ſentiri, aut ei occurri potuerit, ipſamque cum eo peditatu tenuit, & ampliore foſſa a terra communivit. Quod ubi Ferdinando nuntiatum eſt, cum intelligeret profectione ſua haud amplius opus eſſe, quo major copia neceſſariorum exercitui, atque adeo equis eſſet, Aquam Vivam (id ei loco eſt nomen) cum omnibus copiis conceſſit. At Florentini, ubi cognoverunt Vadam captam eſſe, in graviores curas inciderunt. Nam quod inde in Piſanum maxime agrum, facile excurſiones a Regiis fieri poterant (neque enim a Piſis multum abeſt), angebantur eum locum in hoſtium poteſtatem perveniſſe. Itaque repente

Digitized by Google

te coacta copiarum parte, Heſtorem, ac Simonetum Duces ad Vadam ipſam oppugnandam miſere. Qua re cognita Ferdinandus, haud mora, ſuis ad iter parari, ac ſequenti die cum iis, qui parati erant, cæteris ſequi juſſis, itineri ſe committit. Quo die, cum ſub Gavarranum cum magna copiarum parte perveniſſet, & poſtridie mane continuare iter ſtatuiſſet, ante lucem per exploratores, quos præmiſerat, factus eſt certior, hoſtes audito ejus adventu, caſtris propere motis, ſub veſperam Vada abiiſſe. Quo cognito, ulterius progredi deſtitit. Manens autem biduo, veritus ne ea ſimulatio magis hoſtium, quam diſceſſus eſſet, tertio deinde die, ubi eos certo abiiſſe per exploratores cognovit, Aquam vivam, unde diſceſſerat, in hyberna rediit. Inter hæc equites ferme centum ex iis, quos Foliani præſidio relictos diximus, quotidie hoſtilem agrum infeſtabant, tranſitumque per paluſtria loca cratibus facto, qua minime tranſire poſſe putabantur (nam tranſeuntes equos altera ſuper alteram congeſtæ crates allevabant) cum improviſo hoſtibus apparuiſſent, magnam agreſtium ſimul, & pecorum prædam reportarunt. Hæc per hyemem geſta. Ineunte autem vere, Ferdinandus, ut copias cogeret, ſeque ad bellum in æſtate præpararet, Caſtellionum conceſſit. Dum ii Duces, ac milites, qui permiſſu ejus in Regnum per hyemem conceſſerant, tardius ad ſeſe redeunt (multis enim poteſtatem abeundi domum fecerat, vere primo reverſuris) Florentini, captato tempore, Simonetum, ac Joannem Franciſcum Miletenſem cum copiis Folianum mittunt, iique, vaſtatis circa agris, haud procul inde caſtra ponunt. Quod poſtquam Ferdinando nunciatum eſt, confeſtim cum iis copiis, quas tunc habebat, iter eo arripit, uti obſeſſis opem ferat. Cumque jam ad Tumutum (id ei Regioni eſt nomen) perveniſſet, fit certior, hoſtes ab obſidione Foliani, cognita ipſius profectione, diſceſſiſſe. Quo cognito, convocatis, quas potuit, undique copiis, ad ſex millia militum coegit. Per eosdem ferme dies Alphonſus, cum accepiſſet naves quaſdam Maurorum, quibus cum ſibi Religionis cauſa bellum erat, Tuneta oppidum ex Alexandria profecturas, naves duas onerarias celeriter armatas Africam verſus miſit, ut eas in curſu, ſi fieri poſſet, comprehenderent. Forte autem evenit, dum maria Africæ expoſita obirent, ut navis quædam Genuenſium, cujus ductor erat Ubertus Squartiaficus, ex orientali ora Genuam repetens, iis obvia in curſu fieret. Ad quam cum Præfectus curſum direxiſſet, ut ſciret cuja eſſet, poſtquam appropinquare

Digitized by Google

quare cœpit, per lembum id exploratum mittit. Hiſque ductoris, ac gentis nomen non edentibus, cum contentio (ut fit) & mox altercatio orta eſſet, quod alii alios prius nomen edere debere (veterum navigantium conſuetudine) dicerent, Joannes Julius Regius Præfectus navim ipſam, correptis armis, invadit. Illi ſimul ac Regias in ſe venientes animadvertunt, & ipſi magnitudine navis confiſi, pro tempore celeriter arma capiunt, tormentiſque, & baliſtis eminus prælium committunt. Poſtquam vero inter ſe appropinquaverunt, Regiæ Genuenſem circumſiſtunt, unaque earum in ipſius latus proram infert, ac propugnatores e media navi lapidibus, teliſque ſummovet. Ad extremum Genuenſes (neque enim ad bellum inſtructa navis erat), multis utrinque ſauciis, ac cæſis, cedunt, ſeque, poſitis armis, victoris fidei permittunt. Poſt prælium cædibus, & injuria temperatum eſt. Inter hæc nihil contumeliæ mulieribus (nam in ea navi præclaræ genere quædam ex Chio vehebantur) illatum eſt. Deinde Præfectus, impoſitis in eam nautis ac militibus, omiſſo priore conſilio, cum ipſa navi Neapolim rediit.

Ea res Genuam nuntiata, Patres ſimul, ac plebem vehementer commovit. Navis enim ipſius jactura multorum civium fortunas evertebat. Itaque extemplo Baptiſtam Guanum Juriſconſultum, ac Nicolaum Grimaldum, qui navim, ac merces ſibi reſtitui poſtulent, legatos ad Alphonſum mittunt. Horum oratio querimoniæ primum, deinde miſericordiæ plena fuit. Non licuiſſe Regi, per pacis fœdera navim ſuam, nihil a ſuis hoſtile metuentem, capere, nulla denuntiatione belli prius facta. Multorum privatorum civium fortunas, illa navi amiſſa, funditus everti: Genuenſium amicitiam navi una, quamvis pretioſiſſimarum mercium referta eſſet, illi antiquiorem eſſe debere. Regi præſertim opulentiſſimo & maximo gloriam, non aurum quærendum eſſe. Adhæc Genuenſes captivos, qui triremibus Regis detinerentur, æquo jure dimitti oportere; damnis quoque per omne pacis tempus Genuenſibus mari illatis ſatisfaciundum eſſe, de quibus quidem damnis præſtandis Andreas Benegaſius Juriſconſultus, & Angelus Joannes Lomellinus prius, ac deinde Joannes Juſtinianus, ac Brancaleo Lercarius Genuenſium Legati apud illum egiſſent. Ad poſtremum orare ſe, uti mallet Genuenſes ſibi beneficio obligare, quam navim ipſam tenentem, illorum animos a Majeſtatis ſuæ obſervantia avertere. Rex primum excuſare, & dicere navim injuſſu ſuo captam eſſe Genuenſium culpa, atque inſolentia claſſis ſuæ Ducis,

Digitized by Google

cuja navis eſſet, reſpondere indignantium, ac vexillum pugnæ ſignum proferentium, primo jurgium, mox prælium commiſſum eſſe. Cæterum illos propter auream pateram, quam ſibi ex fœdere deberent, biennio non redditam, in pœnam incidiſſe. Multa præterea detrimenta privatim popularibus ſuis illata; navim denique ſuam non parvi pretii prius a Genuenſibus captam eſſe. Non recuſare tamen ſe (ſi Genuenſes velint) quominus omnes eorum, per Pontificem Maximum controverſiæ, aut per alios quoſvis communes judices Romæ agnoſcantur, componanturque, atque ob eam rem paratum ſe eſſe mittere, qui Romæ apud menſarium caveant de ea ſumma, quæ petatur, ſi idem & ipſi faciant, hanc ſuam ſententiam eſſe. Res deinde multis ultro citroque verbis diſputata, atque acta eſt. Ad poſtremum Legati, re infecta, diſceſſerunt: ductor navis, & qui in ea vecti erant, ut primum Neapolim appulerunt, omnes a Rege liberi dimiſſi. Gemmarum quoque, & unionum, quicquid ad illum ex præda relatum erat, mulieribus, quæ illa amiſerant, gratiam fecit. Paucis diebus interjectis, poſtquam ea navis capta eſt, Alphonſus certior factus, Senenſes Florentinorum injuriis irritatos fremere, ac facile fore, ut in belli ſocietatem adverſus Florentinos coirent, Matthæum Maleferitum legatum ad eos mittit, fretus ejus viri opera de ſocietate conventurum. Qui Senas profectus, atque in Senatum introductus, cur id eis expediret, multis rationibus diſſeruit.

Inter hæc Florentini, coactis veteribus copiis, noviſque inſuper, Ducibus Sigiſmundo Malateſta, & Alexandro Sfortia, Franciſci fratre (ad dena millia equitum erant præter peditatum,) primo Recinium petunt. Quo cognito, confeſtim Ferdinandus, etſi numero militum impar erat, tamen ut ſpem obſeſſis daret, Senas cum exercitu proficiſci ſtatuerat. Cæterum cum audiſſet eam Civium partem, quæ in Florentinos pronior erat, id ægre ferre, ne quam ſeditionem in Civitate amica ejuſmodi profectio excitaret, conſilium omiſit. Itaque hoſtes (cum ſuccurri non poſſet) Recinium interim capiunt, eoque præſidio firmato, recta Folianum pergunt, obſidentque. Poſtquam vero Ferdinandus copiis auctus eſt, ulterius progreſſus, Soranum petit. Verum enimvero tanta mox in caſtris lues conſecuta eſt, ut præ languentium numero non modo ad rem gerendam, ſed vix ad movenda caſtra ſatis eſſent. Inter hæc dum Folianum obſidetur, Gerardus Bambacurta Florentinorum dominatum ægre ferens, caſtella quatuor, quæ pater a Florentinis acceperat, intra

Apen-

Digitized by Google

Apenninum ſita, per Ludovicum Podium, Monteſiæ ordinis Antiſtitem, in Regis poteſtatem tradere ſe velle pollicetur. Mittuntur ob eam rem in propinqua loca pedites, atque equites, qui rem conficiant. Cæterum cum Gerardus promiſſum exequi vellet (profectis clam ad ſe, qui Balneum caſtellum, in quo & familiam, & opes ſuas habebat, reciperent) proditus a nepote, qui turrem arcis cum ſociis ceperat, ut Florentinorum gratiam promitteret, non potuit deſtinata perficere. Mature enim a Florentinis auxilium affuit, caſtellumque, quod ab illo tenebatur (Regiis, qui pauciores erant, in fines Urbinatis Principis, qui proximus erat digreſſis) cum multa præda Florentinis ſervavit. Perſlabant hoſtes in obſidione Foliani, oppidumque tormentis quotidie quatiebatur, & nihilominus præſidii Duces illorum conatus contemnebant. Quantum enim muri per diem tormenta diruebant, tantum per noctem ex materia, terraque congeſta ſufficiebant. Cæterum oppidanorum perfidia (qui, cum de prodendo præſidio clam cum hoſtibus egiſſent, armis adverſus eos ſumptis, hoſtes intromiſerant) oppidum ipſum cum omni præſidio in hoſtium poteſtatem redactum eſt. Quod tamen ſcelus haud multum diu impune tulere. Nam etſi mox victorum præſidia affuere, oppidum incenſum, ac ſolo æquatum eſt. Per eoſdem ferme dies, Ferdinandus Turrim, quam Valiani vocant, haud procul a Monte Politiano peropportune ſitam, per proditionem recepit. Ea namque iter, quod unum ad oppidum per paludes eſt, claudit: oppidum ipſum magnum, atque opulentum, & cultoribus frequens, magni profecto res momenti futura ad bellum Florentinis inferendum. In eam turrim Cotium Nigrum Capuanum impoſuit, unum ex equitum ordine, cui maxime fidebat. Forte autem contigit, ut Florentini per eos dies copias in Piſanum agrum mitterent, quæ Vadam oppugnarent. Nam quod ex eo loco Piſanus ager, ſi copiæ eo majores conveniſſent, percommode vexari, infeſtarique poterat, eum e Regia poteſtate arripere affectabant, priuſquam ad recipiendos milites amplior, ac munitior fieret. Calce enim navibus comportata, Antonius latiore muro, ac foſſa turrim circumdederat: & exinde finitimos agros infeſtos faciebat. Itaque cum hoſtes ex itinere accepiſſent (neque enim longo intervallo a Monte Politiano iter faciebant) ipſam Valiani Turrim captam eſſe, confeſtim itinere intermiſſo, eo advolant, turrimque circumſiſtunt. Intelligebant enim (id quod erat) per turrim illam oppidum facile obſideri, & capi poſſe. At Cotius & fidei ſimul, & officii

Digitized by Google

oblitus, illam confeſtim abſque vi in Alexandri Sfortiæ poteſtatem tradidit. Qua præſidio firmata, incœptum iter Vadam perſecuti ſunt.

Dum hæc in Hetruria geruntur, Veneti Lacuniſſa exercitus Duce, celeriter coactis copiis, Romanengum oppidum in Cremonenſi, quod a Franciſco tenebatur, haud procul ab Olio amne ſitum, aggrediuntur, idque expugnant. Eoque præſidio firmato, Soncinum petunt, & ipſum ſuper amnis ripa ſitum, Romanengo amplius, atque opulentius; idque, tormentis adhibitis ſumma vi oppugnant. Cujus potiundi cupiditas hoc major Venetis inceſſerat, quod in eo oppido flumen ponte jungebatur, per quem in Brixianum agrum trajectus erat, Quibus rebus cognitis, Franciſcus, convocatis repente, quas habebat, copiis, Laudum vetus, cujus urbis reliquiæ a Laudo parvo admodum intervallo diſtant, ſeſe confert, militibus, qui citra Padum in hybernis erant, eo convenire juſſis. Interim cum ei nunciaretur Soncinum, & cætera Cremonenſis agri oppida in periculo ſummo eſſe, oppugnatique ab hoſtibus, haud amplius differendum ratus, cum iis, quæ convenerant, copiis inde propere movit. Et quanquam iter per Laudenſem agrum brevius aliquanto ac rectius erat, tamen quia per Cremam, potens ac nobile oppidum, quod trans Abduam amnem ſitum, haud multum a Laudo novo abeſt (qua in urbe egregium Venetorum præſidium inerat) ea tuto proficiſci non poterat, juxta Abduam ſecundo amne duodeviginti millia paſſuum profectus, Picileonum, admirabilis munimenti, atque operis oppidum, quod Philippus Maria ingenti ſumptu extruxerat, adit; pontemque tranſgreſſus, quo Abdua flumen jungitur, continuato itinere Cremonam contendit. Interim Soncinum & per vim ſæpe, & per proditionem a Venetis tentatum eſt. Poſt hæc accitis hybernis omnibus copiis, quæ in Placentino, & Parmenſi, & item in Cremonenſi erant, inde digreſſus, Canetum in ripa Olii fluminis ſitum, in quo pons erat, quo flumen jungitur, cum toto exercitu proficiſcitur, eo videlicet conſilio, ut in Brixianum tranſeat, atque ut hoſtes ab infeſtatione Cremonenſis agri trans Olium evertat. Tenebatur vero id oppidum a Ludovico Gonzaga, Mantuano Principe, qui illi fœdere junctus erat. Cujus copiis auctus, mox una cum eo Pontem Vicum in Brixienſi oppidum petit, idque vi capit. Conſtituerat autem & reliqua caſtella, atque oppida Brixienſis, ac Bergomenſis agri, quo ſuper Olio flumine pons eſſet, ſigillatim

ex-

Digitized by Google

expugnare, quo Venetorum exercitum inter Abduam, atque Olium clauderet. Cæterum Veneti, ut Pontem Vicum ab eo captum cognoverunt, veriti, ne aut Brixienſis ager ab eo vaſtaretur, aut ipſi reditu (amiſſis oppidis, ex quibus in Brixienſem traiiciebatur) prohiberentur, conſeſtim tranſeundi fluminis conſilium capiunt: tranſgreſſique, illius conatibus, citra tamen prælii fortunam, quoad tuto poſſent, obviam eunt, ejuſque impetus reprimunt. Aliquot tamen caſtella, atque oppida, ſtudio partium Venetis infenſa, ſine vi ad illum defecere: nonnulla etiam ab eo debellata.

Eo anno nihil aliud memorabile in Gallia Ciſalpina geri contigit. Sequenti vero anno cum Gentili, quem Veneti exercitus Ducem diximus, idoneum tempus viſum eſſet ad ea oppida recipienda, quæ ſuperiori anno Veneti amiſerant, nondum ſatis exacta hyeme, etſi ſciebat, magnum hoſtilium copiarum numerum in hyberna in ea loca profectum eſſe, præter impoſita præſidia, convocatis copiis, Manerbium petit, atque haud procul inde caſtra ponit. Cæterum dum oppidum expugnare aggreditur, ſagitta humerum ictus, in caſtra ſe recepit, ac paulo poſt ex eo vulnere moritur. Quo caſu commoti Veneti, quod exercitus ſine Duce erat, motis inde caſtris, quieverunt. Inter hæc cum inter Gentilem Gattamelatæ nepotem, qui ante Gentilem Venetos exercitus rexerat, viri in re militari celebrati nominis, ac Tibertum Brandolinum ejuſdem Gattamelatæ generum de honore, & principatu certatum eſſet; nec pateretur Tibertus Gentilem ſibi dignitate præferri, quod illum ſe inferiorem in armis, & ductando exercitu exiſtimaret, ira haud diſſimulata a Venetis diſceſſit: ac per Franciſci fines trajecto Pado, Mirandulam (id ejus oppidi eſt nomen) ſe recepit, ibique aliquandiu cum Venetis reconciliatione ſimulata, tandem ad Franciſcum, illius ſtipendia facturus, ſe contulit. Erat autem inter primos Veneti exercitus Ductores Jacobus Picininus, Nicolai filius, præter paterni nominis gloriam, in armis late clarus, florente ætate juvenis. Is cum tribus millibus equitum fortiſſimorum Bracianæ factionis, ac paternæ diſciplinæ priore anno ſub Venetis ſtipendia fecerat, multis præclaris facinoribus editis, neque labores, neque pericula detrectando. Demum, finito ſtipendio, Venetis oſtendit oportere ſibi mercedem augeri, ſi ſua modo opera uti vellent, quod multos ſecum haberet, quorum opera fideli ac forti uſi eſſent, quibus ſtipendia augere ſibi neceſſe eſſet. In quo cum Veneti propter ætatis infir-

Digitized by Google

firmitatem duriores ſe præberent, nec ille alioquin permanſurus videretur, Franciſcus, ac Florentini arbitrati illum facile, dum animus in dubio eſſet, a Venetis diſtrahi poſſe, propoſitis ei per internuntios honeſtioribus tum mercedis, tum dignitatis, atque imperii conditionibus, quibus non modo juvenis gloriæ, ac potentiæ avidus, verum etiam vir matura ætate, & ab ambitione liberior capi poſſet, (quandoquidem per finitum ſtipendium licebat ei abſque ulla infamiæ nota diſcedere) tentavere illius animum. Ipſe vero, cum famam cunctis rebus antiquiorem duceret, quam nullo unquam tempore volebat in dubium adduci, ſtatuerat Bracianam factionem, cujus ipſe erat dignitate Princeps, tueri. Itaque viginti aureorum millibus annuæ mercedi additis, in Gentilis locum exercitus Dux ſuffectus, apud Venetos manere perſeveravit. Atque ineunte vere hortari Venetos cœpit, darent operam, ut copias ad bellum in æſtatem pararent, antequam Franciſcus, copiis convocatis, in caſtra exiret: magno id uſui Venetis fore, ſi priores ipſi copias educerent. Poſſe, antequam hoſtes coeant, ea oppida recipi, quæ priore anno amiſerant.

Interim dum ab utraque parte neceſſaria ad bellum magna diligentia parantur, Veneti perſuaſi a Carolo Gonzaga, Mantuani Principis fratre, quicum capitales inimicitias gerebat, uti bellum ab ea parte, quæ Veronenſem agrum contingit, ſe Duce, adverſus illum gererent: cui putabat, propter popularium in ſe benevolentiam, obeſſe plurimum poſſe, ſtatuerunt ab ea parte bellum inferre. Cumque ſuaderet Carolus, ut conſeſtim Jacobum cum copiis in ea loca mitterent, fore enim faciliorem victoriam, Venetos docuit Jacobus id conſilium haud tutum eſſe; quod ſi copiæ eo traducerentur, omnis Brixienſis, ac Bergomenſis ager prædæ hoſti relinqueretur, quem, mox ſimul ac diſceſſiſſent, affuturum crederent aliena invadendi, inſidendique occaſionem nactum. Pellenda potius e Brixienſi Franciſci præſidia, atque in Cremonenſem agrum deducendas copias, & in ejus finibus bellum trahendum cenſebat, quo magis de ſuis defendendis, quam de alienis oppugnandis intentus eſſet: & quoniam Venetos, Mantuano Principi infenſos, in eam partem proniores ſciebat, poſſe, diviſis copiis, partem Carolo ducendam in eam expeditionem tradi, reliquos in hoſtium fines agi, etſi ſatius eſſe exiſtimabat omnes ſimul copias uno loco contineri, quoniam disjunctæ haud pares eſſe Franciſco poſſent. Itaque exiguam par-

Digitized by Google

partem copiarum, neque enim in eorum exercitu plus quindecim millibus equitum, & octo millibus peditum erant, Carolo tradunt. Cum adversus fratrem profectus gerere bellum cœpit, primo quidem satis prospere illi res cedere, aliquot castellis fratri ereptis. At frater graviora metuens, ad Franciscum auxilium postulatum mittit. Cujus periculo cognito, Franciscus Tibertum Brandolinum cum mille & quingentis equitibus, multoque peditatu ire ad illum jubet. Inter hæc Jacobus Piccininus exhortatus diu Venetos, ut stipendia militi exolverent, quo maturius (comparatis omnibus) copias in expeditionem educeret, cum diutius pati non posset tempus ad res gerendas idoneum frustra teri, cum iis, quas paratas habebat, copiis, ex Leonato, Brixiensis, agri oppido, in quo hyemaverat, Legatis castrensibus negotio dato, ut reliquas copias quamprimum ad se mittant, mense Majo digressus, Quincianum Brixiense oppidum, quod superiore anno Franciscus ceperat, validoque præsidio, ac fideli imposito egregie communierat, petere statuit. Cæterum ea vis imbrium, ac tempestatis fuit, ut ipso die (quo die alioquin facile perveniisset) non potuerit eo copias ducere. Quæ mora hostibus, qui in propinquis locis erant, itinere ejus comperto, facultatem præbuit in oppidum proxima nocte, quos vellent, mittendi. Quæ quidem res difficiliorem aliquanto oppugnationem reddidit. Postridie vero, quamvis continuatis imbribus, Quintianum pervenit, ibique castra fecit. Quo quidem in loco non plus quatuor millia equitum secum habuit. Ac licet in ea obsidione, non absque discrimine, præsertim tanta paucitate militum, persistere videretur, cum præter oppidi munimenta, validaque præsidia, octo millia hostilium copiarum, aut eo amplius, in circumjectis locis essent; nihilominus hoc initio expeditionis ejus plurimum referre existimationis suæ arbitratus, præclarum aliquod a se facinus agi, quo majorem de se expectationem concitaret, admotis propius castris, tormentisque æneis adhibitis, cætera expugnationi necessaria cum cura præparavit. Post hæc mœnibus biduo percussis, ne nocte quidem ad quietem intermissa, cum tamen interea complures equites ad se in castra accessissent, oppidum ipsum totis viribus oppugnare adortus est, pleriisque hostium, qui e proximis locis convenerant, eminus spectantibus. Demum muro eruto, per vim oppido potitus est, eoque mox præsidio firmato, nulla quiete militi data, Pontem Vicum, quem super Olio flumine situm diximus, quo se hostes post

Quin-

Digitized by Google

Quintianum captum ex itinere receperant, petit. Illi autem veriti, ne incluſi, obſeſſique ob rerum neceſſariarum inopiam obſidionem diu ferre non poſſent, ne in hoſtium poteſtatem devenirent, relictis, qui præſidio, ac defenſioni oppidi ſufficere viderentur, Senigam quina inde millia paſſuum a Ponte Vico, ſe conferunt. Poſt hæc Jacobus, caſtris poſitis, quo hoſtibus facultas omnis præcidatur mittendorum e Cremonenſi auxiliorum obſeſſis, propter pontis commoditatem, ſimul ut major ei copia ſtramenti, ac pabuli ex hoſtili agro ſuppeteret, tum etiam, ut hoſtem gravius læderet, pontem vectilem continuo adhibitis fabris effecit, atque eum ſupra Pontem Vicum, ad mille paſſus jacit. Quo facto, expoſita ultra Olium amnem parte copiarum, omnem prope ſuperiorem Cremonenſis agri partem ad Alpes ſpectantem una prope excurſione in ditionem redegit, nec minore cura interim tormentis æneis muros oppidi quatiebat. Cæterum tanta vis pluviæ erat, ut non poſſet in armis miles conſiſtere: Sed cum, vel parvam temporis jacturam ſibi perincommodam, ac periculoſam exiſtimaret, ne forte interim valentior hoſtis accederet, contra ſuorum [illegible]pe omnium ſententiam, an oppidum expugnare poſſet, experiri conſtituit. Admotis itaque copiis ſumma vi oppidanos aggreſſus, multis utrinque cæſis, ac ſauciis, ſeptimo obſidionis die oppido potitus eſt. Nec mora, Senigam petit, quo ſe recepiſſe equites diximus, qui Pontem Vicum deſeruerant, ſperans ſe oppido, & incluſis in eo equitibus uno tempore potiri poſſe, aut certe eos per inſidias extra oppidum illectos comprehendere. Inter hæc Franciſcus certior factus Quintianum a Jacobo captum eſſe, quod putabat nullis, quamvis magnis, hoſtium opibus uno menſe capi poſſe, & ad Pontem Vicum caſtra poſita, multa etiam Cremonenſis agri ab eodem in ditionem Venetorum redacta eſſe, coactis repente, quas potuit, e circumjectis locis copiis, Cremonam contendit, equitatuque, qui in Cremonenſi erat, ad ſe celeriter accito, fretus etiam ea manu, quæ apud Senigam erat, Cremona movens, citato agmine Pontem Vicum petit, ratus id oppidum adhuc in ſuorum poteſtate eſſe, ſperanſque oppidanos non ſolum obſidione liberare poſſe, ſed etiam trajecto flumine, ſubito atque improviſo adventu hoſtes opprimere. Cumque citatim contendens in itinere, præter ſuam opinionem accepiſſet Pontem Vicum captum eſſe, primo credidit (quoniam is locus haud facile expugnari poſſe videbatur) ſuorum dolo amiſſum. Aſt ubi vi captum cognovit, mutato repente con-

Digitized by Google

consilio ; Senigam profectus est ; idque optima ratione providit, arbitratus Picininum post captum pontem Vicum, Olii amnis oppida sibi eripere conantem (ut copiæ, quas in Brixiensi haberet, trans Olium clauderet, neque enim aliter subveniri posse) Senigam, id quod evenit, confestim ducturum. Ac forte cecidit, ut eodem tempore ipse a citeriori, ille ab ulteriori parte oppidi, ac fluminis, quæ Brixiam respicit, Senigam pervenerint. Cæterum Jacobus, postquam Franciscum adventasse animadvertit, neque habere se eas copias, quibus tuto posset ad Senigam castra facere, nec faciendi pontis, quo oppidanos vehementius premeret, sibi facultatem esse, hostibus in adversa ripa adstantibus levi prælio cum iis, qui intus erant, edito, iisque intra portus rejectis, iter retro ad Pontem Vicum, unde venerat, convertit. Ibi magnam uterque, Franciscus Senigæ, & Jacobus apud Pontem Vicum, æstatis partem consumpserunt, levibus quibusdam præliis interim commissis. Præterea Jacobus, quæ ceperat, in Cremonensi oppida tutatus, magnam inde rei frumentariæ vim convexit, quæ magno Brixiæ usui fuit, crebrisque excursionibus agrum Cremonensem infestum faciebat.

Inter hæc Carolus Gonzaga, qui initio adversus fratrem aliquando erat adversam fortunam expertus, tandem statuit totis copiis decertare. Ac mox cum fratre, ac Tiberto collatis signis congressus, infeliciter pugnavit. Et quamvis equitum, quos eo prælio amiserat, numerus haud magnus esset, nihilominus quia copiarum Duces, ac primores equitum pene omnes capti fuerant, major re ipsa, quam videretur, ea clades fuit. Ex eo sequutum, ut & Veneti de Veronensi agro soliciti, & Ludovicus a fratre metuens, inducias in certam diem inter se fecerint, quibus cavebatur, uti Veronensis, ac Mantuanus ager trans Mincium amnem a belli cladibus liber esset. Posthæc Franciscus, dissimulato consilio, cum ad se Ludovicum, ac Tibertum cum copiis e Mantuano accersereț (quod ab ea parte bellum propter inducias sublatum erat) illos Gaudium oppidum ex itinere petere jubet, locum quidem, præter nemus circumjectum, triplici munimento firmissimum, cum quidem per Mantuanum, & Cremonensem agrum commodius ad eum iter esset. Est autem situm in apertis campis, haud procul a Monte Claro, & Brixia non plus duodecim millia passuum remotum. Iique profecti subito atque improviso adventu exterius munimentum ingenti fossa, atque aggere circumdatum continuo occupant. Quod ubi Franci-

Digitized by Google

ſco nuntiatum eſt, haud mora, cum omnibus copiis, præter eas, quas præſidio reliquit, quanta maxima celeritate potuit, eo contendit. Cujus diſceſſionis cauſa cognita, Piciniuus confeſtim alio itinere & ipſe cum copiis movens, eodem advolat. Tantaque fuit illius velocitas, ut Franciſci celeritatem prævenerit, magna ſpe fretus ſe non ſolum poſſe Gaudienſibus obſeſſis opem ferre, ſed etiam Ludovicum, ac Tibertum aut intra munimenta comprehendere, aut, ſi egreſſi obviam irent, fundere, ac fugare. Cæterum id conſilium cum Legatis caſtrenſibus periculoſum videretur, ne pugna implicitos ſuperveniens Franciſcus turbaret, remque in diſcrimen adduceret, eſſetque ambiguum, an adhuc Gaudienſes in fide permanerent, omiſſum eſt. Ac mox profectus ex altera parte Franciſcus, munimentum ingreſſus, obſidere oppidum perrexit. Poſtquam vero Piciniuus animadvertit fruſtra ibi tempus teri, nec poſſe ulla vi, oppidanis ſuccurri, Portianum, quatuor inde millia paſſuum, auxilii ſpem obſeſſis oſtentans, conceſſit, ibique permanſit. Franciſcus autem continuata obſidione oppidum cepit. Et quoniam is locus, ut diximus, ad infeſtandum Brixienſem agrum peropportunus videbatur, nihilominus Jacobus apud Portianum manere perſeveravit, hoſtium conatibus crebro ſeſe opponens. In hoc rerum ſtatu omnis æſtas, atque autumnus conſumptus eſt. Levia tamen aliquot prælia, ac prope æquo marte commiſſa. Sed accepta apud Caſtrum Leonem clades, calamitatem per Carolum Gonzagam prius acceptam Venetis renovavit. Quod oppidum cum Jacobus, excluſis oppidanis, qui ad agros colendos, fide accepta, exierant, propter ejus opportunitatem, (eſt enim ſitum inter Abduam, atque Olium amnes) occupare tentaſſet, quo Franciſcum e Brixienſi agro extraheret, & oppidani jam oppidum dedituri viderentur; Venetorum vero equites ſecuri magna ex parte arma poſuiſſent, profecta interim a Franciſco auxilia caſtra improviſo invadunt, eoſque omnes, antequam arma capere, aut gladios ſtringere potuerint, capiunt. Quingenti prope homines capti, caſtra direpta ſunt.

Inter hæc Franciſcus, ac Florentini de bello anxii, quod Regem, ac Venetos pecunia plus poſſe, quam ſe intelligebant, etſi diutius bellum traheretur a Venetis, veriti, ne ſumptus ferre non poſſent, belli moras præcidere quavis ratione cogitant. Et quia Florentini vetere majorum amicitia optime erga Renatum affecti erant, putabantque illum Alphonſi ſtatum in Neapolitano Regno perturbare poſſe, approbante conſilium Franciſco, illum per Legatos cum duo-

Digitized by Google

duobus millibus equitum, præter ſagittarios, in Italiam accerſunt; dena auri millia in ſingulos menſes decreta, adjectumque fœderi, uti Renato, cum vellet, libera facultas ex Italia decedendi; & Franciſco, ac Florentinis ejus item dimittendi poteſtas eſſet, dummodo tribus ante menſibus ea illi miſſio denuntiaretur. Is in Galliam Ciſalpinam tranſgreſſus, Guilielmo, Montis Ferrati Principis fratri, qui a Rege, ac Venetis mercede conductus, adverſus Franciſcum bellum gerens, agrumque Alexandrinum, ac Novarienſem infeſtans, bonam. partem equitatus Franciſci in ſe converterat, ut arma poneret, perſuaſit. Acceptiſque illius copiis, iiſque Bonifacio ejus fratri commiſſis, multiſque Alexandrinorum adjectis, ad Franciſcum ſe contulit, caſtraque cum caſtris junxit, eo videlicet conſilio, ut Venetis Brixienſi agro expulſis, quod ea æſtate putabant fieri poſſe, inde Florentiam peteret, ab ea parte adverſus Alphonſum bellum geſturus. Ejus adventus Franciſci res haud dubie confirmavit. Nam & Guilielmum gravem hoſtem illi placavit, & præter equitatum, ac ſagittarios, quos in Italiam tranſvexit, ipſius Gulielmi copias ſibi conciliavit, & Bartholomæum Coleonem, ac nonnullos alios ductores cum tribus millibus equitum, qui bello contra Gulielmum occupati erant, in caſtra perduxit. Venere item a Florentinis per id tempus ad Franciſcum in caſtra Michael Cottiniola, & Alexander ejus frater, exiſtimantibus, tantis viribus conjunctis, ea æſtate Brixiam Venetis eripi poſſe. Cum quibus copiis Franciſcus ſimul, & Renatus mox profecti, Monte Vico primum vi capto, multiſque aliis circa oppidis (in quibus expugnandis magna crudelitas, præter Italiæ conſuetudinem, a Gallis patrata eſt) omnem Bergomenſem, ac Brixienſem agrum, & quicquid inter Olium atque Abduam amnes interjacet, tanto tumultu, ac terrore involvit, ut prope omnia, alia metu, alia Venetorum odio, ſeſe ejus fidei, ac poteſtati permiſerint. Tanta autem ejus procellæ vis fuit, ut Veneti nuſquam amplius caſtra cum hoſtium caſtris conferre jam poſſent. Nec tamen Picininus, in quo Venetorum conſervandi Status ſpes reliqua erat, adduci potuit, ut aut Brixiæ mœnibus ſe includeret, aut Atheſim flumen, quod Veronam influit, cum copiis tranſiret. Sed juxta Benacum, qui lacus eſt in Brixienſi nobilis, unde & Mintius amnis Mantuam præterfluens exoritur, caſtra habens, indeque crebras excurſiones faciens, hoſtiles agros infeſtos reddebat. Ad hæc Manfredus, ac Gibertus Corregienſium Principes, qui a Rege conducti adverſus

Digitized by Google

Franciſcum, & Ludovicum Mantuanum Regulum bellum gerentes, in Mantuano, ac Parmenſi agro caſtella quædam ceperant, multaque egregia facinora ediderant, pluribus excurſionibus prope portas Parmæ factis, quibus in locis, propter factiones, & clientelas magna eorum auctoritas erat, quod eorum Majores olim Parmam imperio tenuerant, miſſa a Franciſco adverſus eos majore ſuorum manu, & ipſi cedere coacti ſunt. Quibus difficultatibus, ac periculis Veneti circumventi, cum Reipub. ſalutem in uno Rege poſitam animadverterent, Joannem Maurum, qui Senis ab initio belli fuerat, fœduſque cum Senenſibus compoſuerat, paulo ante Venetias reverſum, Legatum ad eum mittunt oratum, ſi eorum Statum ſalvum eſſe cupiat, auctis copiis, ipſe in Hetruriam contendat; quo Florentini, injecto domi metu, copias ex Inſubribus in Hetruriam revocent. Multa ſiquidem in illo fuerunt ornamenta: ingenium ad omnes tum pacis, tum belli artes in primis habile, magnitudo animi, modeſtiæ ac decoris ſtudium, conſtantia, probitas, facundia egregia, qua reos in judicio, orando cauſas, veterum more, gravi periculo liberavit. Ob quas quidem virtutes Reſpub. Venetorum maximis & honeſtiſſimis legationibus ejus opera ſæpenumero uſa eſt. Is ad Regem profectus, hujuſcemodi orationem habuit: Etſi pax tua, atque ſocietas, Rex inclite, noſtræ Reipublicæ ſemper optabilis fuit, quod eam nobis honeſtiſſimam ducimus: tamen vel ea maxime cauſa illam expetivimus, atque contraximus, ut Italiam pacatam tandem aliquando videremus, quæ ab ultima memoria noſtra bello vexata nunquam potuit conquieſcere. At vero cum hoc propoſitum, atque conſilium noſtrum a Franciſco Sfortia, & Florentinis perturbatum eſſet, cauſas belli quærentibus, neceſſe fuit & tibi æque, & nobis, vel invitis, arma ſuſcipere. Verum enimvero hoc bellum longe aliter proceſſit, atque ipſi opinabamur, & ratio dictabat. Neque enim veriſimile cuiquam videri poterat, Franciſcum, ac Florentinos tuæ, ac Venetorum potentiæ pares eſſe poſſe. Quod quidem, ſi recte cogitamus, & Majeſtati tuæ ſimul, & noſtræ Reipublicæ dedecori haud dubie cedit; ſed Alphonſi Majeſtati, cujus eſt major etiam autoritas (pace tua loquar) magis: quoniam in Hetruriam non miſiſti eum copiarum numerum, qui ad tantum bellum gerendum ſatis eſſet, quique tanto Rege, tam opulento, tam glorioſo dignus videretur: præſertim cum ſcires Florentinos eas paraſſe copias, quibus exercitum tuum cedere neceſſe fuerit. Ideoque magis fa-

mæ

Digitized by Google

mæ tuæ & exiſtimationi officere arbitror, quod Ferdinandum filium hujus expeditionis Ducem effeciſti, cui quidem cedere turpius ſit, quam privato cuivis copiarum Duci. Quem quidem, ſat ſcio, ſi pro egregia illius virtute, par, aut certe non multo inferior copiis hoſtibus fuiſſet, hodie in eorum finibus cum magna tua gloria bellum gerentem videremus. Sed cum parva manu majoribus copiis reſiſtere, aut obſeſſis opem ferre non poterat: quibus quidem rebus a te, Rex, conſuli oportuit, tum ob fœdus, quod tecum ſanximus, tum vel in primis gloriæ tuæ cauſa, quam ut tueare, omni a te ratione curandum eſt, ne quando uſpiam apud rerum Scriptores extet, tuum exercitum Florentinorum exercitui cedere coactum. Multum etenim tibi, Rex, non ſolum quid præſentes de te ſentiant, ſed etiam magis quid poſteri de te exiſtimaturi ſint, cogitandum eſt, quorum hoc liberiora fuerint de te judicia, quo ab omni metu, ac ſpe remotiores fuerint. Erunt igitur, qui hoc aliter, ac ſe habeat, interpretentur. Putabunt enim alii te non tantum opibus, ac potentia valuiſſe, alii id tibi negligentiæ adſcribent, eamque ut in tantis rebus fugiendam improbabunt. Nonnulli etiam fortaſſe tuam erga Socios, atque amicos fidem, atque officium deſiderabunt. Hæc autem omnia judicia effugies, ſi (quod noſtræ Reip. ſalutare in tantis malis videtur) majoribus equeſtribus, ac pedeſtribus copiis quamprimum comparatis, ipſe in Hetruriam proficiſcare. Erit ſane tua profectio magno hoſtibus terrori. Neque enim ſolum eorum impetum, ac ferociam cohibebis propter eam opinionem, quæ de tua virtute apud illos increbruit, cujus inſignia experimenta Neapolitano bello edidiſti, ſed etiam, iis depreſſis & fractis, Venetorum ſociorum, & amicorum Statum, quem tuum exiſtimare debes, vehementer ſublevabis. Adhæc Franciſcum, qui, Mediolanenſibus oppreſſis, Imperium illud occupavit, Mediolani poſſeſſione cedere compelles. Denique una, & eadem opera totam Italiam pacaveris, quod fuerat tuum, ac Reip. noſtræ conſilium, & quidem maxime a te optari, Rex, debet, ut tanti ſcilicet boni auctor prædiceris: in quo enim (bone Deus) magis, aut melius eluceſcere poteſt vel virtus tua, vel gloria, quam id efficere, atque conari, ut Italia, conſopito armorum ſtrepitu, otio, & quiete perfrui poſſit? Erit in manu tua leges dare pacis, & belli, quibus velis; nec erit, qui auctoritati tuæ non pareat. Sed ſcito hæc conſilia, ſi rem ſero exequare, vana, aut nulla fore. Jam enim æſtas, ut vides, præceps eſt, & niſi matures, per hye-

Digitized by Google

hyemem eundum erit. Quod anni tempus ad rem gerendam inutile eſt. Ita nec Sociis ullam malorum allevationem afferes, & omnis ſumptus in militem perierit, & de exiſtimatione tua non parum detrahetur, ſi in re gerenda ceſſaveris, teque intra caſtra continueris. Oportet, ubi velis Sociorum ſaluti, ac dignitati tuæ conſulere, celeritati ſervias, quæ, cum cæteris in rebus, tum maxime in re militari plurimum valet. Fruſtra enim, ubi ſemel opportunitas e manibus elapſa eſt, Dei immortalis auxilium implores. Quapropter quæſo, abjecta mora, Sociorum ſaluti, ac dignitati tuæ fac conſulas; ſic & gloriæ, & exiſtimationi tandem tuæ proſpicies. Quæ cum dixiſſet, Rex placide in hunc modum reſpondit: Ego, quid mihi neglecti erga vos Venetos ſocios, & amicos officii, jure imputari poſſit, non video. Nam ſimul ac a me petiſtis, ut exercitum in Hetruriam mitterem, quoniam Franciſcus fines veſtros invaſiſſet, Florentinorum opibus adjutus, confeſtim, ut par fuit, exercitum paravi, & quo major Florentinis belli metus incuteretur, non per alium gerere id bellum, quam per Ferdinandum filium, qui eſt mihi mea vita carior, volui, eaſque copias miſi, quas putavi ſatis eſſe ad bellum adminiſtrandum. Sed ſive propitia fortuna hoſtibus fuerit, ſive veſtri copiarum Duces non eum equitatum, quem æquum erat, in caſtra perduxerint, res aliter, atque ipſi ſperabamus, evenit. Acceſſerunt alia incommoda, quod in finibus hoſtium bellum gerendum fuit in magna rerum neceſſariarum penuria, quodque a Senenſibus ſociis timide, atque exigue nobis ſuppeditata ſunt omnia, qui neque oppida, neque receptus ullos in ſuis oppidis, in quibus tutus eſſet noſter exercitus, concedere ſuſtinuerunt. Quod ſi eſſet ab illis factum, nihil dubitari poteſt, quin Florentini in maximum diſcrimen rerum ſuarum ab exercitu noſtro adducti eſſent. Sed veriti finitimorum hoſtium potentiam, nec amicos ſe, nec inimicos ſatis conſtantes præſtiterunt. Pax quidem, & quies Italiæ mihi maxime curæ eſt, nec eſt quicquam, in quo frequentius animus, & cogitatio mea verſetur. Itaque pro ea componenda, omnes profecto labores libens ſubierim. Quam rem ſi minus efficere, ac conſequi potero, at apud omnes animi mei hunc affectum teſtatum relinquam. Sed quamvis omnia, quæ jure fœderis debui, a me vobis præſtita eſſe intelligam, miſſo in Hetruriam exercitu, miſſo Ferdinando filio, paratis etiam novis copiis, quas cum Joanne Vintimiilio, præſtantiſſimo copiarum Duce, eodem mit-

Digitized by Google

mitterem, tamen ut agnoſcatis, Veneti, ſalutem Reipub. veſtræ, ut ſociorum, ut amicorum, mihi cariſſimam eſſe, non gravabor ipſe quamprimum, auctis copiis, eodem proficiſci, nec per me ſteterit, quin & veſtram Remp. tanto periculo ſublevem, & optata pace Italia, noſtra opera, aliquando frui poſſit.

Ab hoc ſermone digreſſus, cogitare de bello attentius cœpit. Itaque confeſtim milites ſcribere, atque omnia parare, quæ huic expeditioni uſui eſſe viderentur. Et quo citius copias cogeret, vetere conſuetudine in prata Campana ſe contulit, omnibus eo convenire juſſis, qui eſſent ſecum profecturi. Cæterum iis ſero advenientibus, illum citra campum Latronem hyems oppreſſit. Cumque adhuc Rex ibidem eſſet, Franciſcus Aringherius legatus a Senenſibus ad eum venit de communi fœdere acturus. Quæ res pluribus diebus per Matthæum Malferitum, legatum Regium apud Senenſes, agitata fuerat. Cum autem Legatus Venetus magnopere inſtaret, uti trajecto flumine in Pontificis Romani fines tranſiret, atque iter cœptum perſequeretur, reſpondit, profectionem ſuam in Hetruriam per id anni tempus (jam enim Calendæ Octobris præterierant) inutilem ſibi videri; præſertim cum in Senenſi agro nullum haberent oppidum, quo ſe cum exercitu in hyberna reciperent. Ex eo enim futurum, ut nequicquam equitatus, peditatuſque conſumeretur, nec ejus poſtea ullum, ineunte vere, uſum fore; atque ideo in id tempus profectionem differre, ſatius eſſe. At Legatus magis magiſque inſtare, nec ullo modo intermittendam profectionem tam neceſſariam dicere; quandoquidem ſi a Senenſibus in oppida non recipiantur, at in Averſi Urſini finibus receptus futurus ſit: non poſſe eum, ſalva fide & dignitate, iter differre, præſertim cum Veneti Renati bellum illius cauſa tollerent, qui multas ſibi & magnas conditiones proponat: quandoquidem omnes rejecerint, ut qui ejus ſocietatem, & amicitiam uſque ad ultimum diſcrimen tueri decreverint. Quibus rationibus motus Rex, ſtatuerat poſtridie amnem tranſire. Cæterum proxima nocte, quaſi palam inhibente Deo tranſitum, quem & vates quidam illi exitiabilem futurum monuerat, repentinus quidam dolor crus ejus dextrum invaſit, cujus vis tanta fuit, ut inde moveri non poſſet. Quinto abinde die, continuato dolore, nihilominus deliberaverat lectica delatus iter ingredi, atque amnem traiicere. Cæterum cum ad vehementem cruris dolorem etiam febris acceſſiſſet, conſilium mutare ſuadentibus Medicis, coactus Fontanam, caſtellum iis locis proximum, lectica ſe deportari cura-

Digitized by Google

curavit. Ibi cum pharmacum ſumpſiſſet curandæ valetudinis cauſa, ex ſubita humorum commotione, inter ſuorum manus collapſus, creditus eſt e vita diſceſſiſſe. Quæ res continuo in vulgus edita, popularium animos mirum in modum perculit: Medicorum deinde fomentis ad ſe reverſus, dum ſe propediem convaliturum ſperat, equitatum ne mitteret, aliquot apud ſe diebus adhuc continuit. Sed præter opinionem omnium, ingraveſcente in dies morbo, poſtulante Ferdinando partem equitatus confeſtim ad ſe mitti, quod diceret ſe confidere, propter Alexandri Sfortiæ diſceſſum, quem ad Franciſcum fratrem cum Michaele Cottiniola profectum diximus, poſſe, ereptis tormentis æneis, hoſtes, qui adhuc Vadam obſiderent, caſtris exuere, Inicum Ghevaram cum mille equitibus eo proficiſci quamprimum juſſit. Cæterum antequam in caſtra pervenire potuerit, Vada, turre, ac munimentis everſis (jam enim Antonius Olcina juſſu Regis abierat) capta, & in hoſtium poteſtatem redacta eſt. Nec tamen e Regiis quiſquam eſt captus. Nam poſtquam, disjecto muro, locum ſe tueri non poſſe animadverterunt, conſcenſis navibus, quæ in portu erant, ſaluti conſuluerunt. Cum autem Regi ulcus inuri oporteret, nec aliter Medicis ſanari poſſe videretur, eſſentque, qui ſuaderent, ei propter doloris impatientiam cohibendas manus, vetuit, perpeſſurum ſe omnia affirmans, quæ Medici juberent. Atque ita interritus urentem ſpectare ſuſtinuit.

Inter hæc per Italiæ Principum Legatos de communi pace (pro qua quidem re Marinus Caratiolus, & Michael Ritius a Rege miſſi erant) apud ſummum Pontificem Romæ actum. Et in eo quidem Alphonſus, quo res conficeretur, nonnihil de jure ſuo, hortantibus Venetis, detrahi patiebatur. Verum enimvero ea pacis mentio fruſtra fuit. Rex deinde, percurato ulcere, in magna ſalutantium, & congratulantium turba, Neapolim rediit. Quo paulo poſt Matthæus Malferitus Senenſium rogatu ad eum reverſus, ſocietatem, de qua diu actum fuerat (edocto Rege, cur id expediret) confecit. Poſtquam Joannes Maurus, rebus, ut diximus, infectis, legatos de pace Roma diſceſſiſſe accepit, cum jam plane omnis de bello cura eſſet, Regi perſuaſit, ut ſtipendium in militem conferret. Novem millia equitum, quator peditum partim jam in caſtris erant, partim nuper mercede erant conducta. Cumque jam nonnullis ex Ducibus ſtipendium traditum eſſet, allatum eſt (præter omnium opinionem) pacem inter Venetos, Franciſcum, ac Florentinos ad Laudum oppidum factam eſſe. Quod ubi Alphonſus reſcivit, valde quidem

pri-

Digitized by Google

primo (ut par erat, quoniam, ſe inconſulto, facta fuerat, atque inſciis Ludovico Podio, & Antonio Piſaurenſi ejus legatis, qui ab initio belli Venetias profecti res communes tractaverant) commotus eſt. Nec quam indignationem animo conceperat, apud Legatum diſſimulanter tulit, quidvis aliud potius ſe auditurum credidiſſe, propalam dicere, quam ſe in re tanta, quæque ſua tantopere intereſſet, a Sociis neglectum eſſe, pro quorum Statu conſervando tot tuliſſet labores, tot ſumptus feciſſet, atque in Hetruriam traiicere paraſſet, quorum denique rogatu multam jam pecuniam in militum ſtipendium effudiſſet; non potuiſſe, ſalvo fœdere, abſque ſuo conſenſu pacem fieri. At Legatus placare Regis animum magis magiſque niti: cauſari id a civibus ſuis neceſſitate factum, nec aliter exiſtimandum eſſe. In ipſa tamen pace honeſtam de eo mentionem non omiſſam. Licere illi in ea comprehendi, ſi velit, ſalva dignitate, trium menſium ſpatium ei ad deliberandum dari. Paratos eſſe Venetos præſtare omnia, quæ ejus honori & exiſtimationi conducant. His, atque ejuſmodi verbis aliquantum mitigatus, poſt aliquot dies, cum ejus voluntas de pace exquireretur, pacem quidem non abnuere ſe dixit; at pacis ipſius conditiones (quippe cum neſciret quænam, aut cujuſmodi eſſent, neque enim ab iis, qui pacem fecerant, aut per Legatos, aut per nuntios, ut par erat, delatæ ad eum fuerant) non admittere. Si quis pacem a ſe petat, ſe non tam inhumanum eſſe, ut eum a ſe reiiciat, aut aſpernetur. Non eſſe eo ingenio, ut non concedat, ſi honeſta poſtulentur. Idque per præconem publice pronuntiari juſſit. At Senenſes, ſimul atque iis denuntiatum eſt pacem factam eſſe, iiſque integrum eſſe ea comprehendi, ſi velint, confeſtim, ut quos belli ſatietas dudum ceperat, pacem ſe accipere dixerunt. Quo facto, poſtea paſſi non ſunt, Ferdinandum ex Reſpub. ſuæ finibus Florentinos vexare. Qua re cognita Alphonſus, Ferdinandi moram in Senenſi agro ſupervacuam jam eſſe intelligens, cum copiis ad ſe reverti juſſit. Qui Tyberim tranſgreſſus, & in Marſos profectus (relicta ibi copiarum parte) ad Regem ſe contulit.

Per id ferme temporis, cum Genuam perlatum eſſet, tres naves a Rege armari, & Genuenſes naves aliquot locupletiſſimas ex Chio inſula expectarent, veriti, ne ob eam cauſam Regiæ armarentur, ut illas in curſu invaderent, accedente gravi indignatione, quam animis conceperant, ex eo, quod Rex navim Squartiaficam, Oratoribus ad illum miſſis, non reddidiſſet,

Digitized by Google

nec pretium mercium persolviſſet, naves octo, in quibus duæ minores, quas vulgo Banonerios vocant, celeriter comparant, eiſque Joannem Philippum Fliſcum antiquæ nobilitatis virum præficiunt. Quas poſtquam ad curſum paratas eſſe, Alphonſo nuntiatum eſt, confeſtim tres illas naves, quæ jam ultra Siciliam profectæ erant, revocat, atque in Neapolitano portu collocat. At Joannes Philippus, navalibus ſociis, & commeatibus, cæteriſque neceſſariis in naves impoſitis, ſoluta claſſe in altum evectus, præter omnium opinionem, in Siciliam primum navigat, Drepanumque hoſtiliter profectus, accepto commeatu, circuitaque inſula, Jonium mare tranſgreſſus, ad inſulam, quam Sapientiam vocant, navigat, ibi navium ex Chio adventum præſtolaturus, ad quas prius Genuenſes miſerant, qui claſſis profectionem nuntiarent, monerentque, utræ prius naves ad eam inſulam perveniſſent, alteras expectarent. Quibus duobus fere menſibus poſt profectis, & cum claſſe conjunctis (ſex hæ fuerunt) cum Alphonſo nuntiatum eſt, propalam minitari eos ſe Neapolitanum portum petituros, & Regias naves incenſuros, primum omnium Bernardo Villamarino claſſis ſuæ Præfecto negotium dat, ut cum triremibus, quas habebat, profectus, ſciſcitetur, quid agant, & quem curſum teneant, obſervet; ac ſi Neapolim petant, ubi appropinquare cæperint, celeriter ad ſe advolet. Deinde portus fauces, (quod erat maxime neceſſarium) obtrudere incipit. Saxa ingentia e proximis lapidicinis præpropere excidi, & in profundum jaci imperat; & quo citius muniat, ratus Genuenſium naves mox affuturas, in tumulos extrui tam propinquos inter ſe, ut nulla adverſariorum navis interlabi poſſe videatur. Huic munimento ligneam primo catenam e multis trabibus compactam, deinde ferream adiici præcepit. Qua lapidum congeries deficiebat, molem a tergo muro circumplectitur tantæ altitudinis, ut navis onerariæ altitudinem ſuperaret. Tormenta ænea, quæ multa, ac varia miræ magnitudinis habebat, circa molem, & contra molem, opportunis quibuſque locis, diſponit; equitatus partem in urbem accerſit, delectibus in Campano agro habitis; urbanam juventutem arma parare, &, ubi opus ſit, adeſſe præcepit; defenſores navium ſortes viros delegit. Interea allatum eſt, triremes decem Genuæ armari, quæ onerariis conjungantur, ſine quibus propter triremes, quas tunc Rex habebat, Genuenſes arbitrari videbantur onerariarum uſum inanem fore; quo magis Alphonſo curæ fuit munimenta incepta maturare. Neque dum enim ſaxa contra portum

Digitized by Google

tum projecta in tantam altitudinem creverant, ut ſuperlabi oneraria navis non poſſet.

Interim Genuenſium naves quatuordecim intra Capreas, Ænariamque proſpectæ ſunt. Quo cognito Alphonſus arma expediri, & ad molem occurri, ſi forte accedant, imperat, opere tamen muniendi portus nec noctu, nec interdiu intermiſſo. Cæterum Genuenſium claſſis recte in Prochytæ ſinum profecta, ſui metum pauliſper Regiis ſuſtulit. Poſtero die Bernardinus Villamarinus, cum triremibus reverſus, defendi naves in portu poſſe ſpem fecit. Tertia die Genuenſium claſſis Neapolim verſus profecta, ac ſupra portum tantum extra tormenti jactum explicato velo evecta, oſtentatione modo ſui facta, variis terroribus illatis, unde moverat, rediit. Idem triduo poſt, ſed nequicquam fecit, omnibus mirantibus tam vanæ oſtentationis cauſam; & ſane ſi viri modo fuiſſent, propter opera, & munimenta adhuc imperfecta, Regiæ naves ægre defendi potuiſſent. Tum plane intellectum eſt, triremes a Joanne Philippo expectari, ſine quibus diffidere videbatur, poſſe ſe deſtinata conſequi. Quas dum expectat (lente enim, ac ſegniter ea res Genuæ agebatur) complures dies conſumti ſunt. Inter hæc muniendi portus, ac perficiendorum operum ſpatium Regi datum. Lapidum cumulis ad ſummam aquam perductis, ſpatium, quod intermiſſum erat, immenſi profecto operis expletum eſt. Pari diligentia lignea catena, & item altera ferrea abſolutæ, ac naves, quæ moli adligatæ erant, in portum interiorem minoris altitudinis, præter illas duas ingentes, & Squarciaficam traductæ ſunt, hæque corio crudo ab exteriori parte, ut earum quoque mali, contra vim ignium circumtectæ. Atque hæc opera diutina quædam, atque inaudita maris tranquillitas, quo maturius efficerentur, adjuvit. Paucis poſt diebus Joannes Philippus ſerum triremium ad ſe adventum demiratus, ſoluta claſſe, Pontiam verſus contendit, ſive ut advenientibus adverſus iret, ſive quod aquandi commode in illis locis, roſtratis Regiis prohibentibus, poteſtas non eſſet: ex Pontia deinde Plumbinum navigat, dimiſſis Genuam navibus, quas e Chio profectas diximus, prædæ magis, quam bello aptis. Quo aliquanto poſt onerariæ tres ad bellum inſtructæ ad eum Genua miſſæ ſunt. Nam quod Rex onerarias ſex magnas, inter quas duas illas inauditæ magnitudinis habebat, & haud tutum Genuenſibus videbatur (ſex navibus claſſi detractis) cum cætera claſſe Neapolim adire, portumque invadere, naves illi ſubmiſe-

Digitized by Google

runt. Eo quoque triremes illæ decem, quas ſegnius propter ordinum diſcordiam, parari diximus, Duce Maſino Fregoſo, Petri fratre, qui tum Princeps Genuenſem Rempub. tenebat, convenere. Eodem & Siretus Vultabius (is opinatus eam diſcordiam componi poſſe, ex Neapoli Genuam ſe contulerat) una cum Angelo Joanne Lomellino, cui componendæ controverſiæ cum Joanne Philippo, ac Maſino poteſtas data erat, profectus, & cum eo de tota Senatus ſententia collocutus, relictis haud procul a Plumbino navibus, monitiſque, ne intra Regni fines accederent, terreſtri itinere ad Regem venit, ſpeque facta rem componi poſſe, Regem primo ſeorſum affatus, deinde in Senatum introductus, quæ Genuenſes vellent, expoſuit. At cum ejuſmodi poſtulata haudquaquam æqua viſa eſſent, ea irrita Rex habuit, maxime quod fama erat totam claſſem adventare. Turpe enim Regio nomini exiſtimabant, Regem cum armato adverſario intra Regni ſui fines paciſci, ne videretur id metu compulſus effeciſſe. Quod cum ille animadverteret, dari ſibi navim rogavit, qua confeſtim claſſem adiret, ne intra Regni fines appropinquaret. Sed dum accepta bireme navigat, Maſinum cum triremibus navem ad Pontiam inſulam jam profectum reperit, non expectatis onerariis. Nam is quidem Joanni Philippo penes, quem ſumma Imperii erat, (uſque adeo ea tempeſtate inter Nobilitatem, ac Plebem vetus certamen, & pernicioſa contentio exarſerat) haud ſatis audiens erat. Hunc Siretus docuit, quatuordecim naves longas armis, viriſque egregie inſtructas Regi eſſe; tot enim paraverat, ubi cognovit decem a Genuenſibus armari: non eſſe iis locis immorandum, abſque onerariarum præſidio: proinde quamprimum ad onerarias ſe recipere ne cunctaretur: putare ſe illas ſubito affuturas. At ille tum ſtudio viſendæ inſulæ, tum quod re ad Conſilium delata, alii occaſum ſolis expectandum, alii lunæ exortum (quod aer anceps videretur) dicerent, perſtitit. Alphonſus vero opinatus aut caſu, aut judicio fieri poſſe, ut Genuenſium triremes ſeorſum ac procul ab onerariis accederent, Bernardum Villamarinum cum iis quatuordecim roſtratis, quas habebat, impoſitis in eas, præter navales turmas, compluribus lectis viris, ſub veſperam eo jubet contendere. Iſque ad Aenariam inſulam primum delatus, per noctem inde ſolvens, Pontiam petit, præmiſſis triremibus ſeptem in prædæ ſpem, ſi forte ibi Genuenſes eſſent. Cæterum ea fuit Genuenſium incuria, atque imprudentia in diſponendis ſpeculatoribus, ut parum abſuerit, quin omnes in ipſo portu capti fue-

Digitized by Google

fuerint. Itaque ut Regias triremes jam appropinquantes viderunt, tum demum, damnatis eorum consiliis, omnia tumultuose ac trepide agere, socii remigum, remiges sociorum officia turbare. Una denique salus in tanto discrimine visa est in celeri fuga posita, antequam, propius congressis Regiis, portus exitu prohiberentur. Itaque confestim remo veloque summo certamine obnixi fugam arripiunt. Quod ut Bernardus animadvertit, exhortatus suos ad res gerendas insequi fugientes cæpit. Cæterum plus valuit Genuensium timor, quam Regiorum studium, quamvis Regiarum triremium duæ celeriores, Genuenses terra includere conantes, eas haud multo intervallo consequerentur. Cum autem Circeo jam monte transmisso, supra quinque & vigintimilia passuum a Pontia fugiendo emensi, sese premi, nec evadere posse animadverterent, sex earum, quæ propiores periculo videbantur, in queis erat Masinus, conversis puppibus, proras in littus tanto impetu, adjuvante velo, adigunt, ut tota pene triremium ipsarum corpora illisa, atque confracta in terram penetraverint. Tantaque fuit trepidatio, ac pavor, instantibus tergo Regiis, ut omnes salutis tantummodo memores cætera neglexerint. Itaque desertis triremibus, passim in terram dilapsi, pars semiermes, alii inermes procul a littore diffugiunt. Armorum, signorum, ac tormentorum magnus numerus cum cæteræ præda a Regiis captus. Tres vero reliquæ, quæ paulo longius aberant, continuata fuga, cum in altum magis evectæ essent, vim hostium evaserunt.

Triduo post cum Anichinus Corsus e Genuenti ora rediens, ignarus acceptæ calamitatis, qui cum sua navi longa (quæ erat una ex decem) sub Genuensibus merebat, Pontiam peteret, ubi Genuensium reliquas triremes putabat esse, Bernardus, qui ad eam insulam, post fugatos adversarios, cum classe se contulerat, novem modo triremibus emissis, signisque hostium, quæ ceperant, in classis Genuensis speciem prælatis, propius adventantem illexit. Qui, tandem dolo cognito, cum frustra fugam a se tentari intueretur, in scapham delapsus, & ad eum profectus, illius se fidei ac potestati permisit. Posthæc a Regiis tentatum, si qua inde vi Genuensium triremes revelli possent. Sed una tantum ex omnibus extracta est, cæteris adeo confractis, & arena ac terra immersis, ut nulli prorsus usui futuræ viderentur. Itaque cum laborem inanem sumi non placeret, iis crematis, abierunt. Ejus calamitatis nuntio accepto, Joannes Philippus Pontiam usque cum onerariis profectus (quod nihil absque triremibus perfi-

ci

Digitized by Google

ci poterat) retro conversus abire statuit. Cumque Genuam versus contenderet, juxta insulam Corsicam (teterrima tempestate exorta) ita disjecta est omnis classis, ut desperata salute, alia effracto malo navis, alia amissis antennis, alia velo discisso, alia sine malo, nulla integra (præter Prætoriam) in diversa delatæ sint.

Per eosdem dies atrox ac procellosus turbo apud Neapolim noctu repente excitatus, Regiarum navium, & Squartiaficæ malos vi sua ad imum perfregit, ac dejecit. Quorum casus propter gravitatem ac pondus, ipsarum navium corpora adeo labefactavit, atque concussit, proras præsertim, ut nihil esset aspectu fœdius, atque ea res pro miraculo apud omnes haberetur. Itaque quod salutare contra incendia inventum fuerat, in illo casu adversum, atque incommodum fuit. Taurinis nanque pellibus obvoluti mali, cum venti vim in se reciperent, ipsi turbini facile cessere. Ad hæc rudentes, propter ignium meum in alterum navis latus coacti, infirmiores malos faciebant. Maris quoque tempestas, quæ postea in multos dies continuata est, projecta ante molem pro munimento saxa disturbavit, catenamque ligneam dissoluit, ac dissecit. Sedata tempestate, Bernardus cum classe Neapolim reversus, adductis Genuensium triremibus captis, una cum sociis ejus expeditionis (ii erant aliquot summi viri) lætissime a Rege acceptus est; eique, ob versos in fugam adversarios, datum, ut equo per urbem inter principes viros (veterum more) invectus, magnaque civium caterva stipatus incederet. Per eosdem ferme dies Franciscus Sfortia, ac Florentini, quo magis res suas confirmarent, Legatos ad Venetos mittunt, qui suadeant, uti pro communi Italiæ quiete, confectæ paci societatem adiiciant. Quam quidem rem Venetis confestim nuntiari Regi placuit. Et quo magis lenirent illius animum, honestas ejus rei causas afferebant, atque ut ejus societatis participes fieri vellet, orabant. At cum multa eam rem agitando in dies occurrerent, quæ partium animos distraherent, tantum valuit Joannis Mauri legati prudentia, nunc Regem, nunc Venetos hortando, monendo, orando, ut pristinam inter Regem, ac Venetos amicitiam redintegrarit. Persuasit Venetis, ut in ipso fœdere caverent, Regii honoris causa, ut Legati a Francisco, ac Florentinis una cum suis ad Regem oratum mitterentur, uti communem pacem, ac societatem, honestis conditionibus datis, acceptisque ne recusarent. Missi in id a Venetis Hieronymus Barbadicus, ac Zacharias Trivisanus: a Francisco Bartholomæus Vicecomes Novariensis Episcopus, & Alberi-

cus

Digitized by Google

ficus Mallectus: a Florentinis . . . Medices, & Dietesalvius Nero, viri in agendis rebus late cogniti. Et quoniam Joannes Maurus longo usu sensum, atque animum Regis callebat, placuit Venetis & ipsum quoque pari honore ac potestate cum iis, quos nominavi, communes res agere.

Per id etiam temporis, Nicolaus Pontifex Maximus, missis ad omnes Christianos Populos, ac Principes Legatis, ut imminenti Barbarorum periculo occurrerent (jam enim finitimi Græciæ Populi Turcis parere cogebantur: & erat ingens metus, propter ingentes illorum apparatus nuntiatos, ne Italiam terra marique invaderent) Alphonsum, ac Franciscum ad pacem, item Florentinos, ac Venetos magnopere hortabatur: ac pro ea re jam prius ad Regem miserat, qui rem Genuensem componeret, Dominicum Capranicensem, Cardinalem Firmanum, qui pro ea re postea ad Genuenses se contulerat. Qui quoniam dux, & autor Italiæ pacis ac societatis inter Principes fuit, ac pro ea conficiunda unus omnium maxime laboravit, aliquid mihi hoc loco de eo dicendum putavi. Vita fuit in primis emendata, & quæ honestate, ac probitate omnibus exemplo esset. Frugalitate eximia, neglecto supellectilis luxu, quem cæteri adamarent; pietate, fide, atque innocentia singulari, doctrina, ac juris Pontificii scientia in primis excellens, de quibuscunque posset, benemereri studebat. Is, suscepta provincia componendæ inter Principes pacis, ac societatis, postquam Legati, quos supra memoravimus, Romam convenerunt, una cum iis iter ingressus, Rege prius de omnibus certiore facto, Cajetam venit. Rex venandi studio Trajectum oppidum petierat, quod a Cajeta decem millibus passuum abest, cognitoque Legatorum adventu, Cajetam versus proficiscitur. Qui cum illi obviam, honoris gratia, plus duo millia passuum extra urbem processissent, iis perhumaniter susceptis, Cajetam adiit, ubi omnibus hospitia, pro civitatis copia, parari jusserat. Hic enim mos Regis semper fuit omnibus Legatis, quicunque ad se proficiscerentur, diversoria, & quotidiana cibaria non minore elegantia, quam copia, & lautia præbere. Eo die nihil de communibus negociis tractatum. Postridie cum omnes Oratores ad Pontificis Legatum convenissent, ad Regem profecti sunt. Remotis arbitris, cum omnes illi primas dicendi partes, æquo jure, concessissent, ipse pro omnibus hunc in modum disseruit: Rem sane facilem, & tibi ultro expetendam (ut pro omnibus his Lega-

Digitized by Google

gatis verba faciam) ad te, Rex, oratum venimus, pacem ſcilicet, ac ſocietatem tuam, quorum utrumque & dare & accipere tuæ bonitatis eſt, præſertim hoc miſerrimo tempore, quo univerſo Chriſtiano generi, ac Religioni noſtræ ſanctiſſimæ periculum ab exteris Nationibus impendet. Quæ cauſa in primis hoſce populos, ac Principes movit, uti, armis poſitis, communi quieti conſulerent. Nec vero putes, te ab hiſce in agenda pace contemptum eſſe, aut neglectui habitum, quod eam, te inconſulto, fecerint. Ita enim fieri neceſſe fuit, quo facilius conficeretur, quæ fortaſſe aliquanto plus difficultatis alioquin fuiſſet habitura. In ea enim haud præterita eſt honeſta de tua dignitate mentio, ſed & tibi relictus, & conceſſus ejus ineundæ locus, ne tu id in Regni tui detrimentum, aut dedecus ullum factum arbitrere. Quod ſi te non alia ratio moveret, quam Italiæ quies, quæ Provincia diutiſſime exagitata, atque inteſtinis bellis vexata eſt, ita ut qui vicit, ſimilior victo videatur eſſe, tamen & æquitatis & humanitatis tuæ eſſe communem hanc pacem, & ſocietatem amplecti, ut tandem aliquando, quantum in te eſſet, requieſceret, atque ut hanc ex ea pacata laudem, gloriamque tuarum laudum cumulo adiiceres. Ut cum in præſentia non de ea pacanda, ſed potius de tutanda, & conſervanda agatur, multo magis debes communi huic fœderi, & conſentienti cæterorum Populorum, ac Principum voluntati acquieſcere. Imminet enim nobis bellum & grave & periculoſum, quale multis jam ſæculis in Italia non eſt auditum. Agitur ſalus Italiæ, agitur ſalus totius Chriſtianæ Reipub., agitur ſalus totius Religionis noſtræ. Mahometus atrociſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, non contentus capta Coſtantinopoli, quæ urbs a Coſtantino potiſſimum adverſus Barbarorum impetus condita eſt, in cujus expugnatione quas cædes, quæ incendia, quas rapinas, quos inceſtus, quas templorum violationes, quas ſacrorum profanationes, quæ Chriſti Dei noſtri, quæ Virginis Sanctiſſimæ ludibria commiſerit, non es neſcius; non contentus, inquam, Græcia oppreſſa, quæ aut jam omnis paret, aut metu ejus contremiſcit, non contentus denique finitimarum gentium obſequio, emergere jam e Græciæ clauſtris, atque in Italiam erumpere, Romamque caput, ac ſedem Religionis noſtræ petere ſe velle minitatur: nec ſolum nullam adhuc accepit pro tantis ſceleribus ſuis pœnam, ſed tertium jam annum Thraciæ, Græciæque dominatur omni interim, poſt captam Conſtantinopolim tempore, ad comparandos exercitus, contrahendaſque vires ex quibuſcunque gentibus, collato. Perſuaſit ſibi hoſtis callidiſſimus, ſi diſ-

ſen-

Digitized by Google

ſentientem Italiam invenerit, ea ſe facile potiri poſſe: hac autem ſubacta, cæteros Chriſtianos Populos, ac Principes imperata facturos. Properat hoſtis immaniſſimus, quo nos bello contendentes improviſo opprimat, nullum tempus peſtiferis conſiliis ejus exequendis aptius exiſtimans. Nec fallent eum profecto cogitationes ſuæ, ſi ocioſi illius conatus ſpectabimus, ſi non occurrerimus ejus furori; tanta eſt ejus potentia, tanta auri atque argenti vis, tanta claſſium moliendarum opportunitas, tanta denique hominum in bellum multitudo. Clauſum eſt jam Aegeum mare navibus noſtris, nec amplius, niſi plures ſimul onerariæ, eæque magnæ Aegei maris inſulas, & Orientales oras (quibus in locis Chriſtianis negotiatoribus uberrimus quæſtus ſolebat eſſe) adire jam poſſunt. Clauſum eſt nobis mare ponticum, & ipſum noſtris hominibus fructuoſum: caſtellis tranſitum impedientibus, in ipſo Bosforo Thracio ab utroque littore excitatis. Habet præterea in id bellum conſentientes Scythas, genus hominum & multitudine, & corporum robore, & bellandi uſu formidabile, qui Chriſtianorum oppida, quæ in Ponto ſunt, aut brevi oppriment, aut certe quieta eſſe non ſinent. Dimiſit jam in omnes partes Barbarorum, & exterarum Nationum Oratores, ad eos maxime, quos mari viciniores expeditioni ſuæ prodeſſe poſſe intelligat, ut illorum auxiliis, atque opibus ſuffultus, incorruptiſſimam noſtram Religionem funditus evertat, ac ſacrilegi illius Mahometi (quod Deus avertat) nefandis legibus ſubiiciat. Nec dubium eſt, quin & Syros, & Afros, & Mauros Reges, & cæteros etiam a mari remotiores adverſus Chriſtianos in belli ſocietatem trahat. Mira eſt enim vis religionis, quæ, etiamſi mala ac deteſtabilis ſit, tamen animis ſemel inſita, ac penitus impreſſa inflammare homines, & concitare ad ſui timorem ſolet; omnes enim, quam ipſi colunt, Religionem potiorem ac ſanctiorem aliena putant. Hæc tot mala atque pericula Italæ impendentia ſola pax atque conſenſus vel tollere, vel ſublevare poteſt. Tantum enim eſt Italiæ in armis nomen, ut vel ſolo rumore confectæ pacis, ac publici fœderis poſſit inſolentiſſimum hoſtem a pernicioſis conatibus ſuis deterrere. Sed ne hoc quoque ſatis eſt. Duce enim, & auctore opus eſt, præſertim bello maritimo, in quo maxime victoria repoſita videatur. Qui enim plus claſſe potuerit, facilem profecto terreſtris belli victoriam cæteris reliquerit. Nam quamdiu mare tutum ac liberum illi fuerit, nec commeatu, nec milite, propter vicinitatem terræ Aſiæ, ac paterni Regni, prohiberi poterit. Quo

Digitized by Google

commercio atque opportunitate ſublata, aut fame, aut ferro vincatur neceſſe eſt. Te autem uno neminem aptiorem ad tantum Imperium gerendum arbitrantur. Omnes ad te ſummo conſenſu hanc præfecturam deferunt. Vident in te omnia abunde eſſe, quibus ejuſmodi Imperatorem præditum eſſe oporteat; ſummam ſcilicet belli ſcientiam, egregiam virtutem, ampliſſimam auctoritatem, maximam felicitatem. Quarum omnium rerum mirifica exempla iis, quæ geſſiſti, bellis demonſtraſti, Neapolitano, Maſſilienſi, Hiſpanienſi, Africano. Vident etiam (id quod maxime hujuſcemodi bello requiritur) te maritimis copiis, ac navibus plurimum poſſe, tantumque Majeſtati tuæ tribui, ut nulla Italiæ civitas, nulla claſſis futura ſit, quæ tua ſigna non libens ſequatur, quæque mandatis tuis parendum ſibi non exiſtimet; quæ res maxime in hac expeditione neceſſaria exiſtimatur. Cæteris enim æqualitas ipſa invidiam excitat, nec alios aliis præeſſe patitur: Tibi omnes promptiſſime, & abſque invidia obtemperaturi ſunt. Nec vero (etſi magna antehac, & præclara facinora geſſiſti) ſuperiora bella tua, cum hoc uno bello gloria comparanda ſunt. Illa enim habent fortaſſe aliquid, quod non omnes æque probent, quoniam non ſine Chriſtianorum ſanguine confecta ſint. Hoc autem veram, & ſolidam, & conſtantem omnium opinione gloriam in ſe habet, quod contra Barbaras gentes, contra Religionis noſtræ hoſtes atrociſſimos ſuſcipitur, ac geritur, in quo qui interficitur, magnum pietatis locum ſibi apud Deum immortalem vendicat. Hoc tuum factum omnes uno ore laudabunt, & conſentienti favore proſequentur. Nec erit ullus tam iniquus rerum æſtimator, qui non illud omnibus rebus, hac ætate noſtra ab omnibus Regibus geſtis, merito anteponendum judicet. Hanc igitur Provinciam quo poſſis ſuſcipere, communem hanc Italiæ pacem, ac fœdus ineas oportet. Nam abſque hoc, nec Italiæ vires componi, neque magnum aliquid mari geri poteſt, præſertim contra hoſtem potentiſſimum. Qui poſtquam Conſtantinopoli potitus eſt, nihil omnino prætermiſit temporis ad ædificandas claſſes, cujus rei magnam ei commoditatem præbet & loci ſitus, & materiæ copia, quæ in ea Regione permagna eſt. Hoc ut agas, a te petit vehementer Nicolaus Pontifex Maximus, a quo ego ad te Legatus venio. Qui imminentibus periculis tantis univerſæ Criſtianæ Reipub. obviam iri quamprimum expetit. Hoc te orant hi Legati, clariſſimi viri, hoc te univerſus Chriſtianus orbis, ut te

Du-

Digitized by Google

Duce maritimi belli in communibus periculis uti queat. Noli, obſecro, Italiæ deeſſe; Rempub. Chriſtianam, Religionem hanc ſanctiſſimam (quantum in te eſt) tuere, ac ſerva. Noli pati ea ruere, quibus omnium noſtrum ſalus conſiſtit: occurre impendenti malo. Noli, inquam, expectare; dum immaniſſimæ gentes Chriſtiano nomini inimiciſſimæ ad tantum bellum coeant, quod ſuſtinere tota Europa non valeat. Nam quota pars Orbis terrarum Europa eſt? Cujus etiam magnam partem Scythæ tenent. Tantos autem poſſunt hæ gentes exercitus conficere, ut illorum modo aſpectum Chriſtiani homines ferre vix poſſint. At ſi maturabimus, omnia nobis ſecunda erunt. Recepta enim maris poſſeſſione, cum in Græciam, Thraciamque exercitus noſtri tranſmiſerint, & Mahometi furor cohibebitur, & cæteræ gentes rei eventum tacitæ ſpectabunt. Cave, Rex, prætermittas hanc ſempiternæ, ac veræ gloriæ occaſionem, quæ tibi a Deo immortali permiſſa, & etiam parata eſt. Cogita eorum Principum gloria quanta ſit, qui pro Chriſtiano nomine vel amplificando, vel conſervando adverſus hoſtes Religionis noſtræ bella geſſerunt. Carolus ille Gallorum Rex, qui Aquitaniam, & Galliam Togatam in Italia, & Saxones, & alias quaſdam gentes, e manu Barbarorum ereptas, ad Religionem noſtram redegit, & Magni appellationem meruit, & quamdiu Orbis terrarum ſtabit, ab omnibus mortalibus pleno ore laudabitur. Gothofredi nomen, qui Hieroſolymas, & Chriſti Dei noſtri ſacratiſſimum monumentum (ejectis Syris) aliquando recepit, (qui poſtea locus rurſum in eorum poteſtatem noſtra negligentia recidit) in omnibus gentibus, perquam illuſtre eſt! Sigiſmundi Imperatoris gloriam, qui contra hoſce eoſdem Turcas ſæpius proſpere pugnavit, nulla unquam ætas conticeſcet. Joannis Vaivodæ, qui toties ſua virtute, atque conſilio hujus Mahometi patrem prælio fudit, ac vicit, multis Turcarum millibus cæſis, quanta ſit fama apud omnes vides. Sed nil te magis commovere debet, quam Religionis noſtræ ſanctiſſimæ diſcrimen, in qua animorum noſtrorum felicitas ſempiterna continetur. Pro hac decertandum, pro hac effundendæ vires, pro hac denique vita ipſa exponenda eſt. Si pacem hanc, & fœdus Italicum aſpernabere, reliqua Italia obtorpeſcet, ac de bello inteſtino ſolicita erit. Qua ceſſante, aut de maritimis apparatibus nihil cogitante, cæteri Chriſtiani Principes, qui ſibi eſſe remotiores ab hoc incendio videntur, & ipſi quoque omiſſis belli curis, domi ſe continebunt. Quapropter amplectere, ob-

Digitized by Google

ſecro, hanc communem pacem, ac ſocietatem, quæ communis non ſolum Italiæ ſalutis, ſed & totius Chriſtianæ gentis, atque ordinis cauſa inſtituta eſt, teque ad benemerendum de tota Repub. Chriſtiana, de Italia præſertim, quæ te, tanquam Ducem, & Imperatorem ſuum, reſpicit, natum eſſe oſtende. Pro qua quidem re componenda, in iis, quæ æqua, & honeſta poſtulaveris, hoſce Legatos, & eorum Civitates, ac Principes eam ob rem ad te profectos, faciles reperies. Ea Legati multis verbis confirmavere. Ad quæ Alphonſus: nunquam mihi adeo ſecundæ res, aut domi, aut foris fuere, quin, ſi cum bello pacem commutare licuerit, bello pacem prætulerim. Nec vero, niſi aut laceſſitus, aut pro ſociis ad hunc diem arma ſuſcepi, ac geſſi bellum, nec me tam ratio ulla movit Imperii, aut Regni augendi (quod Dei munere ſatis eſt amplum, atque opulentum) quam meæ, ac Populorum quietis, atque tranquillitatis, qui noſtro Imperio parent. Iſque ſemper finis conſiliorum meorum fuit, ut abſque injuria in pace viverem. In bello pacem, non in pace bellum quærere ſoleo. Et ſi quando a nobis hoſtis pacem petiit, nunquam eum aſpernatus ſum, nunquam rejeci, ſed honeſtis conditionibus petitus, pacem dedi, proque amico poſtea habitum, paſſus ſum Regnorum meorum commercio perfrui. Hoc poſterius bellum Florentinum, jam neminem neſcire arbitror, Venetorum ſociorum, & amicorum cauſa, non ulla cupiditate mea, a me ſuſceptum eſſe. Quos cum urgeri, premique ab hoſtibus cernerem, non fuit æquitatis meæ in tanto Statu, diſcrimine eos deſtituere. Ita ſi a me eſſet petita pax, ut a Venetis, non fuiſſem profecto durior in ea concedenda, quam ipſi Veneti, quorum gratia bellum ſuſceperam. Nec debuit certe (ut Venetorum pace loquar) res tanta, præſertim quæ mea tantopere referret, me inſcio, atque inconſulto agi. Sed quæ acta ſunt, redargui magis, quam emendari queunt. Ego per me ſtare nolim, quin hæc pax, atque ſocietas communis fiat. Nolo conſentienti Italiæ deeſſe, potiſſimum cum hanc ipſam ſocietatem, ac pacem, quemadmodum ipſi diſſeruiſtis, ad totius Chriſtianæ Reip. ſalutem, & conſervationem pertinere agnoſcam. Video enim quorſum tendant Mahometi hujus inſolentiſſimi conatus: video quid ſtruat, ac moliatur tantarum claſſium, atque exercituum apparatibus: video quo ſpectet illius audacia, quove ſit pertinacia, & cupiditas ejus eruptura. Si fuiſſem bello vacuus, omnes profecto jam vires in ejus perniciem convertiſſem, nec eſſem paſ-

ſus,

Digitized by Google

sus, (quantum in me fuisset) ejus furorem evagari latius. Sed bellum consilia mea perturbavit; quo nunc liberatus, (Deo volente,) propositum meum persequi potero. Ego enim labanti Reip. Christianæ deesse nec volo nec possum, & vel Dux, vel comes hujus glorioſissimæ expeditionis ire non recuso; tantumque abest, ut eam deserere in animo habeam, ut omnes copias, ac facultates meas in eam rem collaturus sim, ne vitæ quidem parsurus. Statui enim pro illius Religione defendenda vitam exponere, qui pro hominum genere conservando vitam exponere non dubitavit. Sic Majores mei, sic ego ab adolescentia institutus sum, ut sanctissimam Religionem omnibus rebus anteponam. Sed si honesta concedentur, ac postulabuntur, nec Pontificis Maximi, cujus auctoritatem (ut debeo) plurimi facio, nec studiis Populorum, nec Principum voluntati refragabor, atque huic necessariæ expeditioni serviam. Post hæc cum his de rebus agi inceptum esset, & quædam Rex postularet, quæ consultatione Civitatum, ac Principum egere videbantur, Legati tempus ad respondendum petierunt. At cum videret non posse tantam multitudinem (magnum enim Legati comitatum secum adduxerant, & Regem plurimi secuti fuerant) in ea urbe commode divertere, ægreque, quæ equis necessaria erant, eo comportari, redeundi Neapolim consilium cepit. Itaque præmissis, qui hospitia pararent, Legatos Neapolim ire jussit, ubi & honorificentissime excepti, & pro amplitudine Civitatis, ac rerum abundantia lautius habiti sunt.

Rex aliquot diebus Trajecti commoratus, deinde Puteolos petit, ubi, dum moram facit, navim unam e duabus maximis forte amisit. Nam cum jam refectis iis partibus, quas venti procella conquassaverat, & eam, quæ magnitudine secunda erat, ac pulchritudinis prima habebatur, extrinsecus (ut sit) nautæ amburerent, ut eam denuo pice circumlinerent, per foramina, e quibus aqua egeritur (clam omnibus) ingressus scintillans ignis, tormentorum pulvere correpto, qua materia pleni complures cadi erant, nautarum negligentia, uno momento excussa maximo cum fragore loco movit. Atque iis, qui in superiore parte erant, repentino in mare saltu servatis, paucis quibusdam infimæ sortis hominibus, qui interius erant, quibusque crassa caligo prospectum ad superiora auferebat, extinctis, navis conflagravit. Ita quam navim Regis diligentia ab adversariorum vi conservaverat, perdidit casus. Alphonso deinde

Digitized by Google

inde Neapolim reverſo, de pace, ac ſocietate agi perſeveratum, atque in multos dies agitatio pertracta eſt, contendente Rege pro officio, uti Giberto Corregio, Nicolao Guerrerio, Gherardo Gambacurtæ, ac cæteris, qui ſuas partes in bello ſecuti, eorum oppida amiſerant, ablata reſtituerentur. Atque in eo vehementer pugnatum eſt, Franciſco, ac Florentinis, in quorum poteſtate ea pervenerant, reddere recuſantibus. Dum hæc aguntur, Genuenſes a Pontifice Maximo perſuaſi, & item literis iis commoti, quas Rex poſt fugatas eorum triremes Genuam, atque in omnes partes ſcripſerat, quibus nihilominus pacem ſe non abnuere ſignificabat, Gottardum Donatum facundum virum Romam miſere, qui una cum Pontificis Legato, quem ſupra memoravimus, de componendis controverſiis ageret, qui Romam profectus, non reperto amplius Legato Pontificis, cum id Genuenſes docuiſſet, juſſus eſt, ſuadente Pontifice, Neapolim ire, ut communibus rebus tractandis intereſſet. Iſque ad Regem profectus, de pace orationem habuit. Inter hæc Pontificis Legatus omni diligentia inſtare, ut communis pax, ac ſocietas conficeretur. Rem quoque Genuenſem, ſimul ac Gottardus acceſſit, tractare aggreſſus. Sed cætera prius componenda erant. Demum tantum valuit hujus viri prudentia, atque auctoritas cunctarum partium, Legatis ſummis precibus id orantibus, ut pax ea, quæ apud Laudum Oppidum a Venetis ſociis cum Franciſco, ac Florentinis, eorumque fœderatis facta fuerat, pactis quibuſdam in ea moderatis, a Rege comprobata ſit. Simul ac ſocietas communis ab eodem eſt confirmata, quam Veneti, cum Franciſco, & Florentinis ſanxerant, quibuſdam etiam correctis, atque immutatis, quæ Regi non ſatis placebant, in hæc ferme verba: Amicitia fœdus, ac ſocietas, Venetis, Franciſco Sfortiæ, ac Florentinis, eorumque Fœderatis cum Alphonſo Rege pro communi Italiæ quiete & ſalute, potiſſimum pro reprimendis Turcarum conatibus, a quibus grave bellum Chriſtianæ genti imminet, his legibus inviolabilis in annos quinque & viginti eſto, & eo amplius, quoad cunctis Sociis placuerit. Alphonſus Venetorum, Franciſci, & Florentinorum, ac Fœderatorum Statum adverſus eos, qui bellum inferant, aut laceſſant, ſive Italicus, ſive externus hoſtis fuerit, tanquam juris ſui res ſit, defendito. Rebus quietis, mutuæ opes opis cauſa, ſi qua forte repentina vis ingruat, Alphonſus, Veneti, ac Franciſcus ſinguli octo millia equitum, peditum quatuor millia, Florentini quina millia equitum,

Digitized by Google

tum, duo peditum, in armis parata habento, ſingulique militibus, & copiis ſuis ſtipendia perſolvunto. Si bellum alicunde oriri contingat, nulli partium, niſi de communi omnium conſenſu, pacem componere liceto. Nec Regi, nec Sociis cum ulla Italica natione ſocietatem, aut fœdus facere, abſque communi conſenſu, fas eſto. Premente bello, ſinguli dimidiam ſaltem equitatus partem, & peditatus, auxilio ad eum, quem laceſſi continget, impigre mittunto, nec illud, donec patratum ſit bellum, inde revocanto. Si contingat auxilia ad aliquem e Sociis mitti belli cauſa, qui auxilium acceperit, auxiliaribus copiis loca, in queis divertant, aſſignato, annonamque, & cætera neceſſaria eodem pretio, quo popularibus ſuis, venundato. Si quis Fœderatorum bellum intulerit, fœdus ex eo violatum, quoad cæteros pertineat, non eſto, ſed integrum, atque incorruptum habento, cæterique laceſſito auxilium præbento non minore ſtudio, quam ſi is, qui laceſſat, in ipſo fœdere comprehenſus non eſſet. Si cui Sociorum bellum inferatur, nulli reliquorum per eorum fines tranſitum concedere, aut commeatus præbere fas eſto, ſed omni vi laceſſentis conatibus obſtanto. Hæc ſic Venetiis inter Venetos, Franciſcum, ac Florentinos acta fuerant, quæ ab Alphonſo hunc in modum correcta ſunt. Quoniam dubitari poſſet, oriente bello inter aliquos ex Fœderatis, quiſnam laceſſeret, aut laceſſitus eſſet, optimum eſſe ſtatuit ad tollendam omnem injuriæ cauſam, cæterorum Fœderatorum juſſu arma deponi, controverſiiſque eorum cognitis, per injuriam ablata iis, quibus erepta ſint, reſtitui, & cognitionem cauſæ intra triginta dies finiri, eamque cognitionem haberi, ubi Pontificem Maximum eſſe contigerit. Si quis Sociorum, qui arma ceperit, ſententiæ latæ per reliquas partes parere recuſarit, eo caſu delectis ad eam rem ſtatuere liceat, qui auxiliarium copiarum numerus adverſus contumacem a cæteris ſociis mittendus ſit, nec tamen iis liceat majorum militum ſummam injungere, quam quivis Sociorum ex fœdere, pacis tempore, tenere debeat. Idem ipſi delecti decernant, & judicent, quonam modo cavere, ac ſatisfacere armis laceſſito debeatur. Qui abſque reliquorum omnium Sociorum conſenſu pacem, aut inducias feciſſet, quæ triginta dierum terminum excederent, is fœdus violaſſe judicetur. Si quis e Sociis, aut Fœderatis bello petitus ſit, ſive is, qui laceſſierit, ex Sociorum, & Fœderatorum numero unus fuerit, ſive ſit externus, & alienigena, intelligatur laceſſito auxilium præſtandum eſſe. Rex non minorem

Digitized by Google

rem equitum, ac peditum numerum, per pacis, ac belli tempus, quam Veneti, ac Franciſcus in armis habeat. Nec Veneti Regi, nec Rex Venetis auxilium maritimum (ſi qua maritima vis ingruat) præſtare teneantur. Neque hujus fœderis juribus, quæ Rex adverſus Ducem, & Civitatem Genuenſium habere prætendat, neque item iis juribus, quæ contra Sigiſmundum Malateſtam, atque Heſtorem Manfredum copiarum Duces, pro pecunia iis credita, habere ſe aſſerit, præjudicium ullum eſto. His conditionibus pax, atque ſocietas compoſita eſt, omnibus Italiæ Civitatibus, ac Regulis, præter Genuenſes, in ea comprehenſis: quibus tamen ejus ineundæ locus in certam diem reſervatus eſt. Unum illud opus reſtabat, ut ſcilicet res Genuenſis componeretur, quo omnis Italia, ſopitis ſublatiſque diſcordiis, tandem requieſceret, ac maritimæ expeditioni deſerviretur. Namque inter Italiæ Civitates, quæ mari pollerent, Genua non in poſtremis habebatur. Itaque & Pontificis, & Venetorum, Florentinorum, ac Sabaudienſis Principis Legati, qui tum aderant, cæteris jam curis ſoluti, in eam rem incumbentes nunc ſigillatim, nunc una omnes, cum Oratore Genuenſi orare Regem pergunt, ut, Genuenſium poſtulatis aliquo modo compenſatis, iis pacem in tam miſeris tamque afflictis temporibus det. Quibus Rex, ſicut antea, non abnuere ſe pacem reſpondit, ſi aut Genuenſes ab eorum poſtulatis deſiſtant, ac ſuperiorum temporum pateras aureas, quas ſibi ex fœdere debent, ad ſe deferant, aut, ſi damnis acceptis ſatisfieri velint, & ipſi damnis, quæ ſibi, ac Populis ſuis intuliſſent, ſatisfaciant. Quæ res cum componi nullo modo poſſet, Genuenſi Legato, navim, & res ablatas, aut earum pretium deponi apud ſequeſtrum debere, aſſerente, nec æquum eſſe Regem, ſibi ipſi navi capta jus dicere, navimque ipſam, quæ appareret, ante omnia reſtitui oportere, Pontificis Legatus una cum cæteris omnibus, nequicquam tentatis, abeundi conſilium cepit. Itaque petita a Rege venia, Romam, atque inde domos quiſque ſuas reverſi ſunt. Genuenſis quoque Legatus, cum fruſtra ſeſe ibi tempus terere, iis digreſſis, animadverteret, & ipſe ſtatim Romam ſe contulit; ubi, dum moram facit, Legati Pontificis, quem diximus, hortatu, Nicolaus Pontifex Maximus, qui tum graviter ægrotabat, e vita diſceſſit.

LIBRI X. ET ULTIMI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06841 1852

B 488305



Digitized by Google


Digitized by Google